

Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

+ *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.

+ *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.

+ *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.


+ *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertati di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da `http://books.google.com`


Digitized by Google


Digitized by Google


Digitized by Google

J. can. II.
4° 37-2
Chiavetta



<36639135210016

<36639135210016

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

BENEDICTI CHIAVETTA S. J. INSTITUTIONUM JURIS CANONICI LIBER II.

DE REBUS ECCLESIASTICIS.

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

INSTITUTIONES JURIS CANONICI,

SEU

SUMMA TOTIUS LEGIS PONTIFICIÆ,

IN TRES LIBROS

DISTRIBUTA.

Quorum Primus Personas; Secundus Res; Tertius Judicia, Delicta, & Pœnas Ecclesiasticas complectitur.

OPUS

Tyronibus non modò, ut suaviorem ineant viam, sed ipsis etiam Juris Consultis accommodatum, ut promptius in hac re habeant memoriæ juvamen.

AUCTORE

P. BENEDICTO CHIAVETTA

PANORMITANO SOCIETATIS JESU,

Scholasticæ olim in Messanēsi, & in Panormitana ejusdem Societatis Academia tum Scholasticæ, tum Moralis Theologiæ, nec non Sacræ Scripturæ,

NUNC SACRORUM CANONUM ITERUM PROFESSORE.

LIBER SECUNDUS

DE REBUS ECCLESIASTICIS.

REVERENDISSIMIS DOMINIS ABBATIBUS PERPETUIS COMMENDATARIIS S. Joannis Eremitarū, Canonicis Regiis S. Metropolitanæ Panormitanæ Ecclesiæ, Regni Siciliæ Primariæ D. Bartholomæo Cassera, D. Andreæ Marini, & Caffarelli, D. Francisco Marchesi, D. Alexandro Guarrasi, D. Augustino Perez de Alaba, & D. Didaco Sciacca, & Vita, DICATUS.

PANORMI, Ex Typographia Regia Antonini Epiro. 1712.

Imprim. Sideti V. G.][*Imprim. de Ugo P.*

Digitized by Google

INSTITUTIONES
IURIS CANONICI
SUMMA TOTIUS IUDICIS
IN TRES LIBROS
DIGESTA

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

AUCTORE

P. BENEDICTO CHIAVETTA

PANORMITANO SOCIETATIS JESU.

His Theolog a, nec non Sacr æ Scripturæ,

NUNC SACRORUM CANONUM ITERUM PROFESSORE.

LIBER SECUNDUS
DE IUDICIIS ECCLESIASTICIS.

Digitized by Google

Reverendissimis Dñis Abbatibus perpetuis Commendatariis S. Joannis Eremitarum, Canonicis Regiis S. Metropolitanę Panormitanæ Ecclesiæ, Regni Siciliæ Primariæ.

D. Bartholomæo Cassera,
D. Andreæ Marini, et Caffarelli,
D. Francisco Marchesi,
D. Alexandro Guarrasi,
D. Augustino Perez, de Alaba, &
D. Didaco Sciacca, et Vita.

Patrono diu quæsito, diu desiderato potiri, id demum lætitiæ si est, quæ nullis verborum queat circumscribi finibus; quid mihi, ubi pro uno, tot, tantique obtigere, & quidem præstantissimi? Unum ego (quid enim diffitear?) unum quærebam, unum optabam, alteri huic Canonicarum Institutionum Volumini præficiendum, & voto adeo Fortuna subscripsit; ut ne voto quidem optabilior fingi potuisset eventus. Sex inveni Mecœnates, quorum Dignitas hisce literarum carceribus definiri minimè patitur. Illius Ascæterii Abbates hic loquor, quod S. Joannis Eremitarum nomine nuncupatum parentes olim sortitum est maximos, Magnum scilicet Gregorium, Regesque item Magnos, Rogerium, & Willelmum I. ab illo vitam, & spiritum, una cum D. Benedicti Regula, quam in eo professi sunt S. Agnato, & S.

Ser-

Sergius Pontifices Maximi, natum traxit; ab his verò adultum dotem, ac patrimonium satis amplum obtinuit. Cui quoque ornando, nullum ab Romano Pontifice amoris officium defuit. Pontificalia decora, & insignia, quibus tanti Asceterii Abbas uteretur, facilè annuit. Nec verò de pristino suo splendore quid dispendii passa est, ubi ex Ascetis ad sæculares Abbates Dignitas ista devenit. Anno siquidem 1430. *fuit primus Abbas Commendatarius renunciatus Martinus Gallo Episcopus &c. cui succesſere Joannes de Centelles filius Comitis Collisani. Joannes Nicolaus de Ursinis Romanus tituli S. Cecilie Cardinalis de Thiano. Philippus de Aragonia, & Nauarra Nepos Regis Aragonū, & Sicilie, Magnus Ordinis Mercedis Magister, ac Archiepiscopus Panormitanus. Alphonsus de Aragonia Regis Joannis Nepos, ac Regis Ferdinandi II. Filius, Archiepiscopus Cæsaraugustanus. Monasterolensis, ac Abbas S. Dominus Mansonis Ordinis Thrinitorum Sanctissimæ Trinitatis. Faccius Sanctonus Episcopus Cæsenæ Presbyter Cardinalis tituli S. Sabinæ. Enecbus de Mendoza, & Zuñica Filius Comitis Mirandæ; hic Abbatiam in manibus Clementis VII. dimisit, Regis Caroli V. Imperatoris, ac I. Siciliæ Regis, mandatis obtemperans. Aquo anno* 1524. *inaugurati Abbates Commendatarii fuere sex Canonici Sancti Joannis Eremitarum, quibus præter Pontificalia insignia, eorum quoque munus obvenit, Oratorum scilicet in*

cet in totius Regni Comitiis. Non ego erravi certè, ubi vestro nomine Volumen hoc inscribi volui. Ejus Felicitatem vestra dignitate metiar. Sex habeo Juris tuendo Columnas adamantinas, sex Astreæ ornandæ libræ sidera fulgentissima, ejusque gladio intexendo totidem incorruptos Flores. Nec mihi frustrata defluet spes, ut nec Carolo V. defluxit olim, qui eò Vos Panormitanæ Ecclesiæ Canonicorum in Senatum allegit, ut novum ei decus ex vestra dignitate pareret. Quod sanè falso animo minimè Cæsarem egisse, probè docuit exitus. Proh quot, quantosque Regio isto ex Abbatum Collegio Heroes intueor, quâ pietate, quâ literis præstantissimos, factos jam ad omnem Urbis ornatum, ad Ecclesiæ splendorem! Fuere, & ea sane copiâ tot initiati Episcopi, ut vel negligenti calculo quot hic annumerare insulatos Præsides! Hieronymum Fabium de Bononia, Episcopum Syracusarum, & Abbatem Commendatarium Sacræ Mansionis SS. Trinitatis Ordinis Theutonicorum: Bartholomæum Sebastianum, Inquisitorem Siciliæ, Episcopum Bactensem, totique Siciliæ ter pro-Rege Præsidem, Archiepiscopum tandem Terraconensem: Hieronymum de Terminis Carolo V. Cæsari à Missæ Sacro Sacerdotem, Episcopum Mazarensem, demum renunciatum Archiepiscopum Panormitanum: Thomam Calvum Episcopum Tropensem: Aloysium Amatum Abbatem S. Mariæ de Bordonaro, Priorem S. Andreæ de Flutia, Regni Deputatum, Episcopum Agrigentinum.

Fuere

Digitized by Google

Fuere alii aliis, & quidem ampliſſimis aucti bonorum titulis, Franciſcus Salernus Prior SS. Laurentii, & Philippi Argyrionis, Regni Deputatus. Petrus Ximenes, Rocchus Pirri Abbas uterq; S. Eliæ de Ambula. Lucas Marineus Abbas S. Mariæ de Bordonaro, ac Ferdinando II. à Miſſæ ſacro Sacerdos. Vincentius la Farina Abbas S. Salvatoris de Placa, & Ss. Petri, & Pauli de Agrò: Artalis Scalzo Abbas S. Anaſtaſiæ, uterque Regibus à Miſſæ ſacro Sacerdotes. Fuere quà privato ſtudio partà ſibi omnigena eruditione clari; quà editis publico emolumento ingenii monumentis clariores, Franciſcus de Alexandro literis Hebraicis, Græcis, ac Latinis apprimè inſtructus. Franciſcus Salernò, qui volumen edidit Conſiliorum V. J. Allegationes pro ſuis Canonicis, ac Tractatum de Valore Matrimonii. Archangelus Morabito, clarus adeò Concionator, ut anno 1640. in Æde Principe Quadraginta dialibus feriis ad Populum ſermones habere meruerit. Rocchus Pirri ob editam Siciliam ſacram nunquam ſatis laudatus. Rogerius Paruta Hiſtoria, & Poëſi celeberrimus. Leonardus Orlandinus Græcis, ac Latinis literis clarus; ſed editis clarior Emblematis, ac deſcripta Drepano. Lucas Marineus, qui Oratoriam, & Poëticam illuſtravit, Regum Hiſtoriographus eruditè ſcripſit de rebus Hiſpanicis. Petrus Marcius, qui ingenii ſui partus reliquit ſcriptam Epitomem in Annales Baronii, ac benè tornatas Concionesi Vincetius Libaſſi, quà libera, quà numeris adſtri-

cta

Digitized by Google

Æ oratione clarus: hic aliena non eget, publica ſua jam luce clarior. Fuere ſex, qui Panormi Vicarii Generalis, tum plena, tum vacante Sede obiere munus. Quatuor, qui id quoque muneris Monteregali geſſere. Fuere? verius dicam: ſunt, qui Monſregalenſis Archiepiſcopi vices agunt: ſunt, quos Proreges habent ſacrarũ Cæremoniarum Magiſtros: ſunt, qui editis Moralis Theologiæ præclaris monumentis, Sacerdotem in Villa bellè otiari docent: ſunt qui Pontificia jura electionis Theſaurariæ ejuſdem Metropolitanæ Eccleſiæ, ſibi collatæ, legalibus, eque validis rationibus, mirum in modum propugnant, ac tuentur: ſunt demum quos Panormitana Eccleſia intento digito commonſtrat, quot Abbates, tot ſplendida Sacerdotii lumina: quot Canonicos, tot ampliſſimi Collegii ornamenta. Quæ dum ita Vos pro meritis extollit, adhuc in ambiguis eſt, vobiſne honorem iſtum, an Vos honori gratuletur? probè ſentit Dignitatem hanc ex veſtra virtute novum ſibi vindicaſſe lumen; hinc vobis Dignitatem, non Vos Dignitati quidquam debere arbitratur. Tales enim verò honor iſte deſideravit, quales vos veſtra Virtus jam pridem fecerat Sacerdotes hoc honore dignos, & huic muneri aptos. Quod ergo in votis habuit veſtra ipſa Dignitas, ubi ad vos faſces ſuos ſubmiſit; id quoque mihi unum fuit præ oculis, dum alterum hoc Inſtitutionum Canonicarum Volumen veſtro nomine inſcribi volui. Bono ſcilicet in lumine, quidquid operis id

Digitized by Google

est, locare, & locavi satis, si vos illi vestra jam lumina obvertistis. Perpetuis quod destinaram tenebris, Opus hoc: in lucem auspicatissimam exire splẽdida vestra Comitas fecit. Securus ibit de Aristarchorum judicio Liber, si fuerit probatus vestro. Hæc me fateor, ad vestram potius petendam opem ratio licet impulerit; altera tamen causa, immo, ut rectiùs loquar, quædam subest necessitas. Non enim mihi liberum fuit foris quærere, quos Domi Mecœnates habebam. Ajo enim verò domi habebam, quibus & me, meaque omnia sisterem. Quos enim post evolutã amorũ seriem suę Dignitatis hęredes habuit sanè dignos Patruus meus Joãnes Baptista Chiauetta hos & Nepos jure quidem merito sibi habere, debuit Patronos. Ille quidẽ vestro utpote olim Collegio cooptatus, & ex eo electus Vicarius Generalis Episcopi Pactẽsis, deinde Archiepiscopi Monregalensis, nõ nihil mihi juris de vestra dignitate legavit, quę & pro sua olim, vestraq; modo erga me benevoletia uti arbitratu meo possim & quæ ille de literaria Republica nõ nihil promeritus, de inclita Ducũ Montis Alti Prosapia scripsit; & quæ Nepos hìc literis mandat, vestra esse, ac vobis jure deberi ecquis eat inficias? Minus ergo solvo, dum solvo debita. Eo tamen animo ea solvo, ut debita magis augeam, quàm expungam, dum minima reddo. Sed hoc vestra potius Dignitas, quàm mea tenuitas facit. Quid enim Magnis, nisi parva reddam? Crescent in pretium, si vestra facitis; & facietis opinor. Tanta siquidem vestra Co-

mitas

mitus est, tanta Humanitas, ut nulli benefacere omnino non possetis. Quemque igitur nostrûm sua compellet necessitas, & mea me ad offerendum, & vestra longè sanè nobilior ad accipiendum adiget. Quæ cum ita sint, jam non ego vobis refero gratias [vobis enim parem gratiam referre, nec audeo quidem, & si maximè debeam] una vobis & habet, & exolvet Justitia. Tantum enim decoris Juri Canonico ex vestro nomine partum hìc est, ut cum mihi non sit, unde satis id verbis expleam, una illa queat justè justas vobis habere, ac referre gratias. Neque verò dum grates vobis agit Justitia, gratiosam se vobis esse credit, sed justam; siquidem Justitiæ suæ putat esse Gratam se vobis exhibere. Videte quid vos huic Libro vestro nomine contulistis! ut Justitia, quæ nulli se debere ait, multum vobis obnoxiam esse ultro fateatur! Etenim qui Justitiæ defert, gratiam ab ea referre nullam potest. Nullus honor tantus Justitiæ exhibetur, qui ei non debeatur. Soli vos dum Canonicarum Institutionum causam suscipitis, tantum bonoris vestro nomine Justitiæ comparastis, ut, dum ipsi necessariò morem geritis, non tam debita, quam gratiosa impendatis obsequia, eamque vobis reddatis obnoxiam. Quo uno contentus officio, satis nobis omnibus factum ab Justitia fuisse arbitror: & vobis debitæ, justeque abundè exolutæ gratiæ; & mihi turpior ingrati animi expũcta. [illegible] Nec plenæ vobis nec cumulatæ magis redditi gratiæ potuissent, nec de nostro erant expectan-

Digitized by Google

dæ penu. Probè tenetis amare posse omnes, & lætari; à nemine vero amorem, aut lætitiam satis explicari. At ego explicavi satis, si vobis, & summæ observantiæ, & gratissimi Animi officiosa studia me debere fatear, & præstiturum sanctissimè recipiam. Quod dum fecero, ingratus adhuc manere videor. E Collegio Panormitano Societatis Jesu die 30. Martii 1712.

Vestrarum Reverendissimarum Dominationum.

Obstrictissimus Servus:
Benedictus Chiavetta S. J.

Digitized by Google

FACULTAS PATRIS PROVINCIALIS.

JOSEPH PHILIBERTUS BARBIERI

Provincialis Societatis Jesu in Sicilia.

CUM Librum, cui titulus est *Institutionum Juris Canonici, seu Summæ totius Legis Pontificiæ, Liber Secundus de Rebus Ecclesiasticis* à Patre Benedicto Chiavetta Societatis nostræ compositum, tres ejusdem Societatis Theologi, quibus commissum fuit, recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, facultate nobis facta à P. N. Michaële Angelo Tamburino Præposito Generali, concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & nostro sigillo munitas dedimus Sicli die 22. Martii 1712.

Joseph Philibertus Barbieri.

† Loco Sigilli.

IN-

Digitized by Google

INDEX RERUM ECCLESIASTICARUM,

De quibus agitur in hoc Secundo Libro.

De Sacramentis.
De Rebus sacris.
De Ecclesiis.
De Rebus sanctis.
De Rebus Religiosis.
De Rebus temporalibus Ecclesiasticis, id est
De Beneficiis.
De Canonica portione.
Episcopali
De charitativo subsidio.
De Censibus, Cathedratico, & Procurationibus.
De Oblationibus, & Primitiis.
De Decimis.
De Legatis ad pias causas.
De Peculio Clericorum.
De Bonis immobilibus Ecclesiarum.

INSTITUTIONUM JURIS CANONICI LIBER SECUNDUS.

DE

REBUS ECCLESIASTICIS.

RES Ecclesiasticæ, aut sunt spirituales, nimirum, quę causa animæ sunt institutæ; aut corporales, nimirum quæ ad sustentationem Personarum Ecclesiasticarum inserviunt, ut sunt Decimæ, Census, Procurationes, &c. Spirituales autem, aut sunt Invisibiles, ut Jura percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, quæ Jura generali vocabulo dicuntur Beneficia; aut sunt Visibiles, seu Sensibiles. Res Spirituales Sensibiles, aut sunt Sacramenta; aut res Sacræ, & Sanctæ, quales sunt Ecclesiæ, Altaria, Sanctorum Reliquiæ, Vasa, Vestes, & similia ad divinum Cultum principaliter comparata; aut sunt res Religiosæ, nimirum domus Religiosorum, Xenodochia, Cœmeteria, & Sepulturæ. De his omnibus in hoc secundo Libro est agendum. Juvat autem incipere à Sacramentis, tum quia inter res spirituales sensibiles primum obtinent locum, utpote quæ sunt causa gratiæ divinæ; tum quia hunc ordinem tenuit Lancellottus in Institu-

ſtitutionibus Juris Canonici, & tenet Van Eſpen in ſuo Jure Canonico univerſo hodiernæ diſciplinæ accommodato. Sit igitur

CAPUT PRIMUM.

DE SACRAMENTIS.

NOn diſputando, ut ſolent Theologi, de Sacramentis ſermonem faciam, ſed ſolùm ea, quæ in Sacris Canonibus ſtatuta ſunt, explicando.

§. PRIMUS.

QUID, ET QUOTUPLEX SIT SACRAMENTUM.

1 SAcramentum eſt inviſibilis gratiæ, viſibilis forma, ideſt Figura, ſeu ſignum Senſibile gratiæ ſanctificantis. *Can. Sacrificium. de Conſecr. diſt. 2.* ſeu, ut bene ait Lancellottus *lib. 2. Inſtit. Canonic: tit. 2.* Sacramentum eſt inviſibilis gratiæ forma viſibilis, ita quod ejus ſimilitudinem gerens, & cauſa exiſtat. Ponuntur hæc ultima verba ad differentiam antiquorum Sacramentorum, quæ ſignificabant, ſed non cauſabant gratiam; noſtra autem Sacramenta, & gratiam ſignificant, & cauſant. Tridentinum. *Seſſ. 7. de Sacram. Can. 2. 6. & 7.*

2 Sacramentorum alia ſunt neceſſaria, alia voluntaria. *Cap. Veniens. de Tranſactionibus.* Neceſſaria ſunt, quæ ſine peccato omitti liberè non poſſunt; talia ſunt Baptiſmus, Confirmatio, Pœnitentia, Euchariſtia, Extrema Unctio. Dixi, *liberè*, quia in neceſſitate omitti poſſunt ſine peccato. Voluntaria ſunt, quæ ſine peccato refutari liberè poſſunt; talia ſunt Ordo, & Matrimonium. Gloſſa *in dictum*

Digitized by Google

dictum Cap. Veniens. de Transactionibus verſ. Neceſſaria. Trident. *Seſſ. 7. de Sacramentis Can. 4.* ibi: *Licèt omnia ſingulis neceſſaria non ſint.*

3 Ex Sacramentis neceſſariis, Baptiſmus eſt neceſſarius ad ingreſſum in Eccleſiam, ut tollatur peccatum originale, & ad hoc ut poſſit homo ſalvari; ita ut ſine Baptiſmo nemo ſalvetur. *Can. Neceſſarium. Can. Per Baptiſmum. Can. Firmiſſimè. de Conſecratione diſt. 4.* Tridentinum *Seſſ. 7. de Baptiſmo. Can. 5.* ubi ſic: *Si quis dixerit Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt non neceſſarium ad ſalutem, anathema ſit.*

4 Confirmatio eſt neceſſaria ad progreſſum in Eccleſia, ita ut armet, & inſtruat ad agones Mundi hujus, & prælia reſervandos. *Can. Spiritus Sanctus. de Conſecratione. diſt. 5.* Non eſt autem neceſſaria ad ſalutem, nam qui ſine Confirmatione moritur poſt Baptiſmum, ſalvatur, & morte confirmatur, non quidem ſacramentaliter, ſed ut ait Textus *in eodem Can. Spiritus Sanctus. in fine*; quia poſt mortem peccare non poteſt.

5 Pœnitentia eſt neceſſaria ad reditum in gratiam peccatoribus lapſis poſt ſuſceptum Baptiſma. Tridentinum *Seſſ. 14. de Sacramento Pœnitentiæ. Cap. 2.* ibi: *Eſt autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, ut nondum regeneratis ipſe Baptiſmus.*

6 Euchariſtia eſt etiam neceſſaria ad progreſſum in Eccleſia, & ad egreſſum ex illa, & ideo dicitur Viaticum, *Can. Qui recedunt.* & *Can. De his verò. 26. q. 6.*

7 Extrema Unctio eſt neceſſaria ad egreſſum ex Eccleſia. *Can. Ab infirmis. 26. q. 7.*

8 Rurſus aliqua Sacramenta Characterem, ideſt Signaculum quoddam ſpirituale indelebile receptum in anima, imprimunt, & iterari non poſſunt, aliqua non imprimunt & iterari poſſunt. Imprimunt quidem Baptiſmus,

Digitized by Google

Confirmatio, & Ordo; reliqua non imprimunt. Tridentinum *Seſſ. 7. de Sacramentis. Can. 9.* Et de Baptiſmo quod non poſſit iterari, dicitur etiam *Can. Hanc regulam. & Can. Manus. 1. q. 1.* & *Can. Non licet. de Conſecratione diſt. 4.* De Confirmatione idem dicitur in *Can. Dictum eſt.* & *Can. de Homine. de Conſecratione diſt. 5.* Demum de Ordine, id ipſum dicitur dicto *Can. Non licet. de Conſecratione diſt. 4.*

9 Dices *Can. Reperiuntur. de Pœnitentia. diſt. 3.* dicitur quod Pœnitentia non eſt iteranda; ergo falſum eſt, quod ſolùm illa tria Sacramenta iterari non poſſunt.

Reſpondeo cum Gloſſa *in dictum Can. Reperiuntur. verſ. Pœnitentiam.* & *in Can. Quanvis cautè. eadem diſt. 3. de Pœnit.* Quod Pœnitentia ſolemnis & publica eſt illa, quæ non eſt iteranda. Unde in *Can. Nihil. §. Ex perſona.* dicitur, quod omnia dicta Sanctorum Patrum à Gratiano congeſta in tali diſtinctione 3. de Pœnit. quæ videntur aſſerere non poſſe iterari Pœnitentiam, intelliguntur de Pœnitentia ſolemni, quæ ſemel celebrata, non iteratur. At Pœnitentiæ Sacramentum non ſolùm poteſt, ſed debet iterari poſt novum peccatũ commiſſum, ut recuperetur gratia divina, quod fide certum eſt ex Triden. citato.

10 Conſtant Sacramenta Verbis, & Elementis. *Can. Detrahe. 1. q. 1.* ubi ſic: *Detrahe verbum, & quid eſt aqua, niſi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Nomine elementi, venit non ſolùm aqua, de qua loquitur textus, qui eſt de Baptiſmo, ſed etiam panis, & vinum in Euchariſtia, oleum in Extrema Unctione, Chriſma in Confirmatione, & quidquid ſub viſibili natura, ut ait Lancellottus *libi 2. Inſtit. tit. 2. §. Conſtant.* inviſibilem gratiam deſignat. Nimirum quidquid aſſignatur pro materia Sacramentorum, cui accedentibus verbis, quæ ſunt forma, fit unum Sacramentum. Unde in Florentino poſt *Seſſ. ultimam in Decreto Eugenii IV. §. 5.* dicitur: *Sacramenta omnia tribus perficiuntur, rebus videlicet tanquã* mate-

materia, verbis tanquam forma, & Persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia quod idem dicit Tridentinum *Sess. 7. de Sacramentis. Can.* 11.

11 Omnia Sacramenta à Christo Domino fuerunt Instituta, unde Ecclesia numero dictorum septem Sacramentorum, nec detrahere, nec addere potest. Tridentinum *Sess. 7. de Sacramentis. Can.* 1.

12 Minister Sacramentorum potest esse malus, imò, & Hæreticus, & non ideo Sacramentum non conficitur, aut gratia non confertur suscipienti, si intentionem faciendi quod Christus voluit, habuerit talis Minister. *Can. Aliud. & Can. Quomodo. & Can. Baptismus. & Can. Cum baptizat. de Consecr. dist.* 4. Trident. *Sess. 7. de Sacram. Can.* 12. Non autem omnes Christiani habent potestatem omnia Sacramenta ministrandi, sed pro quolibet Sacramento suus est à Christo Domino minister deputatus, ut declarabitur mox cum de Sacramentis in particulari agemus. Trident. *ibidem Can.* 10.

§. SECUNDUS.

DE BAPTISMO.

13 BAptismus est ablutio corporis exterior facta cum aqua naturali, quæ adhibitâ verborum formâ, nimirum: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, interiorem animę ablutionem designat, & operatur, ideſt regenerat animam ad vitam gratiæ, tollendo peccatum originale. *Can.* 1. *de Consecr. dist.* 4. & *Can. Firmissimè. eadem dist.* Unde est, quod sicut in veteri testamento per Circumcisionem remittebatur peccatum originale, ita nunc per Baptismum. *Can. Quod autem. & Can. Ex quo. de Consecr. dist.* 4. Remittuntur etiam in Adul-

Adultis peccata personalia per Baptismum, si habent fidem, & dolorem saltem, qui sit attritio de suis peccatis. C. *can. Filius Dei. & Can. Nunquam. & Can. Regenerante. de Consecr. dist.* 4. Trident. *Sess. 6. cap. 6.*

14 Minister Baptismi ordinarius est Sacerdos. *Can. Constat. de Consecr. dist.* 4. In casu autem necessitatis potest etiam à Laico conferri Baptismus. *Can. In necessitate eadem. dist.* Imò etiam à Muliere, quanvis ipsa prohibeatur baptizare. *Can. Mulierem. eadem dist.* Item ab Infideli, Hæretico, aut Judæo, si intendant verè facere, quod facit Ecclesia Christi. *Can. Romanus.* & *Can. A quodam.* & *Can. Si qui. de Consecr. dist.* 4. Unde non sunt rebaptizandi, qui à talibus baptizati sunt, si in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti fuerint baptizati. Nec qui fidem negavit post Baptismum, est rebaptizandus, cum ad Fidem revertitur. Trident. *Sess. 7. de Baptismo. Can.* 11.

15 Si quis Presbyter faciat, ut ex sua culpa aliquis sine Baptismo moriatur, est deponendus. *Can. Quicumq; de Consecr. dist.* 4.

16 Nemo seipsum baptizare potest, sed ab alio baptizari debet. *Cap. Debitum. de Baptismo, & ejus effectu.*

17 Qui in amentiam incidit, vel dormit, si ante amentiam, vel dormitionem baptizari volebat, verè suscipit Baptismum, nec potest deinde rebeptizari, sicut etiam qui coactus aliqua extrinseca necessitate, sed non contrariam habens voluntatem suscipit Baptismum; At verò qui ante amentiam, ac dormitionem non consenserunt in Baptismum, aut contrariam ostenderunt voluntatem, non sunt baptizati, si in amentia, aut dormitione baptizantur. *Cap. Majores. §. Item quæritur. de Baptismo, & ejus effectu.* Qui autem sunt perpetuò amentes, baptizantur sicuti Parvuli, ut constat ex ipso usu Ecclesiæ, & habetur in Catechismo. 2. *p. de Baptismo. Rubrica Baptizandi quo modo affecti esse debeant.*

18 Par-

Digitized by Google

18 Parvuli utiliter baptizantur, quamvis non credant, nec intelligant quid suscipiant, quando suscipiunt Baptismum, eisque remittitur originale peccatum. *Can. Ut ostenderet. de Consecr. dist.* 4. & *Cap. Majores. de Baptismo, & ejus effectu.* §. *Verum quidam.* Trident. *Sess.* 7. *de Baptismo. Can.* 13. & 14. Amentibus autem, aut dormientibus Adultis, quamvis validus sit baptismus, si ipsi voluerant baptizari ante amentiam, aut dormitionem, ut supra dictum est, tamen non dimittitur eis de peccatum, quia sine retractatione peccatoris peccatum non remittitur, & ideo nec originale, quia unum sine altero in eis remitti non potest. *Eodem Cap. Majores. § Sed adhuc quæritur. de Baptismo, & ejus effectu.*

19 De quibus dubium est, an sint vere baptizati, baptizandi sunt hoc pacto: Ego non te baptizo, si baptizatus es, sed si non es baptizatus, te baptizo &c. *Cap. de quibus. de Baptismo. & ejus effectu.*

20 Triplex est Baptismus, alius Flaminis, alius Fluminis, alius Sanguinis. Fluminis videst aqua Baptismus, est Sacramentum de quo locuti sumus, quando fit abluendo cum aqua naturali corpus, & dicendo Formam &c. Flaminis idest desiderii Baptismus, est quando quis in necessitate baptizari cum aqua non potest, & desiderat baptizari eliciendo actum contritionis, seu amoris Dei super omnia, per quem remissionem originalis obtinet, & aliorum peccatorum, si quæ habet. *Cap. Apostolicum. de Presbytero non baptizato.* Sanguinis Baptismus est Martyrium, per quod obtinetur gratia Dei, & remissio originalis peccati, & aliorum, si sint in anima Martyris. *Can. Baptismi vicem. Can. Catechumenum. de Consecr. dist.* 4.

21 Infans in utero Matris non baptizatur per hoc quod Mater baptizetur, sed debet extra uterum baptizari, & ideo non iteratur baptismus, dum baptizatur infans extra uterum, quia ipse non fuit baptizatus per Baptismum

tismum susceptum à Matre cum in utero gestante. *Can. Si ad Matrim. de Consecr. dist. 4.*

22 Qui è Parentibus Christianis natus est, & inter Christianos nutritus, nisi evidentibus argumentis probetur oppositum, debet æstimari baptizatus. Quod si quis scienter fecerit se rebaptizari, puniendus est; si verò ignoranter fuerit rebaptizatus, quamvis non debeat subire pœnitentiam, tamen nisi magna sit necessitas, ordinari non potest. *Can. Qui bis ignoranter. de Consecr. dist. 4. & Cap. Ex litterarum. de Apostat. & reiterant. Baptisma.* Abbas. *in dictum Cap. Ex literarum n. 3.* Qui rebaptizanti ministrant, ut Acolytus, Subdiaconus, aut Diaconus, incurrunt eandem irregularitatem, ut nō possint ad Ordines majores promoveri. Pirhing cum aliis *in lib. 5. Decretal. tit. 9. §. 3. n. 13. & 14.* A quonam sit puniendus, & qua pœna reiterans Baptismum, dicetur suo loco *in 3. libro. de Pœnis*; interim videatur apud Pignatelli *tom. 4. consul. 144. n. 10.* in editione Coloniæ Allobrogum, 1700. quæ ego notor, ut dixi, ut notavi in primo libro, aliquoties non correspondet numerus Consultationis in hac editione, numero, qui est in editione Romana 1683.

23 Licèt ad valorem Baptismi sufficiat ablutio cum aqua, & forma ore prolata, tamen debent ex præcepto Ecclesiæ observari cæremoniæ aliæ in solemnitate Baptismi, nimirùm Exorcismi, & Instructiones de rebus Fidei, Clericorum insufflatio, sal benedicti, exhibitio: Cōtactus signo Crucis: Tactus cum saliva in Auribus, & naribus: Unctio cum sacro chrismate, de quibus *in Can. Ante viginti. Can. Sicut nostis. Can. Sal cœlestis. Can. Postea. Can. Deinde. de consecratione distinctione 4.* & videri possunt in Rituali Romano *De Sacramento Baptismi, ritè administrando.*

24 Denique Sacramentum Baptismi debet in Ecclesia Parochiali, & non domi suscipi, nisi in casu necessita-

tis,

tis, aut nisi fuerint filii Regum, vel Principum baptizandi. *Clemen. Unica. de Baptis. & ejus effect.*

§. TERTIUS.

DE CONFIRMATIONE.

25 CConfirmatio est unctio sacri Chrismatis, quod ab Episcopo benedici debet, sub præscripta forma verborum, nimirum: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* in fronte baptizati, ab Episcopo; ipse enim est hujus Sacramenti Minister. *Can. Manus. de Consecr. dist. 5. & cap. Unico. de Sacra Unctione. §. Per frontis.* Trid. *Sess. 7. de Confirmatione. Can. 3.* Qua unctione gratiæ argumentum, & robur ad vitam Christianam aggredam contra insultus Dæmonis accipitur. *Can. Spiritus Sanctus. de Consecr. dist. 5.*

26 Qui confirmatur, debet esse jejunus. *Can. Ut jejuni. de Consecr. dist. 5.* & in ætate perfecta, nimirum, ut ait Glossa (in ætate 12. annorum) Et Episcopus confirmans debet esse etiam ipse jejunus. *Can. Ut Episcopi. eadem dist.* Verùm hi Canones non videntur esse in usu, nec quo ad ætatem Confirmandorum, nec quo ad jejunium.

27 Tam in Sacramento Baptismi, quàm in Sacramento Confirmationis debent haberi Patrini, qui Baptizatos, & Cõfirmatos instruant, ac pro eis apud Deum Fidejussores sint; quod etiam in Catechismo est observandum. *Can. In Catechismo. de Consecr. dist. 4.*

1 Non potest autem, qui non est baptizatus, esse Patrinus in Baptismo, nec qui non est confirmatus, esse Patrinus in Confirmatione. *Can. In Baptismate. de Consec. dist. 4.*

Patrinus autem unus debet esse. *Can. Nonplures. eadem dist.*

dist. 35. *Cap. Quamvis. de Cognat. Spirituali. in 6.* Trident. *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 2. concedit unum, & unam ad summum. Hic autem unus, & una non possunt esse vir, & uxor; *ex Can. Quod autem.* 30. *q.* 4. Verùm hic Canon non est in usu, ut ait Thomas Tamburinus. *Lib.* 2. *de Sacram. cap.* 4. §. 2. n. 10.

Notandum tamen est, quod quia Maritus, & Uxor reputantur pro uno juxta illud: *erunt duo in carne una*, quoties maritus, aut uxor suscipit filiũ alicujus ex sacro fonte, vel Confirmatione, ambo erunt compatres Infantis. *Can. Si quis eadem* 30. *q.* 4. juncta Glossa §. *Compatres.*

28 Parentes proprios filios de sacro fonte suscipere, aut in Confirmatione tenere non debent. *Can. Pervenit. cum seq.* 30. *q.* 1. & *Cap. Si Vir. de Cognat. Spirit.* In necessitate autem possunt. *Can. Ad limina eadem* 30. *q.* 1. Nec Abbates, aut Monachi possunt esse Patrini *Can. Non liceat. de Consecr. dist.* 5.

Nota quod Parentes sive scienter, sive ignoranter tenuerint filium in Confirmatione, aut in sacro Fonte, non debent separari, quia si ignoranter, excusantur; si scienter, fraus sua non debet ipsis patrocinari, & patrocinaretur, si ut separarentur, id fecerunt, *dicto cap. Si vir. de Cognat. Spirituali.*

§. QUARTUS.

DE EUCHARISTIA.

29 EUcharistia est Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi Domini sub speciebus panis, & vini ad spiritualem animæ refectionem divinitus institutum. Realis præsentia Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini post consecrationem à legitimo Sacerdote, affirmatur in *Can. In quibus. Can. Nos autem.*

Digitized by Google

autem. & seq. de Consecr. dist. 2. & à Trident. Sess. 13. de Sacram. Eucharistiæ. Can. 1. & seq. Item quod totus Christus sit in qualibet parte Hostiæ dicitur Can. Singuli. de Consecr. dist. 2. & à Trident. loco citato. Can. 3.

30 In primis Ecclesiæ temporibus frequentissimè sumebatur Eucharistia, ita ut Sanctus Augustinus eos, qui eam quotidiè sumebant, nec laudat, nec vituperat; sed hortatur, ut sumant saltem singulis Dominicis. Can. Quotidiè. de Consecr. dist. 2. Deinde Fabianus Papa præcepit, ut Laici in anno ter, nimirum in Paschate, Pentecoste, & Natali Domini communicarent. Can. Et si non frequentius. de Consecr. dist. 2. & Can. Seculares. eadem dist. Nunc verò semel in anno, scilicet in Paschate est in præcepto sumptio Eucharistiæ. Cap. Omnis utriusque. de Pœnit. & Remission. & Trident. Sess. 13. Can. 9. de Eucharistiæ Sacramento. debet etiam sumi ab infirmis tanquam Viaticum, & ideo præcipitur in Can. Presbyter. de Consecr. dist. 2. ut servetur Eucharistia, ne infirmi moriantur sine Communione. Tridentinum sess. 13. de Euchar. cap. 6.

Notandum hìc est quod Religiosi non possunt ministrare Eucharistiam per modum Viatici infirmis non Religiosis, qui in eorum Conventibus infirmantur ad mortẽ, nec ministrare extremam Unctionem, nec dare sepulturam, ut infra dicemus, sine licentia Parochi. Pignatelli ex declaratione Sacræ Congregationis tom. 1. consultat. 306. & ex alia declaratione, quæ refertur in Decretis variis n. 7. editis jussu Eminentiss. Card. Judice Archiepiscopi Montis Regalis impressis Monte Regali 1707. Præterea in Privilegiis Regularium, de quibus P. Svarez tom. 4. de Religione lib. 9. cap. 3. dantibus facultatem ipsis ministrandi Eucharistiam fidelibus omnibus excipiuntur dies Paschatis, & articulus mortis. Videatur P. Svarez dicto cap. 3. ubi n. 7. explicat exceptionem diei Paschatis, & n. 11. articuli mortis. Non est tamen omittendum, quod

si Parochus non velit, aut absit, & necessitas urgeret, nimirum infirmus mori videretur sine Sacramentis, possunt Religiosi tali infirmo & Viaticum, & extremam Unctionem ministrare. Idem Svarez *ibidem n.* 15.

Item familiaribus Religiosorum infirmis possunt ipsi Religiosi Eucharistiam, & extremam Unctionem ministrare ex Privilegiis Apostolicis. Videatur P. Svarez *tom. 4. de Religione. cap. 4. n.* 10. Qui autem sint familiares, inquirit idem Svarez *n.* 11. & *n.* 15. concludit, quod ex vi Privilegiorum non requiratur, nisi quod serviant actu Monasterio, vel habitent intra septa Monasterii, vel Conventus, ut ait *n.* 16. sed tutius est dicere, quod requiratur, ad hoc ut sint familiares, & quod actu serviant, & quod habitent intra septa. Videatur prædictus P. Svarez. Nunquam tamen possunt Regulares Viaticum processionaliter deferre infirmo Regulari, vel familiari in domo Sæcularis degenti. Svarez *dicto tom. 4. de Religione. lib. 9. cap. 3. n.* 12. & Pignatelli *tom. 4. Consult.* 199. *n.* 5. *in medio, & in fine*.

Est etiam hic notandum, quod Regulares ad finem dandi suis Viaticum, possunt non solùm ut supra diximus, in Ecclesiis propriis asservare Eucharistiam, sed etiam in Grangiis, ubi soli Laici habitant. Pignatelli *tom. 4. Consult.* 152. *n.* 7. *& seq.*

31 Sacerdotes quotidie celebrare possunt, sed non debent, nisi unam Missam quolibet die dicere, excepto die Natalis Domini, in quo ter celebrare possunt, & casu necessitatis. *cap. Consuluisti. & cap. Te referente. de Celebr. Missar.* Quænam sit necessitas, ob quam quis possit bis celebrare eodem die dicitur à Glossa *in dictum cap. Consuluisti. vers. Necessitatis*. Nimirum quoties quis esset moriturus, & Parochus qui jam celebravit, non haberet aliam Hostiam consecratam in Pixide, vel quando adveniret post Missam dictam aliqua magna Persona, quæ

non

non deberet diem sine Missa transire.

Negat Gonzalez Tellez *in dictum cap. Consuluisti. de Celebr. Missar. n.* 2. casus assignatos esse sufficientes, ut possit Sacerdos iterum celebrare, & assignat casum necessitatis esse, quoties Parochus duas Ecclesias regit in diversis locis, in quo casu possit non sumpta ablutione in prima Missa, celebrare secundam. Deinde ait, quod Pontifex, quando *in Can. Necesse. de Consecr. dist.* 1. dixit, quod ne Populi pars privetur auditione Missæ, possint duæ Missæ celebrari; non loquitur de celebratione Missarum ab eodem Sacerdote, sed à diversis, cum tunc temporis una Missa in qualibet Ecclesia; & in uno altari celebrabatur, & ideo conceditur, quod quando pars populi remaneret sine Missa, posset alia in eodem altari celebrari.

Advertunt autē Doctores quod Sacerdos celebraturus plures Missas, debet esse jejunus, adeoque si jam assumpsit ablutionem, non potest in casu necessitatis prædictæ iterum celebrare juxta *Cap. Ex parte. de Celebr. Missarum.* Sed de his casibus, & an liceat etiam non jejuno iterum celebrare propter dandum Viaticum moribundo, consulantur Moralistæ, & præcipuè Thomas Tamburinus *de Sacrif. Missæ. lib.* 1. *cap.* 6. §. 3. *per totum*. & Diana *p.* 2. *trac.* 14. *Resol.* 56. ubi bene notat, quod nunc propter multitudinem Sacerdotum duo soli casus dantur, in quibus Sacerdos jejunus possit iterum in eodem die celebrare, nimirum in die Natalis Domini, & quando præest, ut dicebat Gonzalez Tellez, duabus Parochiis distantibus. Cæterum alii casus, quos Doctores assignant, abierunt in desuetudinem. *Resol.* autem 66. *ejusdem tract.* 14. negat posse non jejunum celebrare ad dandum Viaticum, id autem probabile putat Thomas Tamburinus *loco citato*, & *in Methodo expeditæ Commun. cap.* 2. §. 8. *n.* 32.

32 Qui celebrat debet esse jejunus. *Can. Sacramenta altaris. de Consecr. dist.* 1. & omnis, qui communicat de-

bet esse jejunus. *Can. Liquido. de Consecr. dist. 2.* Sunt tres casus, in quibus Sacerdos non jejunus potest sumere Eucharistiam. Primus est, ut perficiat Sacrificium quoties aquam, aut acetum pro vino posuit, & id advertit in sumendo; tunc enim debet vinum consecrare, & sumere, quanvis hauserit aquam, vel acetum. Secundus est, ut perficiat Sacrificium inceptũ ab alio, quoties ille corripitur aliquo casu, & prosequi nõ potest; in tali enim casu, si nullus est Sacerdos jejunus, poterit nõ jejunus prosequi Missam; Sacrificium enim debet perfici, & suppleri juxta *Can. Illud. & Can. Nihil. 7. q. 1.* Tertius casus est quãdo post ablutionem Calicis sumptam, videt reliquias Hostiæ in patena. Videatur Diana *part. 2. tract. 14. Resol. 66. supra citata.* Infirmis pro Viatico datur Eucharistia, etiamsi non sint jejuni, ut ipse mos Ecclesiæ testatur.

33 Sacerdos debet ponere aquam in vino, nec sola aqua, aut solum vinum consecrari potest. *Can. Sic in sacrificando. & Can. In Calicem. de Consecr. dist. 2.* Item non potest consecrari panis sine vino, nec accipi à Sacerdote Corpus Christi sine Sanguine, sed sicut debet sub utraq; specie consecrare, ita sub utraque specie, sumere. *Can. Comperimus. de Consecr. dist. 2.*

Præterea vinum debet esse in majori quantitate, quàm aqua. *Cap. Perniciosus. de Celebr. Missar.* Item celebrare non potest Sacerdos, si non sint duæ candelæ cereæ accensæ in altari, nec in Calice ligneo. *Cap. Literas. de Celebr. Miss. & Can. Vasa. & Can. Ut Calix. de Consecr. dist. 1.* Nec consecrari potest nisi panis ex frumento, & vinum de vite missum aqua. *Can. Non oportet. & Can. In Sacramento. de Consecr. dist. 2.* Nec in Calice vitreo, aut æneo, aut ex Oricalco. *Can. Ut Calix. de Consecr. dist. 1.*

Denique post sumptam Eucharistiam debet Sacerdos ponere in Calice vinum, & illud sumere, nisi fuerit celebraturus aliam Missam. *Cap. Ex parte vestra. de Celebrat. Miss.*

Digitized by Google

Miss. & non potest solâ aquâ perfundere primò Calicem. Glossa *ibidem*. Utrum autem debeat poni vinum post assumptum Sanguinem Christi in eadem quantitate, qua erant species Sanguinis, resolvit Gavantus ex Epist. Pii V. quod sic. Vide Tamburinum *de Sacrif. Missæ. lib. 3. cap. 9. n. 3.*

34 Sacerdos in peccato mortali celebrans, peccat gravissimè, si non consecrat. Debet autem actum contritionis elicere, ne peccet cõsecrando, & ut primùm potest, confiteri tenetur. *Cap. De Homine. de Celebr. Miss.* & Trident. *sess. 13. de Eucharist. cap. 7. in fine.*

35 Eucharistia non est ministranda Scenicis, & Histrionibus. *Can. Pro dilectione. de Consecr. dist. 2.* Nec aliis notoriè criminosis, nisi post eorum conversionem. *Can. Scenicis. eadem dist.* Suspendendis verò in patibulo non est deneganda Communio. *Can. Quæsitum. 13. q. 2.* & *Can. Si quis. de Corpore. 26. q. 6.* juncta Glossa *ver. Necessariam.* Laicis, Clericis, & Sacerdotibus non celebrantibus Eucharistia est ministranda sub una tantùm specie, nimirum panis. Trident. *sess. 21. cap. 1. & 2.* & *Can. 2.*

36 Missa celebrari non potest nisi in loco sacro, vel permisso ab Episcopo. *Can. Missarum.* & *Can. Nullus. de Consecr. dist. 1.* Excipe illos, qui privilegium habent celebrandi in altari portatili: & Religiosos, qui in locis à Provinciali approbatis celebrare possunt. De vestibus, & aliis requisitis ad Missam redibit sermo, cum de rebus sacris agemus.

37 Tempus celebrandi Missam ordinariè, idest sine privilegiis anticipandi, & postponendi celebrationem, est una hora ante ortum Solis usque ad meridiem; concedunt aliqui duas horas ante ortum Solis, & semihoram post meridiem. Ex aliqua gravi causa licet post mediam noctem celebrare, sicut & una hora post meridiem. Videatur Diana *part. 2. tract. 14. Resol. 33. & 34.*

38 De-

38 Denique Sacerdos non potest solus celebrare Missam, sed debet habere Ministrum, qui respondeat nomine populi, & urceolos porrigat &c. *Cap. Proposuit. de Filiis Presbyt. in fine.* Talis autem Minister non potest esse fœmina. *Cap. 1. de Cohabit. Cleric. & Mulier. §. Prohibendum.* Utrum autem in necessitate possit Sacerdos sine Ministro celebrare, aliqui negant, aliqui affirmant ex Theologis. Videatur Diana *p. 2. tract. 14. Resol. 43.* Similiter an in necessitate possit admitti fœmina ad ministrandum in Missa, quærit Diana *ibidem Resol. 44.* & Layman *lib. 5. tract. 5. cap. 6. n. 13.* Communiter tamen putant satiùs esse sine Ministro celebrare, quàm fœmina ad altare respondente, urceolos porrigente &c. Concedit tamen Layman cum Paludano, Svarez, & Henriquez, quod nihil obstare videtur, quo minùs Moniales ex loco remoto à Sacrificante, ipsi respondeant.

39 Reliqua, quæ à Moralistis agitantur ad Sacrificium Missæ pertinentia, videri possunt apud ipsum Dianam *toto tract. 14. citato.* vel apud ipsum Layman *dicto lib. 5. tract. 5. per totum,* aut denique apud Thomam Tamburinum *toto opusculo de Sacrif. Miss. expeditè celebrando.*

40 Noto, quod si adesset necessitas celebrandi, & non haberentur candelæ cereæ, posset adhiberi lumen ex oleo, & si deficeret oleum, possent adhiberi candelæ ex adipe Pignatelli *tom. 7. Consult. 55. n. 4.*

§. QUINTUS.

DE POENITENTIA.

41 POEnitentia generaliter sumpta est prioris determinationis mutatio, unde pœnitere dicitur, qui nollet se aliquid fecisse, aut omisisse. Hinc Pœniten-

nitentia potest esse bona, vel mala. Bona si sit de actu malo, mala si de bono. Potest item esse sine dolore, ut est in Beatis, quos pœnitet peccatorum à se in vita factorum; vel cum dolore, ut est in Peccatore pœnitente de suis peccatis. Potest etiam Pœnitentia significare pœnam, seu vindictam, vel susceptam sponte, vel ab alio impositam, & sic accepto nomine Pœnitentiæ, tres sunt ejus species, nimirum Solemnis, Publica, & Privata; de quibus Panormitanus *in cap. 1. de Pœnit. & Remiss.* Solemnis Pœnitentia est, quam dat Episcopus propter scelera majora in capite Quadragesimæ usque ad Cœnam Domini, quæ iterari non debet, & datur juxta formam præscriptam in *Can. In capite, dist.* 50. Talis Pœnitentia reddit Clericos inhabiles ad sacros Ordines suscipiendos, & suspensos à susceptis. Nec potest dari Sacerdotibus, nisi prius deponantur ab officio. *Can. Confirmandum. dist.* 50. & *Can. Sacerdos. de Pœnit. dist. 6.*

Pœnitentia publica est, quæ pro delictis publicis imponitur publicè facienda, ut Peregrinatio, Delatio talis habitus; & imponenda est talis Pœnitentia ob delicta illa, ex quibus scandalum ortum est, & manifesta sunt. *cap. Manifesta. de Pœnit. & Remiss.* Potest tamen Episcopus commutare Pœnitentiam publicam, quam aliquis mereretur, in aliam privatam, quoties ita judicaverit magis expedire. Trident. *Sess.* 24. *de Reformat. cap.* 8. Omnis solemnis Pœnitentia est publica; non autem omnis publica, est solemnis, quia potest imponi sine solemnitate, nimirum sine illis cæremoniis expressis in dicto *Can. In Capite. distinct.* 50.

Pœnitentia privata est, quæ imponitur in Sacramento Pœnitentiæ à Sacerdote pro delictis occultis, vel etiam publicis, sed in foro Sacramentali auditis: non enim potest Confessarius publicam pœnitentiam imponere pro peccatis auditis in foro Sacramentali, quia sic saltem in-

directè

directè revelaret Confessionem. Ita ex Navarro, Pirhing *lib. 5. tit. 38. sec. 1. §. 1. n. 4.*

42 Pœnitentia accipitur etiam pro ipso Sacramento, & prout sic accepta definitur: Est Sacramentum, quod Contritione, Confessione, & Satisfactione concurrentibus ex parte Pœnitentis, & per Absolutionem ex parte Sacerdotis, peccatorum operatur remissionem. De hujus institutione Sacramenti, & de ejus necessitate agit Tridentinum *sess. 14. cap. 1.* Et omnis Fidelis, cum ad annos discretionis pervenerit, tenetur quolibet anno Pœnitentiæ Sacramentum suscipere. *Cap. Omnis utriusque, de Pœnit. & Remiss.*

43 Partes Sacramenti Pœnitentiæ assignantur à Tridentino *dicta sess. 14. cap. 3.* & sunt Absolutio Sacerdotis per ea verba *Ego te absolvo à peccatis tuis.* qui Sacerdos debet esse approbatus ab Episcopo ad audiendas Confessiones juxta idem Tridentinum *sess. 23. cap. 15. de Reform.* Contritio, ideſt dolor de peccatis in Pœnitente, vel ob motivum dilectionis Dei, vel ob metum pœnarum, & gehennæ cum proposito non peccandi de cœtero. *dicta sess. 14. cap. 4.* Confessio integra omnium peccatorum, quæ memoriæ occurrunt. *ibidem cap. 15.* & Satisfactio de qua *cap. 8.*

De his Theologi Morales fusè agunt. Nos autem breviter dicimus, quod materia remota Sacramenti Pœnitentiæ sunt peccata, ut detestanda, quæ proinde sunt materia circa quam, sicut lignum est materia ignis, à quo absumitur, non autem materia, ex qua, prout est marmor respectu statuæ.

Porro peccatum duplex est: originale, quod contrahitur in conceptione, quando infunditur Anima; & Actuale, quod est dictum, factum, concupitum contra legem Dei, aut Ecclesiæ. Hoc item duplex est, nimirum Mortale sic dictum, quia affert mortem Animæ, privando il-

lam

lam gratiam Dei, quæ est vita Animæ; aut Veniale, sic dictum quia facilè remittitur, vel per Orationem Dominicam. *Can. de Quotidianis. dist. 3. de Pœnit.* vel per eleemosynam, jejunium, aspersionem aquæ benedictæ. *Can. Aquam. de Consecr. dist. 3. Can. Qui vult. de Pœnit. dist. 6.* Quod quidem intelligitur adjuncto aliquo actu interno doloris de peccatis ipsis venialibus. Peccatum veniale non est materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ; unde non tenentur Fideles illud confiteri. Peccata verò mortalia sunt necessariò confitenda. Trident. *sess. 14. citata cap. 15.* Peccata, inquam, mortalia post Baptismum commissa; nam ante Baptismum non subiiciuntur Clavibus Ecclesiæ.

Materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ sunt prædicti actus Pœnitentis, nimirum Contritio, Confessio, & Satisfactio. Forma verò est Absolutio. De his consulendi Theologi morales, qui omnes agunt de Sacramento Pœnitentiæ. Breviter autem, & clarè ferè omnia dubia resolvunt Thomas Tamburinus *in Methodo expeditæ Confessionis*. Leander *p. 1. tract. 5. de Sacram.* Busembaum *lib. 6. tract. 4. per totum*.

44 Tenetur Confessarius ad sigillum, nec potest ulli manifestare peccata audita in Confessione. *Can. Sacerdos, de Pœnit. dist. 6.* Ubi præcipitur, quod Sacerdos, si peccata alicujus manifestet, debet deponi, & publicam pœnitentiam facere omnibus diebus vitæ suæ.

§. SEXTUS.

DE EXTREMA UNCTIONE.

45 EXtrema Unctio est Sacramentum ægroto periclitanti de vita ad Salutem animæ conferendam, vel etiam corporis, institutum per Unctionem

Digitized by Google

olei benedicti ab Episcopo, & Orationem Sacerdotis: Tridentinum *sess. 14. de Sacramento extremæ Unctionis. cap. 1. & 2.*

46 Minister hujus Sacramenti est Sacerdos. Tridentinum. *ibidem cap. 3.* Non autē potest licitè ministrari nisi à Parocho; & quidquid diximus de Regularibus circa ministrandam Eucharistiam per modum Viatici, intelliguntur dicta de ministranda extrema Unctione. Nec ministrari debet, nisi illis, qui proximi sunt morti, unde hoc vocatur Sacramentum exeuntium. Potest autem replicari, si infirmus convaluerit, & in aliud simile vitæ periculum inciderit. Idem Tridentinum *eodem cap. 3.* Modus ministrandi hoc Sacramentum videatur in Rituali Romano.

CAPUT SECUNDUM.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

1 ORdo est signaculum quoddam, per quod spiritualis potestas traditur Ordinato circa Eucharistiam rite administrandam. Unde est quod partes hujus Sacramenti sunt traditio materiæ exprimentis potestatem, quæ traditur, & prolatio formæ cum debita intentione.

De diversis gradibus,& potestatibus Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acolyti, Exorcistæ, Lectoris,& Ostiarii,ac etiā Tonsurati egimus *l. 1. cap. 1. & cap. 2.* Quænam sit materia remota propria cujuscunque Ordinis, quæ tradi debet & tangi, videri potest apud Theologos, & præcipuè Thomam Tamburinum *de Sacram. lib. 7. per totum.* Nos de iis, quæ ad Canonistas spectant, agemus. Sit igitur.

§. PRI-

Digitized by Google

§. PRIMUS.

QUOTUPLEX SIT ORDO?

2 Ordines propriè sunt septem, nimirum: Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus, seu Sacerdotium, & ideo prima Tonsura propriè non est Ordo, idest non est Sacramentum Ordinis, ut diximus *lib. 1. cap. 1. §. 1. n. 3.* sed constituit Tonsuratum in Ordine, idest in linea Clericali.

3 Neque Episcopatus est propriè Ordo, idest Sacramentum Ordinis distinctum à Sacerdotio, sed est extensio ejusdem Ordinis Sacerdotalis, sicuti Papatus est extensio gradus Episcopalis. Ratio est, quia Sacramentum Ordinis ordinatur ad Eucharistiam ritè conficiendam; sed Episcopus quo ad Eucharistiam non habet potestatem diversam à Sacerdote; ergo Episcopatus nō est Sacramentum Ordinis distinctum à Sacerdotio.

4 Neque per hoc, quod possit Episcopus alios ordinare, habet quid majus, quàm posse consecrare Corpus Christi. Quod confirmatur ex eo, quod si Episcopatus esset Ordo distinctus à Sacerdotio, contineret eminenter ipsum Sacerdotium, sicuti Sacerdotium continet eminenter Diaconatum, & Subdiaconatum; unde est quod quis validè ordinatur Sacerdos, non præordinatus Diaconus &c. ergo similiter validè ordinaretur Episcopus, non præsuppositio Sacerdotio, quod tamen est falsum. Atque ita docent D. Thomas, & antiquiores Theologi, quos etiam plures Recentiores sequuntur, ut testatur Gonetus *in Manuali. de Sacram. tract. 6. cap. 5.* & nos diximus *lib. 1. cap. 7. n. 79.*

5 Quanvis autem Episcopatus vocetur Ordo *in Can.*

Digitized by Google

Cleros. dist. 21. & *in Can. Porrò. dist.* 66. & *in cap. Post translationem.* §. *Cum ergo. de Renunciat.* tamen ibi non de Ordine, prout est Sacramentum, sed de Ordine prout est gradus Ecclesiæ loquuntur textus. Habet enim Episcopus potestatem, & dignitatem majorem, quàm cæteri Sacerdotes, ut diximus *lib.* 1. *cap.* 7. §. 1. *n.* 3. ipse enim ordinare alios, confirmare, atque alia pleraque facere potest, quæ non possunt reliqui; juxta Trident. *sess.* 23. *de Ord. cap.* 4. Cæterùm non desunt Canonistæ, qui Episcopatum dicant Ordinem distinctum à Sacerdotio. *in cap. Quoties. de Purgat. Canonica.* cum Glossa ibi, ver. *Sui Ordinis.* Videatur Barbosa. *de Offic. & Potest. Episc. p.* 2. *allegat.* 1. *n.* 18. & Fagnanus *in cap. Requisivit. de Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui a n.* 8. ubi per extensum hanc quæstionem agitat: an scilicet Episcopatus sit Ordo distinctus, & Sacramentum, & probat, quod sic.

6 Dico secundò: ex his septem Ordinibus, de quibus Trident. *sess.* 23. *de Sacram. Ord. cap.* 2. aliqui sunt Sacri, & Majores, aliqui non Sacri, & Minores. Sacri, & Majores sunt Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus, & dicuntur Sacri, quia Personæ eos habentes ad altaris ministerium accedunt, & Sacra contingunt, & quia per votum Castitatis Deo sacrantur. *cap. A multis. de Ætat. & Qualit. & Ord. Præficiend.* Olim autem Subdiaconatus non numerabatur inter Ordines Sacros, sed postea fuit inter eos annumeratus. *Eodem cap. A multis. de Ætat. &c. & cap. Miramur. de Servis non ordinandis.* & *Can. Erubescant. dist.* 32. Et fuit statutum, ut non ordinaretur Snbdiaconus, nisi priùs promitteret Castitatem. *Can.* 1. *dist.* 31. ibi: *Nullum Subdiaconum facere præsumat, nisi qui se victurum castè promiserit.*

7 Reliqui Ordines dicuntur Minores, & non sacri, quia eorum officium ad Sacra contingenda non pertingit,

& item

& item quia à non Ordinatis exerceri potest sine incursione alicujus pœnæ. Officia autem Sacrorum Ordinum non possunt exerceri à non Ordinatis. *Cap. 1. & 2. de Cler. non Ordin. Minist.* & præterea quia non habent annexum votum Castitatis, ideoque nõ sacrant Deo in perpetuum personam, & possunt in Minoribus Ordinati matrimonium contrahere; at in Sacris non possunt. *Cap. 1. & 2. Qui Clerici, vel Voventes, matrimonium contrahere possint.*

Hinc Ordo Sacer à non Sacro potissimùm distinguitur ex hoc, quia Sacer habet annexum votum Castitatis, non Sacer autem hujusmodi votum annexum non habet. Ita Barbosa *lib. 1. Jur. Eccl. cap. 37. à n. 16.* Numero autem 25. ostendit obligationem servandi Castitatem, esse ex voto non autem ex præcepto, & multos asserit Doctores.

§. SECUNDUS.

QUÆ REQUIRANTUR AD ORDINEM VALIDUM.

8 DIco primò: Sex requiruntur, ita ut aliquo ex his deficiente, non suscipiatur Ordo. Primum est Potestas Ordinantis. Secundum Materia, id est instrumenta tangenda, & in Presbyteris Unctio, quam vis nobiliti cum Thoma Tamburino *de Sacram. lib. 7. cap. 2. §. 2.* existiment Unctionem non esse de substantia. Tertium Forma verborum cum debita intentione prolata. Quartum Sexus virilis. Fœmina enim est incapax Ordinis. *Cap. Uxoratus in fine. de Cleric. Conjugat. & cap. Nova. de Pœnit. & Remiss.* Quintum Intentio in Adulto suscipiente. Sextum Baptismus in ipso suscipiente, nam sine Baptismo non suscipitur Sacramentum ullum. *Cap. Veniens. de Presbyt. non Baptiz.* Reliqua, quæ requiruntur de quibus infra, cum de qualitatibus Ordinandorum, & de impedi-

pedimentis Ordinum agemus, non pertinent ad substantiam Sacramenti, sed ad licitè illud suscipiendum.

9 Notandum primò: quod potestas conferendi Ordines est Jure directo in Episcopo, & ideo Minister ordinarius hujus Sacramenti est Episcopus. *Can. Perlectis. dist. 25. §. Ad Episcopum.* Trident. *sess. 23. cap. 4. & Can. 7.* Episcopus autem, qui dignitati renunciavit, quanvis validè ordinaret in Sacris, tamen illicitè, & ideo sic Ordinatus non posset Ordines Sacros exercere. *Cap. 1. de Ordinat. ab Episc. qui renunc. Episcopatui.* Ubi notatur, quod si Episcopus solùm loco renunciavit, ideſt in tali Ecclesia amplius noluerit præsidere, poterit de licentia alterius Episcopi ordinare tum in Sacris, tum in Minoribus. Si verò dignitati Episcopali renunciavit, ideſt noluit amplius esse Episcopus, nunquam poterit licitè, nisi in Minoribus ordinare.

10 Notandum secundò: quod minores Ordines possunt à non Episcopis conferri, juxtà ea, quæ diximus de Potestate Abbatum. *lib. 1. cap. 6. n. 24. & deinceps.*

11 Notandum tertio: quod ex sententia Panormitani possunt Parochi primam Tonsuram suis Subditis conferre, imò quilibet Sacerdos ex aliquorum sententia, possit tonsurare. Sed consuetudo Ecclesiæ est in contrarium, ideoque talis sententia non est amplectenda. Ita cum Soto Barbosa *lib. 1. Jur. Eccl. cap. 33. n. 18.*

§. TERTIUS.

QUOSNAM POSSIT EPISCOPUS ORDINARE.

Dico primò: Non quilibet Episcopus potest quoslibet ordinare, sed eos tantùm, qui sunt de sua Dioecesi. *Cap. Cum nullus. & Cap. Finali. de Temp.*

Temp. Ordin. & qualit. Ordinand. in 6. Sunt autem de sua Diœcesi, vel Oriundi, ideſt qui in ea nati ſunt, vel Domiciliarii, ideſt, qui habitant in ejus Diœceſi, & habent animum ibi in perpetuum manendi, vel qui habent Beneficium in tali Diœceſi, etiamſi ſint Oriundi, vel habitent in alia. *Eodem cap. Cum nullus.*

13 Notandum tamen eſt, quod ex Conſtitutione Innocentii XII. quæ incip. *Speculatores ... ſub die 6. Novembris* 1694. Doctorum ſententiæ explicantes, quinam ſit Domiciliarius, quinam Oriundus, & quod nam Beneficium ſufficiat ad hoc ut alibi natus ordinetur ab Epiſcopo, in cujus Diœceſi habet Beneficium, moderandæ ſunt, & in praxim deduci non poſſunt, niſi juxta declarationem ejuſdem Innocentii XII.

14 Statuit igitur prædictus Innocentius, quod nullus Epiſcopus poſſit ordinare Exterum, ideſt non Subditum ratione Originis, aut Domicilii, etiamſi ipſe Beneficium habeat in ejus Diœceſi, niſi prius teſtimoniales literas proprii Epiſcopi tam Originis, quàm Domicilii ſuper ſuis natalibus, ætate, moribus, & vita ſibi concedi obtinuerit, & Epiſcopo ordinanti eas in actis ejus Curiæ conſervandas exhibuerit.

15 Præterea ſtatuit, ut non ſiat Subditus Epiſcopi, in cujus Diœceſi eſt Beneficium, quo ad Ordines ſuſcipiendos, niſi ille, qui Beneficium tale habet, quod ſufficiat ad congruam ſuſtentationem juxta taxam Synodalem ſine ulla additione ex bonis Patrimonialibus. Item mm de literis teſtimonialibus propris Epiſcopi, cum de hac ſufficientia Beneficii, debet in atteſtatione Ordinis collati, fieri mentio ab Epiſcopo ordinante.

16 Inſuper declarat Subditum ratione Originis eſſe illum, qui natus eſt in Diœceſi, in qua Ordines petit; non tamen ſi natus ſit accidentaliter, ratione ſcilicet itineris, aut mercaturæ Parentum, in tali enim fortuita Nativitate Pa-

Digitized by Google

ne Patris origo est attendenda.

17 Rursus Subditum ratione Domicilii illum esse declarat, qui licèt alibi natus, tamen vel per decennium in Diœcesi, in qua petit Ordines, vel per aliquod tempus considerabile ibi commorando, majorem suorum Bonorum partem taliter transtulerit, ut rectè judicari possit eum ibi in perpetuum permanere velle, & de tali animo juramentum præstet.

18 Denique, tam Familiares Episcopi, tam ille qui accidentaliter natus est in aliqua Diœcesi, quàm etiam ille, qui commoratus est in sua nativa Diœcesi, & deinde transtulit Domicilium in eam, in qua petit Ordines, debent literas testimoniales Episcopi loci, à quo discesserunt afferre Episcopo ordinanti, quoties tantum temporis in eo loco fuerunt, ut potuerint aliquod impedimentum Canonicum incurrere, & de talibus literis debet fieri, ut supra, mentio in literis attestationis Ordinis collati, quas literas dicimus Patentes.

19 Atque hæc in Bulla prædicta, quæ omnia, & singula ita servari debent, ut ipso facto, si secus fiat, suspendatur ab exercitio Ordinum Ordinatus, quamdiu proprio Episcopo videbitur, & Ordinans per annum suspendatur à collatione Ordinum. Sunt hæc valdè notanda, ne ex eis, quæ tradunt Doctores, qui ante annum 1694. scripsere, fallamur.

20 Dico secundò: Familiares Episcopi, ideſt qui cum ipso commorantur, & præsentes ei inserviunt, si subditi ejus non sint, possunt post tres annos à commoratione, & servitio, ordinari servata Bulla prædicta Innocentiana, sed debet Episcopus illis quamprimum Beneficium conferre. Trident. *Sess. 23. de Reform. cap. 7.* Barbosa cum innumeris aliis. *dicto lib. 1. Jur. Eccles. cap. 33. à n. 45. usque ad 54.*

21 Dico tertiò: Ut Episcopus ordinet alium, qui non

est

est sui subditus, modò superiùs explicato, requiritur licentia per literas, quas vocant dimissorias, Episcopi proprii illius, qui est ordinandus, alioquin ordinatus est ipso Jure suspensus: sicut etiam Episcopus ordinans ab exercitio Pontificalium per annum. Potest tamen Episcopus proprius ordinati, eum absolvere à suspensione. Trident. *sess. 23. de Reform. cap. 8.* Gutierrez *lib. 1. quæst. Canonicarum. cap. 26. n. 24.*

22 Dico quartò: Hyspani, Galli, Lusitani, Germani, & alii quicumque Ultramontani non possunt ordinari in Italia, nisi afferant dimissorias propriorum Episcoporum subscriptas à Nuntiis S. Sedis Apostolicæ in illis partibus, & à Vicario Summi Pontificis, recognoscantur, quod idem est ac dicere quod ordinari non possunt sine licentia Sedis Apostolicæ sive in minoribus, sive in Sacris, ex Bulla Urbani VIII. Incip. *Secretis. Die* 11. *Decembris* 1624. sub pœna suspensionis à Pontificalibus per annum imposita ordinantibus Episcopis, & suspensionis ab exercitio Ordinum ipsis ordinatis, sine spe dispensationis. Confirmat prædicta Bulla, id quod dicitur *in cap. 1. de Tempor. Ordinat. in 6.* ubi interdicitur Episcopis Italiæ ordinare Ultramontanos sine licentia Papæ.

23 Dico quintò: potest Papa quemlibet Clericum, sive Regularem, sive Sæcularem ordinare, sed ordinatus à Papa in Diaconum v. g. non potest ordinari Sacerdos ab Episcopo sine licentia Papæ. *Can. Filium. 1. q. 1. & Can. Cum in distribuendis. de Temp. Ordinat. &c.* Barbosa *de Potest. Episc. p. 3. alleg. 50. n. 22.*

24 Dico sextò: Regulares cum dimissoriis suorum Superiorum possunt ordinari ab Episcopo Diœcesis, in qua habitant, licèt sint Oriundi ex alia Diœcesi; possunt etiam ordinari ab alio, quoties Diœcesanus Episcopus non adest, aut non est habiturus Ordinationem, & in tali casu in Dimissoriis debent Superiores Regulares causam

absentiæ Diœcesani Episcopi, aut Ordinationis ab eo non habendæ, exprimere: ex Bulla Clementis VIII. *Die 15. Martii 1696.* Barbosa cum pluribus aliis *n. 64.* Religiosi verò Societatis Jesu (quod ipsum dicitur de aliis, qui habent idem privilegium) ex Indulto Pauli III. & Gregorii XIII. possunt à quocumque Episcopo catholico ordiri. *In Compend. Privileg. Societ. V. Ordines.*

25 Dico septimò: Novitii Religiosorum possunt ex probabili multorum sententia ordinari in minoribus. (Nã in Sacris non possunt, ut dicemus) ab eo Episcopo, in cujus Diœcesi faciunt novitiatum, quamvis alii sustineant debere ordinari ab eo, de cujus Diœcesi erant, antequam ingrederentur Religionem. Videatur Sanchez *in præcep. Decal. tom. 2. l. 6. cap. 10. n. 21.* & Riccius *Decis. 118. p. 4. n. 6.*

26 Dico octavò: Si Episcopus proprius est suspensus à collatione Ordinum, eo quia ordinavit Clericos alienæ Diœcesis, poterit Clericus Subditus ordinari ab alio Episcopo absque licentia illius; secus verò si est ob aliam causam suspensus. *Cap. Eos qui. de Temp. Ordinat. &c. in 6.* Hodie verò ex Bulla prædicta Innocentii XII. semper requiruntur literę testimoniales Episcopi proprii.

27 Dico nonò: Episcopus non tenetur ordinare, nisi Beneficiatum, aut habentem Dignitatem, cui est annexus Ordo. Isti enim debent Ordines accipere *ex cap. 1. de Ætat. & Qualit. &c.* sub pœna amittendi Dignitatem; unde habent Jus petendi Ordines, & ideo nisi habeant aliquod impedimentum, propter quod Episcopus eos ordinare non possit, debet eos ordinare. Reliquos verò, quos non judicaverit Ordinandos, repellere potest ex Tridentino *sess. 21. de Reformat. cap. 2.* Hinc nullus potest conqueri de Episcopo, eo quod nolit ordinare eum, nec appellari potest ab eo, quia in hoc Deum solum Judicem habet Episcopus, cum non possit Superior humanus animum, & conscientiam inferioris mutare;

re; cùm igitur hoc pendeat ab arbitrio Episcopi, non datur appellatio. Ita Riccius *in praxi Decis. 693. in prima editione. In secunda verò 787.* Barbosa *dicto lib. 2. Jur. Eccl. cap. 33. n. 77.* & alii.

28 Dico decimò: Nullum invitum potest Episcopus ordinare, aliter suspensus erit à celebratione Missæ per annum, & à collatione Ordinum. *Can. 1. & 2. dist. 74.* Compellere tamen potest, & debet, ad Ordines recipiendos eos, qui sunt Beneficiati, & nolunt ordinari intra tempus præfixum; aliter isti debent suspendi, & à Beneficio deponi. *Can. Si qui Clerici. dist. 74. & cap. Queris. de Ætat. & Qualit. &c.* Qui autem coactus ordinatur, si adest ejus voluntas, validè ordinatur; at si nullum præstat assensum, non ordinatur, si est adultus; Infantes enim validè ordinantur. *Cap. Unico. de Cler. per saltum promoto.*

29 Dico undecimo: Non potest Episcopns ordinare Regulares contra voluntatem suorum Superiorum. *Can: Monachi.* & *Can. Legi. 16. q. 1.* & *Cap. Ad Aures. de Temp. Ordinat.*

30 Notandum, quod si quis fuerit ordinatus ab eo, qui non habebat potestatem ordinandi, quia Episcopus non erat, debet reordinari, si aliàs fuerit idoneus. *Can. Presbyteri. dist. 68.* Similiter si quis non baptizatus fuerit ordinatus, debet prius baptizari, & iterum ordinari. *Cap. Veniens. de Presbyt. non baptizato.* Si autem quod fuit omissum in Ordinatione, non erat de necessitate Sacramenti, sed solùm de necessitate præcepti, sufficit si suppleatur id, quod erat omissum, v. g. si non fuerit facta manuum impositio in Ordinatione Diaconi, aut Presbyteri, non debet reordinari talis Diaconus, aut Presbyter, sed sufficit si tempore, quo alii ordinantur, suppleatur talis manuum impositio; interim non possunt talis Diaconus, aut Presbyter exercere Ordinem. *Cap. 1. & cap. Presbyter. de Sacramen. non iterandis.*

Digitized by Google

31 Sed dicet aliquis. Manuum impositio in Ordinatione Sacerdotis est de essentia ordinis, ergo debet reordinari Sacerdos, cui non fuerunt ab Episcopo impositæ manus.

Respondeo per Canonistas omnes, teste Fagnano mox citando n.31. hanc manuum impositionem non esse de essentia ordinis Sacerdotalis, cum verè sine illa, habeat ordinatus potestatem consecrandi Corpus, & Sanguinem Christi Domini. Theologi autem, qui volunt esse de essentia Sacerdotii, intelligendi sunt de integritate potestatis Sacerdotalis, in quantum sine tali manuum impositione non habet ordinatus potestatem absolvendi Fideles. Ita Fagnanus *lib.1. Decretal. cap. Presbyter. de Sacrament. non iterand. n. 37.* qui *à n. 10. usque in finem.* hanc quæstionem eruditè exagitat.

§. QUARTUS.

DE QUALITATIBUS ORDINANDORUM.

32 REquiritur in ordinando, ut diximus, & quidem essentialiter, sexus virilis; unde est quod non solùm fœmina, sed nec Hermaphroditus potest ordinari, nisi in eo prevaleat sexus virilis; si enim prævalet fœmineus, aut currit parilitas, non potest ordinari. Ita Silvester *v. Hermaphroditus.* Sotus, Bellettus, Ugolinus, Sayrus, & alii, quos sequitur Barbosa *Cap.33. lib. 1. Jur. Eccles. §.1. n.86.* Quod si aliqua fœmina abiret in virum, prout multoties accidit, posset ordinari; non autem omnis vir Ordines recipere potest, sed requiruntur variæ conditiones ex Sacrorum Canonum statutis, de quibus mox.

33 Dico primò: in quocunque Ordine recipiendo, requiritur ætas, quæ quidem licèt in Sacris Canonibus variè decernatur, ut videre est tota *dist. 77. & dist. 78.* hodie

hodie tamen ſtandum eſt Tridentino, quod *ſeſſ. 23. de Reform. cap.* 12. uult, ad Subdiaconatum ætatem viginti duorum annorum, ad Diaconatum 23. ad Presbyteratum 25. Sufficit autem ex communi Doctorum, quod ſint incepti. Pro prima Tonſura requiritur ſeptemnium. *Can. De iis.* juncta Gloſſa *v. Infantiæ. diſt.* 28. & *Can. In ſingulis, diſtinct.* 77. In aliis Ordinibus minoribus ætas poſt ſeptemnium ſufficit, ut docet Guttierrez *lib.* 1. *Canonic. quæſt. cap.* 26. *n.* 2. Prædicta ætas requiritur nunc ex eodem Trident. in Regularibus, ut ordinentur, quanvis ex *Can. Monachus. eâdem diſt.* 77. potuerant Monachi in minori ætate promoveri ad Ordines.

34 Dico ſecundò: Qui ante ætatem ſuſcipit Ordinem, quanvis validè ſuſcipiat, manet ſuſpenſus. *Can. Subdiaconus. diſt.* 77. & *Cap. Vel non eſt compoſ. de Temp. ordinat. & qualit. Ordinand.* Hanc ſuſpenſionem incurrunt hi, qui in Sacris ordinantur ante ætatem, non verò, qui in minoribus, ut docet Sayrus *de Cenſ. lib.* 6. *cap.* 12. *n.* 9. Bellettus. *Diſquiſit: Cleric. p.* 1. *tit. de Diſciplina Cleric.* §. 5 *n.* 61. & Barboſa *loco citato n.* 91. Solus Papa ab hac ſuſpenſione abſolvere valet, & ſi quis præſumit miniſtrare in Ordine ante abſolutionem à ſuſpenſione, manet Irregularis. Nec etiamſi pertingat ad ætatem requiſitam ad alium Ordinem, poteſt hunc ſuſcipere ſine prævia abſolutione à ſuſpenſione propter illum Ordinem ſuſceptum ante ætatem. Ita Guttierrez *lib.* 1. *Canonic. quæſt. cap.* 26. *n.* 21. Rebuffus *in praxi Beneficiorum. de Cleric. malè promotis. Gloſſa* 4. *n.* 3. & 5. qui notant ſuſpenſionem eſſe perpetuam ex Conſtit. Pii II. & non uſque ad complementum ætatis, ut videbatur eſſe de Jure. *ex cap. Vel non eſt compoſ. de Temp. Ordinat. &c.* Idem dicit Barboſa *n.* 92. & Miranda *in Manuali Prælatorum. tom.* 1. *q.* 39. *art.* 10. Epiſcopus autem ordinans aliquem ſcienter ante ætatem, ſuſpenſus eſt à collatione ipſius ordinis. *dicto cap. Vel non eſt*

est compos. de Tempor. Ordinat. &c. & *cap. Nullus. eodem titulo in 6.*

35 Dico tertiò: Præter ætatem, requiritur in Ordinandis literarum scientia. *Can. Illiteratos, & seq. dist. 36.* & *cap. Nullus. de Temp. Ordinat. &c. in 6.* ex Tridentino autem *sess. 23. de Reform. cap. 4. 11. 13. & 14.* habetur, quod pro prima Tonsura, debet, qui vult eam recipere, scire legere, & scribere. Pro quatuor minoribus Ordinibus, deber scire linguam latinam. Qui verò in Sacris sunt Ordinandi, debent, & linguam latinam intelligere, & esse instructi de iis, quæ ad Ordinem spectant. Episcopus verò ordinans illiteratum, est suspensus à collatione Ordinis illius per annum, & Ordinatus erit suspendendus arbitrio Superioris. *dicto cap. Nullus. de Temp. Ordinat. &c. in 6.*

36 Dico quartò: Requiritur etiam in Ordinandis probitas vitæ, & bona fama, de quibus Episcopus debet inquisitionem facere. Trident. *sess. 23. de Reform. cap. 5. & 7. & cap. 13. & 14.*

37 Dico quintò: Requiritur præterea in Ordinando Beneficium Ecclesiasticum, aut Patrimonium, unde possit decenter sustentari. Et in Religiosis requiritur Professio, ut titulo Paupertatis ordinentur. ex Constitutione 75. Pii V, incipiente: *Romanus Pontifex*, in qua declarantur suspensi Religiosi non Professi suscipientes Ordinem Sacrum. Verùm est hìc notandum, quod Religiosus, qui sciens nullitatem suæ professionis, suscipit Ordines Sacros, ne incurrat notam infamiæ, quam certò incurreret, si dum alii ejusdem ætatis ad Ordines Sacros promoventur, ipse nollet promoveri, non incurrit prædictam suspensionem. Atque ita docent Pignatelli *tom. 5. Consult. 99. n. 45.* & Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 37. n. 43.* & habetur declaratio Sacræ Congregationis, quam refert Pignatelli *dicto n. 45. in fine*, in una Panormitana *Die 7. Octo-*

Digitized by Google

Octobris 1662. dicens: *Regulares, qui conscii nullitatis suæ professionis, se ad Sacros Ordines promovere fecerunt, non incidunt in pœnas Constitutionis* 75. *Pii V. incipientis: Romanus Pontifex*. Et ratio est, quia talis pœna solùm incurritur ab iis, qui non fecerunt professionem, non verò ab iis, qui in foro externo eam fecerunt, & pro professis habentur, quanvis in foro interno sint nullitèr professi. Ita Sacra Congregatio.

38 Clerici Societatis Jesu, licitè ordinantur post vota Biennii, quanvis Professionem solemnem non fecerint: ex Constitutione Gregorii XIII. non obstante dicta Constitutione Pii V. *In Compend. Privileg. v. Ordines*. §. 2. Non tenetur autem Societas providere eos de alimentis, quos jam in Sacris ordinatos dimittit, ut toties decisum fuit à Sacra Congregatione Concil. Trident. *In una Limana die* 11. *Februarii* 1662. *In una Gerundensi die* 4. *Junii* 1672. & tandem *In una Panormitana die* 28. *Maii* 1695. *& die* 4. *Junii ejusdem anni* contra D. Georgium Vaccarinum, qui jam Sacerdos è Societate dimissus, litem movit pro alimentis, & cum repetiisset preces coram Innocentio XII. Sanctitas sua die 16. Julii ejusdem anni, respondit: *Stet in Decretis* 4. *Junii prædicti*. Et cum obtulisset iterum supplicem libellum in publica audientia *die* 27. *ejusdem Junii*, eadem Sanctitas Sua, rescripsit: *acquiescat*.

39 Jam Trident. *sess.* 21. *de Reform. cap.* 2. circa titulum Ordinandorum in Sacris sic habet: *Ne quis Clericus Sæcularis, quanvis alias sit Idoneus moribus, scientia, & ætate, ad Sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitimè constet, eum Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere. Id verò Beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius Beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliunde vivere commodè possit; & aliter resignatio facta, nulla sit. Patrimonium verò, vel Pensionem*

nem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum; eo quoque prius perspecto, Patrimonium illud, vel Pensionem verè ab eis obtineri; taliaq: esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint; Atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint, donec Beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint, antiquorum Canonum pœnas super his innovando.

40 Ex quibus patet, quod si Beneficium, non pacificè possideatur, non sufficit ad Ordines recipiendos. Item, quod Patrimonium debet esse verum, & non fictum, & sufficiens ad sustentationem honestam, sicuti debet esse Beneficium, ut supra notavimus ex Constitut. Innoc. XII. Item vîdetis, quod in arbitrio Episcopi manet ordinare Clericos in Sacris ad titulum Patrimonii, & ipsius est judicare an ordinandus futurus sit utilitati Ecclesiæ. Quod si nullam utilitatem perceptura est Ecclesia, cum aliunde his temporibus nulla sit necessitas Sacerdotum novorum, poterit licitè Episcopus non ordinare eos, qui titulo Patrimonii petunt ordinari. Quod ipsum confirmatur ex Bulla prælegata *Speculatores. Innocentii XII.* ubi sic: *Salutarem illam, quam Tridentini Decreta de non Ordinandis ad titulum Patrimonii, nisi illis, quos Episcopi pro necessitate, vel commoditate suarum Ecclesiarum assumendos judicaverint, præscribunt disciplinam, nequaquam relaxatam intelligi, nec unquam ad indulta hujusmodi exequenda Episcopos ipsos arctare, sed illorum executionem arbitrio semper eorundē Episcoporum, quorū conscientias hac in re oneratas voluimus, prorsus relinquere declaravimus &c.*

41 Quænam sint pœnæ, quas innovat Tridentinum habentur *in Can. Neminem.* & *Can. Sanctorum. dist.* 70. In quibus declaratur irrita Ordinatio sine titulo, & sensus est ex Doctoribus, fore irritam quo ad exercitium, non

verò

Digitized by Google

verò quo ad susceptionem Sacramenti; quod idem est, ac quod sine titulo ordinatus, manet suspensus, & si Ordine utatur, fit irregularis. Præterea *in Cap. Cum secundum. de Præbend.* & *Cap. Si Episcopus. eodem tit. in 6.* mandatur Episcopis ordinantibus aliquem sine titulo, ut eum alant, donec provideant de Beneficio Ecclesiastico. Quod si quis cum licentia sui Episcopi ab alio ordinetur sine titulo, non hic, qui ordinavit, cujus non erat examinare titulum, sed qui dimissorias dedit, debet sustentare Ordinatum. *Eodem cap. Si Episcopus. de Præbend. in 6.*

42 Est hìc notanda doctrina Thomæ Tamburini ex variis Doctoribus, quos affert *lib. de Sacram. cap. 6. §. 4. n. 5.* quod scilicet pœna suspensionis contra Ordinatum sine titulo non sit innovata à Tridentino, quanvis graviter peccet qui sine titulo ordinatur, quia jã erat abolita per *Cap. Cum secundum.* per illa verba *nos tamen benigniùs agere cupientes*: unde hodie non incurritur talis pœna ipso facto, sed solùm innovatam esse pœnam alendi Ordinatum contra Episcopum ordinantem, quoties scit Clericum non habere titulum. Idem docet Fagnanus afferens declarationem Sacræ Congregationis Concilii *in Cap. Cum secundum. de Præbend. & Dignit. n. 63. & 64.* Svarez autem, Bonacina, Bordonus, & alii sustinent, esse utranque pœnam innovatam, præsertim cum, Tridentino dicente: *Antiquorum Canonum pœnas super his innovando* citentur in margine tum *Can. Neminem*, & *Can. Sanctorum. dist. 70.* tum etiam *Cap. Cum secundum. de Præbend.* & *cap. Si Episcopus. eodem tit. in 6.* In nostra verò Diœcesi Panormitana certè incurritur suspensio supradicta, quia eam latam esse, adducto textu Concilii Tridentini, declaratur in Synodo Diœcesana sub Illustissimo de Palafox, & Cardona *par. 2. cap. 7. n. 97. ver. Cum verò ex Decreto Concilii &c.*

43 Placet adducere aliquas declarationes Sacræ

Digitized by Google

Congregationis Concilii, quas affert Barbosa *dicto lib. 1. Jur. Eccles. cap. 33. §. 1. a n. 154. usque ad 162.* circa Patrimonium, quarum prima est, quod Patrimonium donatum a Parentibus Filio, cum conditione, quod usum fructuum habeat, donec ipsi provideatur de aliis bonis, aut de Beneficio ad sustentationem, est sufficiens ad Ordines sacros recipiendos.

Secunda, quod quantitas Patrimonii non est taxata, sed judicio Episcopi remittitur.

Tertia, quod ad solum Episcopum spectet examen Patrimonii.

Quarta, quod sufficiens sit Patrimonium assignatum super annuos perpetuos census cum cautione, quod si census redimatur, debeat pecunia depositari ex Judicis Decreto apud idoneas personas ad effectum reinvestiendi.

Quinta, quod sufficiens est Patrimonium assignatum à Patre habente Dominium utile alicujus rei, cujus Dominium directum est apud Ecclesiam; quatenus id quod datur tali Patri in recognitionem ab Ecclesia, est transferibile in filium.

Sexta, quod non incurrit pœnas qui ordinatur cum Patrimonio donato à Patre, vel ab alio, & postea habet notitiam, quod tale Patrimonium erat alteri obligatum.

Septima, quod Patrimonium, ad cujus titulum quis est ordinatus, non potest capi in executionem sententiæ datæ à Judice contra Clericũ de solvendis expensis propter vulnus ab ipso alteri illatũ, etiamsi nihil aliud possideat.

Reliqua circa Patrimonium, quæ solent a Casistis agitari, videri possunt apud Thomã Tamburinũ supra citatum.

§. QUINTUS.

QUINAM PROHIBEANTUR ORDINARI, seu quinam sint Irregulares.

44 DIco primò: Hæretici non possunt ordinari. *Can. Arianos. 1. q. 1.* quia sunt Irregulares,

Digitized by Google

res, aut Irregularitate proveniente ex defectu animæ, ut volunt aliqui, aut ex notorietate delicti, ut volunt alii apud Barbosam *lib. 1. Jur. Eccl. cap. 33. n. 99.* Item Fautores Hæreticorum, & Filii, & Nepotes non possunt ad Ecclesiasticum Beneficium, aut Officium promoveri. *Cap. Quicunque.* & *Cap. Statutum. il secondo. de Hæret. in 6.* ubi dicitur §. *Hoc sanè*, quod Filii, & Nepotes Hæreticorum, qui in hæresi decesserunt, promoveri non possunt ad Officia, aut Beneficia Ecclesiastica; Non autem Filii, & Nepotes illorum Hæreticorum, qui jam fuerunt Ecclesiæ reincorporati; quando autem sola Mater est hæretica, solùm Filii excluduntur à Clericatu, non autem Nepotes, ut docet Glossa *v. Inane. in dictum Cap. Statutum*. Bellettus, & Barbosa *n. 101.*

45 Dico secundò: Neophyti, ideſt qui novi ad Fidem venerunt, quanvis difficulter debeant ordinari, non tamen prohibentur; & multò minus eorum Filii debent excludi a Sacerdotio, sed possunt legitimè promoveri, ut declaravit Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium negotiis Præpositorum *die 20. Martii 1594.*

46 Dico tertiò: Qui hominem occidit sive per se, sive per alium, nimirum consilio, aut auxilio non potest ordinari. *Cap. 1. de Homic. volunt. vel casuali. Cap. finali. de Temp. Ordinat.* Tridentinum *sess. 14. de Reform. cap. 7.* Si autem in sui defensionem occidisset quis aggressorem, aut dum erat Infans, aut furiosus, aut dormiens homicidium perpetrasset, posset ordinari. *Clem. unica. de Homicid. volunt. vel casual.* Idem dictum puta de Mutilante membra. Sicut igitur qui homicidiū voluntarium cōmisit, aut membra mutilavit, ordinari non potest etiamsi homicidium sit occultum, ex Tridentino citato, ita si est jam ordinatus, Ordinem exercere non potest, post homicidium. In homicidio voluntario nunquam potest Episcopus dispensare, quando autem quis probaret casuale fuisse

Digitized by Google

isse homicidium, aut commissum a se vim vi repellendo, posset ex eodem Tridentino, causâ cognitâ, & probatis precibus, dispensare Episcopus.

47 Ut autem hæc meliùs intelligantur, sciendum est primò: Homicidium aliud esse voluntarium, aliud necessarium, aliud casuale. Voluntarium est, quod fit animo malo occidendi, quocunque modo fiat occisio, sive apertè, sive per insidias, sive veneno, sive mandato, sive consilio &c. Jam voluntarium Homicidium vel est directè voluntarium, vel indirectè.

Directè voluntarium est, quod est expressè volitum, vel intentum: Indirectè voluntarium est, quoties non est expressè volitum, & intentum, sed intenditur alius actus, ex quo immediatè sequitur mors, v. g. Si quis mandet servo gravem verberationem alterius, & servus ita verberet, ut occidat, hæc occisio est indirectè voluntaria mandanti. *Ex cap. Ille qui. de Homic. in 6.*

48 Necessarium homicidium est, quod quis committit ad sui defensionem; quod si fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, idest non excedendo limites defensionis, seu non ad vindictam, sed solùm ad impediendam injuriam, cum non suppetat alia via illam impediendi, non imputatur ad culpam. Præterea necessarium homicidium est, quod fit authoritate Superioris habentis Jus, vel ab eo, qui occidit in bello justo. Ita Vallensis *lib. 5. tit. 12. à n. 2. usque ad 7.* ex variis Juribus.

49 Homicidium casuale est, quod casu fit, & præter intentionem occidentis, ita ut nec in se, nec in sua causa sit volitum. *Cap. Dilectus. & seq. de Homicid. volunt. vel casuali.* Potest autem casuale homicidium esse cum culpa, & sine culpa. Sine culpa est, quando quis incumbit rei licitæ, vel etiam ex probabili sententia, illicitæ, & adhibet sufficientem diligentiam, ne ex ea re sequatur mors alicujus. Ita in dicto *Cap. Dilectus. cum tribus seq.*

de

de Homic. volunt. vel casuali. Huic assimilatur homicidium commissum à Furioso, Infante, & dormiente, quia istis non imputatur, sicut non imputatur, quando est adhibita diligentia, eo quia merè fortuitò accidit. Committitur autem cum culpa, quoties quis rei illicitæ incumbit, vel etiam licitæ, sed non adhibet sufficientem diligentiã, ne mors alterius accidat. *Cap. Presbyterum.* & *Cap. Continebatur. de Homic. volunt. vel casuali.*

50 Sciendum secundò: quod ex homicidio casuali sine culpa quod dicitur verè, & propriè casuale, nõ incurritur Irregularitas. *Cap. Dilectus. & duobus seq.* quæ incipiunt: *Ex literis. de Homic. volunt. vel casuali.* Similiter ex homicidio ab Amentibus, Dormientibus, & Infantibus non incurritur Irregularitas. *Clem. unica. de Homic. volunt. vel casuali.* At verò ex homicidio casuali cum culpa incurritur Irregularitas *dicto Cap. Presbyterum*, & *Cap. Continebatur.* & *Cap. De cætero. de Homic. volunt. &c.* Ex homicidio autem sive indirectè, sive directè voluntario semper incurritur Irregularitas; Et quidem ex directè voluntario constat *ex Cap.* 1. *de Homic. &c.* & ex Tridentino *sess.* 14. *de Reform. cap.* 7. de indirectè voluntario item constat ex dictis. *Cap. Presbyterum.* & *Cap. Continebatur. de Homic. &c.* & item *ex Cap. Is, qui mandat. de Homic. in 6.* Denique ex homicidio necessariò, quod in sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ factum est, non incurritur Irregularitas. *Ead. Clem. unica. de Homic. &c.* Ex homicidio autem necessario, quod fit authoritate Superioris, incurritur alia Irregularitas, nimirum ex defectu lenitatis, non verò hæc, quæ dicitur ex homicidio.

51 Sciendum tertiò: quod quoties homicidium est publicum, & notorium, vel deductum ad forum contentiosum, etiamsi fuerit casuale sine culpa, vel ob defensionem justam, adhuc necesse est, quod Episcopus cognoscat causam, quæ debet à Summo Pontifice ei committi, & cogni-

Digitized by Google

cognitâ causâ, dispensare potest, vel declarare accusatum non fuisse Irregularem. Atque hoc est quod à Tridentino statuitur in *sess.* 14. *de Reform. cap.* 7. & diximus *n.* 46. *in fine*.

52 Ratio hujus rei est, ut notat Van Espen *p.* 2. *tit.* 10. *n.* 30. quod quanvis de Jure nulla videatur requiri dispensatio in homicidio verè casuali, aut ob justam defensionem facto, cum nulla incurratur tunc Irregularitas, tamen Tridentinum voluit, ut committeretur à Summo Pontifice cognitio causæ Episcopo, ex eo quia homicidium est quid scandalosum, & in eo quod fit ob defensionem, potest intercedere aliquis excessus, adeoque debet priùs causâ cognitâ, vel dari dispensatio, vel declarari innocentia accusati de homicidio, ut vitetur scandalum, quod oriretur ex illius Ordinatione, aut exercitio Ordinum.

53 Invenio autem apud Pignatelli *tom.* 7. *Consult.* 8. *n.* 3. Declarationem Sacræ Congregationis in quadam Januensi *die* 23. *Maii* 1589. in qua dicitur posse Episcopum sine recursu ad Papam, causam cognoscere, & declarare contractam non fuisse Irregularitatem. In fine autem *n* 4. poscit hic Author, ut Episcopi Jure suo utantur, & ei gratias agant pro hac doctrina.

54 Id etiam addo, quod quoties homicidium casuale cum aliqua culpa, vel factum causa defensionis, & ut alii addunt, indirectè voluntarium, manet occultum, toties probabile est, quod Episcopus sine ulla commissione à Summo Pontifice cognoscendi causam, possit dispensare; ex eo quia idem Tridentinum *sess.* 24. *de Reform. cap.* 6. concedit Episcopis dispensare in Irregularitatibus ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario. Voluntarium autem non est ex mente ejusdem Concilii *supradicta sess.* 14. *cap.* 7. quod casu fit, aut ob defensionem. ergo si tale homicidium fuerit occultum, poterit ab Episcopo

Digitized by Google

scopo dispensari. Ita Van Espen *dicta p. 2. tit.* 10. *n.* 31.

55 Neque mirum videatur, quod opus sit dispensatione in homicidio occulto casuali, vel causa defensionis, patrato, quia regulariter adest dubium, an in modo defendendi fuerit aliquis excessus, sicut an in casuali fuerit aliqua negligentia. Et in dubio debet quis se gerere pro Irregulari. *Cap. Ad Audientiam. de Homic. volunt: &c.* Præterea Doctores agnoscunt hanc Irregularitatem ex homicidio necessario, ideſt ob sui defensionem, & eam dicunt esse ex delicto, quia fere semper intervenit aliquis excessus saltem venialis, & ideo si sit occulta, docent esse dispensabilem ab Episcopo. Videatur Filliucius *tom.* 1, *tractatione* 20. & *de Cens. in particulari tractatione* 10. *cap.* 5. *n.* 145. Qui plura desiderat, consulat Doctores, qui scribunt *in lib.* 5. *Decretal. tit. de Homic. volunt: vel casuali*. Non omittam tamen, quod Emanuel Gonzalez Tellez *in cap. Significasti nobis. n.* 5. *de Homicidio. litera m.* probat ex Juribus, & Doctoribus non esse Irregularem eum, qui se defendendo alium occidit; & *n.* 6. probat etiam quod in casu dubio, nemo Irregularis judicari debet nec in foro externo, nec interno.

56 Dico quartò: Milites, etiamsi nullum occidissent, aut mutilassent, non possunt ordinari; atque ita declaratum esse à Sacra Congregatione negotiis Episcoporum, & Regularium Præpositorum testatur Barbosa *n.* 106. Verùm hoc intelligendum est de militibus in bello injusto, aut justo offensivo, & aggressivo, non autem in bello justo merè defensivo. Imò plures Doctores gravissimi, quos sequitur, & citat Thomas Tamburinus de Irregularitate. *Cap.* 15. §. 14. *n.* 3. si in bello justo offensivo milites aliquem nō occiderunt, nec mutilarunt, nō sunt Irregulares.

57 Dico quintò: Excommunicati, Suspensi, aut Interdicti, non possunt ordinari, nisi priùs absolvantur. Quod si quis excommunicatus ob percussionem Clerici, scienter ordinatur, est deponendus in perpetuum, si est Clericus

Digitized by Google

cus Sæcularis; si verò est Regularis, suspensus est ab executione Ordinis. Quod si ignorans se esse excommunicatum quis recipit Ordines, & est Clericus Sæcularis, debet petere dispensationem à Papa. Si tamen est Regularis, à suo Superiore, quoties percussio non fuit enormis, idest non fuit mutilatio, aut magna sanguinis effusio. *Cap. Cum illorum. de Sent. Excomm.* Hodie autem ex Tridentino *Sess. 24. de Reform. cap. 6.* sive detur scientia, sive ignorantia excommunicationis in eo, qui ordinatur, possunt Episcopi dispensare in hac Irregularitate, si delictum, idest excommunicatio sit occulta. Sicut etiam in suspensione ex delicto occulto, exceptâ eâ, quæ provenit ex homicidio voluntario. Barbosa *n.* 109. *in fine.*

58 Dico sextò: Infames sive infamiâ Juris, idest qui à Jure Civili, vel Canonico dicuntur infames, sive infamiâ facti, idest, qui crimen commiserunt accusatione, & damnatione dignum, ita manifestè, ut apud bonos viros pro infamibus habeantur, non sunt ordinandi. *Can. Apostolus.* & *Can. Tantis Daniel. dist.* 81. & *Can. Omnes verò. 6. quæst.* 1.

Qui autem sint infames, explicatur *in Can. Constituimus. 3. q. 5.* & *in Can. Infames. 6. q.* 1. & ab Azorio *p.* 2. *Instit. Moral. lib. 6. cap. 7. q. 3.* & *l.* 1. *ff. de iis, qui notantur infamia.* Atque in universum Infames sunt Jure, vel facto: Apostatæ, Fures, Raptores Virginum, Maledici, Venefici, Duellum offerentes, aut acceptantes, Falsum testimonium dicentes, Sepulcrorum violatores, Adulteri, Qui uxorem vilem, vel meretricem, aut repudiatam, vel scenicam, aut ancillam ducunt. Item qui sunt Mimi, Histriones, Scenici Joculatores, Lænones, Carnifices &c. Videantur Canones citati, aut Azorius *loc. cit. à ver. Quæres quænam sint. usque ad q.* 4.

59 Notandum primò: Quod infamia Juris teste Bartolo. *L. Ictus fustium. ff. de Iis, qui notantur infamia.* &

Ab-

Abbate *in Cap. Olim. de Reſcrip. n. 9.* & Azorio *loc. cit. ver. Sciendum*. non incurritur, niſi ab eo, qui in judicio eſt damnatus de illo delicto, cui à Jure infamia eſt annexa. Infamia verò facti incurritur per ipſum factum notorium.

60 Notandum ſecundò: quod infamia Juris non poteſt tolli, niſi per authoritatem Principis, aut abſolutionem Judicis, vel Superioris, qui tulit ſententiam de infamiæ crimine. Infamia verò Canonica, quæ eſt illa, quæ contrahitur ex facto, cui non à Jure civili, ſed Canonico eſt annexa infamia, tollitur penitus per pœnitentiam. Gloſſa *in Can. Illi qui. ver. Niſi eis. 6. q. 1.* Ubi tamen notat, quod illa infamia Canonica tollitur per pœnitentiam, quæ eſt ex occulto crimine, non tamen illa, quæ eſt ex manifeſto, aut per ſententiam, ut coſtat *ex Cap. finali. de Tempor. Ordinat.* Ubi tamen excipitur homicidium, quod quanvis occultum non tollitur per pœnitentiam, ſed ſemper impedit Ordinationem. Infamia tamen facti non poteſt tolli, niſi per factum ipſum, ideſt ponendo factum oppoſitum.

61 Notandum tertiò: quod ſi delictum eſt occultum, quanvis ſit tale, ut per ipſum reddatur perſona infamis, tamen non impedit Ordinationem, ideoque qui illum commiſit, ſi velit, poteſt ordinari. *Cap. Ex tenore. de Tempor. Ordinat.* & *dicto Cap. finali. Eadem tit.*

62 Dico ſeptimò: Specialiter prohibentur ordinari Uſurarii. *Can. Maritum. diſt. 33.* & intelligitur tam de Uſurariis publicis, quam occultis ab aliquibus Doctoribus, quos affert Barboſa *n. 110.* & Simoniaci in petendo Ordine, aut Beneficio. *dicto Can. Maritum.* & *Can. Sanctum. 7. q. 1.*

63 Dico octavò: Qui eſt accuſatus de aliquo crimine, pendente accuſatione, non poteſt ordinari, aut ad Dignitatem promoveri. *Cap. Omnipotens. de Accuſat. Inquiſit.* &

sit, & Denunciat. Hoc autem non intelligitur de Accusato per Malevolos, & non gravato apud bonos viros, seu quod idem est, de eo, qui adhuc habetur pro bono apud viros probos, sed de eo, qui dum accusatur, est infamis infamia facti, quæ incurritur, quando apud bonos viros gravata est opinio illius super aliquo crimine. Et ratio est, quia aliter quisque improbus posset impedire virum bonum à concursu, & petitione Beneficii, si sufficeret accusatio, nullâ secutâ infamiâ apud viros bonos illius Civitatis. Atque ita docent Nicolaus Garzias *de Benef. p. 7. cap. 8. n. 7.* Rodericus à Cunha *in commentar. ad Can. 3. dist. 81. n. 5.* Barbosa *n. 113. & p. 2. allegat. 43. n. 17. de Potestate Episcopi.* Campanella *Rubrica 11. cap. 18. n. 5.* & alii.

64 Notandum, quod postquam quis fuit accusatus, & sententiatus, si peractâ pœnitentiâ, bene vivat, poterit non de rigore, sed ex benignitate promoveri. *Can. Ipsa pietas. 23. q. 4.* & colligitur etiam *ex Can. Bene valet.* & *Can. Sacerdos. dist. 50.* & *Can. Absit. eadem dist.*

65 Dico nonò: Solemniter pœnitentes, idest qui pro publico delicto solemnem, & publicam pœnitentiam habuerunt, non possunt ordinari. *dicto Can. Maritum. dist. 33.* & *Can. Illud quoque. dist. 50.* Quod si magna esset necessitas, vel utilitas Ecclesiæ ex Ordinatione alicujus, qui fuit publicè, & solemniter pœnitentiatus, posset Episcopus dispensare, & eum ordinare in Minoribus. *Can. Placuit ut pœnitentes. eadem dist. 50.*

66 Dico decimò: Bigamus, idest, qui duas uxores accepit, non potest ordinari. *Can. Acutius. dist. 26.* & *Cap. 1. de Bigam. non Ordinan.* etiamsi unam ante Baptismum, & aliam post Baptismũ acceperit. dicto *Can. Acutius.* & *Can. Deinde. eadem dist. 26.* Similiter, qui unam Viduam accipit in uxorem, aut jam corruptam, est Bigamus. *Can. Maritum. dist. 33.* & *Can. Curandum. cum seq. dist. 34.* & *Cap. de Bi-*

Digitized by Google

De Bigamis. ibi: *Viduarũ Maritis. de Bigam. non Ordinand.*

67 Item qui continentiam est professus, & post factam Professionem uxorem ducit, quanvis revera bigamus non sit, cum matrimonium sit invalidum, tamen quo ad Ordines reputatur Bigamus. *Can. Quotquot.* & *Can. Monacho.* 27. *q.* 1. Et ratio est, quia per votum Castitatis solemne erat specialiter conjunctus cũ Christo, & Ecclesia; unde volens alteri conjungi, est similitudinariè Bigamus.

68 Item qui mortua uxore, quam virginem duxit, in Sacris constituitur, si aliam uxorem ducit, quanvis re vera Bigamus non sit, quia matrimonium est nullum, tamen Bigamus reputatur, & ad Ordinem Superiorem ascendere non potest, nec in suscepto ministrare *Cap. Nuper. de Bigamis non Ordinandis.*

69 Requiritur in supradictis casibus copula, ad hoc ut contrahatur Irregularitas, ut bene probat Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *disp.* 83. *n.* 4. 5. *&* 6. ex variis Juribus, & Doctoribus. Et videtur innui *in dicto Cap. Nuper. in fine*, ibi: *Cum opere subsecuto.* quod ipsum dicitur *in Cap. finali. de Bigam. non Ordinandis.*

70 Præterea qui in Diaconatu constitutus matrimonium init cum aliqua virgine, & unica, quanvis matrimonium sit nullum, tamen si cum ea conjungitur, non potest ad Sacerdotium ascendere, nec suum Ordinem exercere, sine dispensatione Episcopi. Dixi (cum unica, & Virgine) quia si fuerit Vidua, non potest Episcopus dispensare. *ex Cap. Nuper. & cap. Finali. de Bigam. non Ordinand.* Sanchez cum innumeris, quos citat *dicto lib.* 7. *de Matrim. disp.* 86. *n.* 20. Quod si fuerit Subdiaconus, & Religionem ingrediatur, potest ad alios Ordines ascendere, si verò nolit Religionem intrare, non potest ad alios Ordines ascendere, nec in Subdiaconatu ministrare, sed solùm in Minoribus. *Cap.* 1. *&* 2. *Qui Clerici, vel voventes &c.* Sanchez. *dicto lib.* 7. *disp.* 89. *n.* 5. Et ratio est, quia etiã

Digitized by Google

iſte talis incurrit Bigamiam ſimilitudinariam; nam poſt votum ſolemne Caſtitatis annexum Ordini Sacro, defacto ad alias nuptias tranſit.

71 Sunt aliqui Doctores, qui nolunt hunc, qui cum virgine unica poſt Ordinem ſacrum matrimonialiter copulatur, appellare Bigamum, ſed dicunt hanc Irregularitatem, quam iſte talis habet, eſſe propter Ordinis reverentiam, & in pœnam incontinentiæ, non autem propter Bigamiam; ſed alii multi, quos adducit Sanchez *loc. cit. dicto n.* 5. volunt hanc Irregularitatem eſſe Bigamiæ ſimilitudinariæ, ob rationem dictam.

72 Rurſus qui uxorem unicam, & virginem duxit, & cum ea commiſcetur, poſtquam ipſa cũ alio adulteravit, ſi hoc comprobatur, ideſt conſtat per facti evidentiam, eſt Bigamus; ideoque Irregularis. *Can. Si cujus.* & *Can. Si Laici uxor. diſt.* 34. unde iſte tentans Ordines recipere poſt mortem uxoris, eſt repellendus in foro externo.

73 Suſtinent plures Doctores apud Barboſam *n.* 122. & Sanchez mox citandum, quod talis Irregularitas incurritur etiamſi vir ignoret uxorem ſuam fuiſſe adulteratam, dummodo poſt illud adulterium, eam cognoſcat, quanvis alii oppoſitum ſuſtineant. Videatur Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. diſp.* 84. *n.* 15. ubi innumeros Canoniſtas adducit ad probandum, quod non requiratur ſcientia in viro ad contrahendam hanc Irregularitatem in foro conſcientiæ, ſed ſolùm requiritur adulterii notitia, ad hoc ut poſſit Epiſcopus in foro externo repellere talem virũ Ordines petentem. Quod idem dicitur de eo, qui putat ſuam uxorem fuiſſe virginem, quando ea re vera erat corrupta. Legatur dictus Sanchez, qui eruditè, ut ſolet, hanc quæſtionem exagitat *loco citato*. ſicut etiam plures alias quæſtiones ad Bigamiam pertinentes, *à diſp.* 83. *uſq; ad* 86. in qua agit de diſpenſatione quo ad hanc Irregularitatem. Item legi poteſt Joannes Guttierrez *lib.* 1. *Canonic.*

Digitized by Google

vonic. quæstio. cap. 25. *n.* 15. ubi ait communem esse sententiam, quod talis Irregularitas contrahatur a Cognoscente uxorem post adulterium, non solùm si ipse sit ignorans, verùm etiam si ex præcepto Judicis Ecclesiastici uxorem invitus cognoscat.

74 Præterea qui uxorem accipit Meretricem, aut Ejectam, aut Ancillam, aut publicis spectaculis mancipatam, non est ordinandus. *Can. Si quis viduam. il secondo. dist.* 34. Ejecta est, quæ à Marito vivente projicitur, Meretrix verò, quæ pluribus copulatur: *Can. Vidua est. eadem dist.* 34. Idipsum dicitur de eo, qui accipit uxorem Mimam, Scenicam, Joculatricem &c. etiamsi fuerit virgo, quia ut diximus, talis Maritus sit infamis, licèt non Bigamus, si talis uxor sit virgo.

75 Denique qui plures habuit Concubinas, quanvis non facilè debeat ordinari, tamen non est Bigamus, ideoque ex hoc capite ordinari potest. *Cap. Quia circa. de Bigam. non Ordinand.* Quod ipsum dicitur de eo, qui mortua uxore virgine, concubinam habuit. Ratio est, quia Concubinarius non præsumitur in carnis conjunctione vivere velle; sicuti qui matrimonio copulatur; Hoc enim impedimentum Bigamię est ex defectu significationis Sacramenti Matrimonii; ideſt unionis Christi cum Ecclesia. *Cap. Debitum Pastoralis. de Bigam. non Ordinand.* Qui enim dividit carnem suam cum pluribus uxoribus, jam nō repræsentat eam unionem, quæ habetur per hoc, quod sint duo in carne una.

76 Hinc tres sunt species Bigamiæ, prima est, quando quis duas accipit uxores, & cum eis commiscetur; & hæc est verè, & propriè Bigamia. Secunda est, quando unam accipit non virginem, aut duplex matrimonium init, & consummat, quorum unum sit invalidum, aut utrunque; & hæc est Bigamia interpretativa. Tertia est, quando Monachus Professus, aut aliquis in Sacris constitu-

Digitized by Google

ſtitutus, matrimonium contrahit, & conſummat cum una, & virgine; & hæc eſt Bigamia ſimilitudinaria. Sanchez *lib. 7. de Matrim. diſ. 83. n. 2.*

77 Ex quibus tandem conſtat, quod qui accipit in uxorem Virginem, quæ fuerat deſponſata alteri, aut poſt matrimonium illius ratum, & non conſummatum cum altero, non eſt Bigamus, quia hic carnem ſuam non diviſit in plures. *Eodem Cap. Debitum. in fine.*

78 Dico undecimò: Conjugati non poſſunt ad Ordines promoveri. *Cap. Sanè. de Cleric. conjug.* & *Cap. Conjugatus. de Converſ. conjug.* & *Cap. finali. de Tempor. Ordinat. in 6.* niſi velint de conſenſu uxoris Religionem intrare, vovente etiam continentiam uxore. Quod ſi ipſa non ſit ſenex, debet etiam Religionem intrare, & profiteri, ut vir ejus aſcendat ad ſacros Ordines, juxta *Cap. Uxoratus. & Cap. Ad Apoſtolicam. de Converſ. conjug.* prout jam explicavimus *lib. 1. cap. 14. §. 1. a n. 4.* & videri poteſt Pignatelli *tom. 3. tota Conſ. 42.* Si quis uxoratus non ſervatâ dictâ formâ, defacto ordinetur in Sacris, manet ſuſpenſus in perpetuum ab Ordine, & impeditur aſcendere ad alios, etiam poſtquam fuerit ſolutum matrimonium. *Extrav. Antiquæ. Joannis 22. de Voto.* An autem poſſit vir in Sacris ordinari propter uxoris notorium adulterium, inquirit Guttierrez *lib. 1. Canonic. quæſtio.* & negativè reſpondet *a n. 13. uſque in finem. cap. 25.* dum ipſa vivit, & non intrat Religionem, cujus ſententia quanvis ſuſtineatur ab aliis, quos refert Pignatelli *tom. 8. Conſul. 133.* tamen quod poſita notorietate adulterii uxoris, poſſit vir innocens ad ſacros Ordines promoveri ſine ulla diſpenſatione, nec requiſito conſenſu uxoris, mihi videtur dicendum cum eodem Pignatelli, & aliis, quos adducit. Ratio eſt quia ſicuti poteſt ad Religionem tráſire, ita ſuſcipere ſacros Ordines invitâ uxore adultera, cum adulterium privet omni Jure maritali. Unum notat

Digitized by Google

tat idem Pignatelli *n.* 8. quod si vir innocens sit in periculo incontinentiæ, debet uxor adultera cogi ad perpetuam clausuram; si verò nullum sit tale periculum, sine ulla dispensatione, aut licentia promoveri potest ad Ordines sacros. Verùm Sanchez *lib.* 10. *de Matrim. disp.* 11. *n.* 17. *in fine.* ait, quod licèt sit periculum incontinentiæ, quia cum Dei gratia possit tentationibus resisti, licitum est viro innocenti Ordines suscipere. Videatur idem Sanchez *tota prædicta disputatione.* ubi *a n.* 16. quamplurimis citatis defendit trāditam nostram assertionem.

79 Notandum, quod non solùm ad sacros Ordines non possunt Conjugati promoveri sine consensu uxoris &c. sed neque ad minores, ut colligitur *ex dicto cap. Finali. de Tempor. Ordinat. in* 6. & docet Barbosa *n.* 127. Azorius *p.* 1. *lib.* 13. *cap.* 13. *q.* 7. *in fine.* Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. dis.* 38. *n.* 6. cum pluribus Canonistis; nam requiritur in tali conjugato, ut primam Tonsuram accipiat & minores Ordines, votum continentiæ, quod facere non potest sine uxoris consènsu, & ideo requiritur, quia ad Sacros Ordines debet ascendere. *ex eodem cap. finali. de Tempor. Ordinat. in* 6. unde ad hoc ut post minores acceptos, non redeat ad uxorem, exigitur ab eo votum Castitatis. Sanchez cum pluribus Canonistis *loco citato n.* 8. & 9. Quod si quis defacto sine prædicta forma ordinetur in Minoribus, manet suspensus durante solùm Conjugio. Barbosa cum aliis *n.* 129.

80 Notandum secundò: quod Ordinati in minoribus, non prohibentur uxorem ducere, sed eam ducendo amittunt ipso facto Beneficia Ecclesiastica, & ab Ordinum executione suspenduntur, durante Conjugio. *Cap.* 1. *de Cleric. conjug.* & Doctores ibi, quos sequitur Azorius *p.* 1. *lib.* 13. *cap.* 13. *q.* 8.

81 Notandum tertiò: quod Græcis permissum est uti matrimonio ante susceptos Ordines sacros contracto cū unica,

unica, & virgine; ad ſecundas autem Nuptias tranſire nequeunt. Videatur de hac materia Azorius *dicto lib.13. cap. 13. tota prima quæſtione.* & ideo etiam permiſſum eſt, ut conjugati Græci ad ſacros Ordines promoveantur, ſine voto Caſtitatis emiſſo. *Cap. Cum olim.de Cleric. conjug.*

82 Quæres hìc, an poſſit Summus Pontifex concedere, ut quis Sacris initiatus, contrahat matrimonium, aut quod utatur matrimonio ante ſacros Ordines contracto in Eccleſia latina.

Reſpondeo cum Barboſa *lib. 1. Jur. Eccl. cap.37.n. 27. & 28.* Azorio *eadem p.1. lib. 13. cap. 13.q. 5.* Soto *lib. 7. de Juſt. q.7. art. 2.* & Abbate Panormitano mox citando, quod ex graviſſima cauſa, qualis eſſet ſalus Reipublicæ, & pax, ut quis in Regno ſuccedat, vel ad fidem convertatur Regnum, ſi in eo ſuccedat ille, qui eſt in Sacris, poteſt Summus Pontifex diſpenſare in voto Caſtitatis, quod habet Ordinatus in Sacris, & concedere ut talis contrahat matrimonium, aut quod utatur matrimonio, quod fortè contraxerat ante ſuſceptionem Ordinis ſacri propter cujus ſuſceptionem ab uxore ſeparatus eſt. Idipſum docet cum Sanchez Guttierrez *de Matrim. cap. 123. n. 1.* Item poteſt Summus Pontifex, ſed non debet facere, niſi ex graviſſima cauſa, ut quis non emiſſo voto Caſtitatis ordinetur in Sacris, & ſic cum Ordine ſacro contrahat matrimonium. Ratio eſt, quia hæc lex, ne ordinetur quis in Sacris, niſi promittat caſtitatem, eſt lex humana; non enim eſt de Jure divino annexa Ordini ſacro Caſtitas, aliter Græci peccarent, ut bene ait Abbas Panormitanus *in Cap. Cum olim.de Cleric. conjug.n.5.* ergo poteſt Summus Pontifex eam annullare, & aliâ facere, ſcilicet ne promittatur Caſtitas urgente graviſſima neceſſitate, quę quidem pro aliquo caſu particulari accidere poteſt; non enim videtur poſſe dari juſtam cauſam, ut abſolutè abrogetur lex emittendi votum Caſtitatis ab iis, qui petunt in Sa-

cris

cris ordinari; & ideo semper, & costanter in Ecclesia latina talis lex servata est; nec unquam Summus Pontifex, nec Concilia generalia eam annullare voluerunt. Unde minùs cautè locutus est Abbas Panormitanus *lo. c.* dum dicit, quod Ecclesia deberet Sacerdotibus concedere uxores, quoties experientiâ constat, quod non contineantur.

83 Quæres secundò: An si quis suscipiat sacros Ordines post matrimonium, possit reddere debitum sine peccato uxori suæ.

Respondeo cum distinctione, aut enim post matrimonium consummatum ordinatus est invitâ, & nesciente uxore, aut ipsa consentiente. Si ipsa consentiente, debet cogi ad intrandam Religionem uxor, si est suspecta; cum & ipsa debuit votum continentiæ emittere, unde Ordinatus nec potest petere debitum, quia est voto astrictus; nec reddere, quia uxor illicitè peteret, cum & ipsa esset voto castitatis astricta. Si verò inscia, aut invita uxore sit ordinatus, reddere potest debitum, quia uxor non cessit Juri suo; non autem petere, quia est voto astrictus.

84 Quod si matrimonium non fuerit consummatum antequam susciperet Ordinem sacrum, non poterit petere, nec reddere debitum; non petere, quia jam habet votum Castitatis; non reddere, quia potest implere votum ingrediendo Religionem, etiam invita uxore; dum enim matrimonium non est consummatum, potest quis Religionem intrare, uxore libera remanente ad contrahendum cum alio, ut dictum fuit suo loco. ergo cum iste talis possit votum suum implere eligendo Religionem, debet eam eligere, ut impleat. Sic Azorius *p.* 1. *lib.* 13. *cap.* 14. *q.* 2. cum Paludano, & aliis. Non desunt tamen Doctores, qui dicunt, non teneri istum intrare Religionem, sed posse consummare matrimonium, non quidem petendo, sed reddendo debitum, si inscia, & invita uxore fuit ordinatus,

85. Quæres tertiò: An uxor Græci Sacerdotis, mortuo viro, possit nubere.

Respondeo, quod, si ista annuit Ordinationi mariti, non potest cum alio contrahere, quia eo ipso, quod consensit Marito, ut in Sacris ordinaretur, cessit Juri suo; si autem Maritus, eâ insciâ, aut renuente, sit ordinatus, poterit alteri nubere, quia non cessit Juri suo. Ita D. Thomas *in Additionibus, seu Supplem. ad 3. p. q. 53. art. 4. ad 4.* Azorius *loco citato q: 7.* Cedere autem Juri suo dicitur uxor Græci Sacerdotis, quia eo ipso, quod consentit, ut vir suus fiat Sacerdos, obligat se ad hoc, quod ipsa in perpetuum alteri non nubat, quia aliter significatio matrimonii, idest quod sint una caro, non servaretur; quæ significatio, ut ait Sanctus Doctor, in matrimonio Sacerdotis præcipuè exigitur. Adde quod *Can. Si se.* & *Can. Si qua vidua. dist.* 28. excommunicatur uxor Diaconi, aut Presbyteri, quæ mortuo marito alteri nubit.

86. Dico duodecimò: Servi, seu Mancipia ordinari non possunt, nisi restituantur plenæ libertati. *Can.* 1. & *seq. dist.* 54. & toto titulo *de Servis non ordinandis.* Quod si aliquis servus ordinetur sciente, & non contradicente Domino, statim servus fit liber. *Can. Si Servus sciente. dist.* 54. Si verò Domino ignorante, aut contradicente, sciente verò Episcopo ordinante, servus ordinetur in Sacris, ipse fit liber, sed Episcopus tenetur duos servos æquè bonos tradere Domino, aut pretium duorum. *Can. Si servus absente. eadem dist.* Si autem Episcopus nescierit eum esse servum, sed alii præsentaverint, aut testimonium pro eo perhibuerint ad hoc ut ordinaretur, tenentur isti præsentantes, & testificantes ad restitutionem Domino faciendam. *Eodem Can. Si servus absente.* Quod si ignorante Domino, aut sciéte, & contradicente, & ignorante Episcopo, servus suscipiat Ordines Minores; debet, volente Domino, redire ad servitutem, & deponi ab Ordinibus.

Can.

Digitized by Google

Can. Ex Antiquis. dist. 54. Si verò susciplat Ordines Majores, debet in Ordine permanere, sed dare Domino suo alium pro se ipso, vel pretium. *Cap. Miramur. de Servis non ordinand.* Quod si servus non habeat pretium dandum pro se Domino, deponatur ab Ordinibus, & servituti restituatur si Subdiaconus, aut Diaconus fuerit. Si autem fuerit Presbyter, serviet Domino in divinis Officiis, idest celebrando, & recitando horas Canonicas pro eo. *Can. Frequens. dist.* 54. & *Cap. Nullus. de Serv. non ordinand.* Denique si Dominus infra annum non reclamaverit, adversus servum, quem scit ordinatum esse sine suo consensu, servus manet liber, & Dominus eum amplius repetere non potest. *Can. Si servus sciente. dist.* 54. Hæc autem intelliguntur de servo, qui est emptus à Domino, aut alio titulo acquisitus, & de eo, qui ex Patre, & Matre servis natus est; non autem de eo, qui ex Patre servo, & Matre libera est procreatus, nam hic potest ordinari, & liber est. *Cap. Dilectus. de Servis non ordinandis.* & Doctores ibidem.

87 Dico decimotertiò: Curiales ordinari non possunt. *Can. Præcipimus. dist.* 34. & *Can. Unico. dist.* 54. *Can. Si quis. dist.* 77. Qui autem sint Curiales, qui prohibentur ordinari, explicatur à Doctoribus esse eos, qui in quacunque Curia sæculari sunt Ministri in causa sanguinis, ut Tabelliones, Sollicitatores, Procuratores, Advocati, Judices, & omnes alii inferiores Ministri. Ita Svarez *de Cens. tom.* 5. *dis.* 47. *sec.* 4. *n.* 1. Hi omnes dum à Curia non absolvuntur, non possunt ordinari. *Can.* 2. & 3. *dist.* 51. & absoluti à Curia, si aliquem ad mortem damnaverunt, vel aliquo modo ad sententiam mortis cooperati sunt, non possunt sine dispensatione ordinari. Ministri autem inferiores, ut Lictores, & cæteri, quia sunt infames, nec ordinari possunt.

88 Dico decimoquartò: Obligati ad ratiocinia, idest

Digitized by Google

ad reddendas rationes alicujus administrationis publicæ, aut etiam privatæ Personæ, non possunt ordinari, nisi priùs depositio officio, & redditis rationibus. *Cap. Unico. de Oblig. ad Ratioc. ordinand. vel non.* Et Doctores ibidem. Verùm excipitur primò, qui est administrator rerũ Ecclesiasticarum, aut miserabilium personarum, aut piæ causæ; is enim ordinari potest non depositâ administratione. *Can. Ultimo. dist.* 86. & *Can. Indicatum. dist.* 89. excipitur secundò, qui Fidejussores præstiterit pro reddendis rationibus. Abbas Panormitanus. *Cap. Unico. De Oblig. ad Ratioc. &c. Cap. Unico. n.* 10.

89 Dico decimoquintò: Corpore Vitiati ordinari non possunt. *Can. Illiteratos. dist.* 36. & per totum titulum *de Corpore vitiatis ordinandis vel non*. Sunt autem Corpore vitiati, qui aliquo membro carent, vel aliqua parte Corporis, ita debiles sunt, ut exercere Ordinem non possint, v. g. qui pollice, aut indice caret, vel manum habet mutilatam, & ideo caret membro necessario ad consecrationem; vel qui sunt adeo deformes, ut offensionem populi parerent, si in altari ministrarent; vel qui carent oculo sinistro, qui vocatur Canonicus, idest quo legitur commodè Canon Missæ. In universum igitur ajunt Canonistæ, ut bene notat Van Espen *p. 2. Jur. Eccles. tit.* 10. *cap.* 5. *n.* 11. *ver. Quisquis igitur.* quod ille defectus Corporis inducit Irregularitatem, qui vel simpliciter impedit executionem Ordinis, vel talem habet deformitatem annexam, ut functiones Ordinis securè, & sine periculo, aut offensione populi peragere non sinit. Videatur Barbosa *dicto Cap.* 33. *lib.* 1. *Jur. Eccl. à n.* 136. *usque ad* 147. ubi ad casus particulares descendit, & varios citat Authores. Similiter videri potest Busembaum *lib.* 7. *cap.* 5. *dub.* 5. *ver. Secunda*.

90 Unum non est omittendum, quod scilicet, qui se castraverunt, aut passi sunt ab alio castrari, non possunt ordi-

Digitized by Google

ordinari. *Can. Si quis abscidit. dist.* 55. & *Can. Si quis à Medicis. eadem dist.* Quod si quis non sponte, sed casu fuerit sectus, vel castratus, nimirum, vel propter infirmitatem, vel à Barbaris, vel dum erat in cunabulis, non prohibetur ordinari, nec prohibetur exercere Ordinem, quem habebat, antequã ita castraretur, vel secaretur. *Can. Si quis pro ægritudine.* & *Can. Eunuchus. eadẽ dist.* 55. & *Cap. Ex parte. de Corp. vitiat. &c.* Nec est opus, ut virilia redacta in pulverem, aut sicca secũ portet, ut bene docent Abbas Panormitanus. *in dictum Cap. Ex parte. n.* 6. Toletus *in summa lib.* 1. *cap.* 63. *n.* 4. *ad finem.* Barbosa *n.* 147. & alii multi. Quod si quis Sacerdos ob amorem Castitatis fecerit sibi amputari virilia, poterit ex dispensatione Episcopi celebrare. *Cap. Significavit. de Corp. vitiat. &c.* quanvis in hoc erraverit, itaut si quis non ordinatus id faciat, nõ potest ordinari. *dicto Can. Si quis pro ægritudine. dist.* 55.

91 Notandum præterea hìc est, quod circa deformitatem Corporis, ut sit tanta, quæ inducat Irregularitatem, vel non, ad Episcopum spectat judicare. Glossa *in Cap. Cum de tua. de Corp. vitiat. &c.* & Canonistæ communiter, ut ajunt Van Espen. *l. c. n.* 12. *ver. Judicare,* & Barbosa *de Potest. Epis. p.* 2. *alleg.* 42. *n.* 60. Superiores autem Regulares circa suos subditos, si privilegium habent, possunt judicare; si non habent, debet Episcopus de deformitate corporis decernere etiam circa Regulares. Unde est, quod quando petitur dispensatio à Curia Romana, hæc Episcopo rescribit, & committit facultatem dispensandi, cum solus Episcopus habeat facultatem judicandi de defectu Corporis. *ex dicto Cap. Cum de tua. de Corp. vitiatis &c.* Ita Van Espen *n.* 17. & 18. Verùm Diana cum aliis *p.* 4. *tract.* 2. *Resol.* 73. ait, spectare ad Superiorem Regularem judicare de deformitate sui subditi, quanvis possit Episcopus reiicere arbitrium dicti Superioris.

Digitized by Google

92 Dico decimosextò: Arreptitii, seu obsessi a Dæmone, & qui à Dæmonio vexantur, non possunt ad Ordines promoveri, nec ministrare in Ordine susceptо. *Can. Maritum. & Can. Communiter. cum duobus seq. dist. 33.* Quod si quis post Ordinem susceptum fuerit à Dæmonio obsessus, debet ita suspendi, ut nisi post unius anni spatium, in quo non fuerit molestatus, arbitrio Episcopi judicetur restitui. Svarez cum aliis. *De Cens. disp. 51. sec. 5. n. 5. & 7.* ex dicto *Can. Communiter*. Similiter Phrenetici, Amentes, & Epileptici non possunt ordinari.

93 Dico decimoseptimò: Illegitimi non possunt ordinari. *Cap. Cum in cunctis. de Elect. cap. 1. de Filiis Presbyt. ordinand. vel non.* & Trident. *sess. 23. de Refor. cap. 5.* Qui autem sint Filii legitimi, qui verò illegitimi breviter dicam. Legitimi sunt, qui ex justis nuptiis, seu legitimo matrimonio nati sunt. *Cap. Causam. & cap. Pervenit. Qui Filii sint legitimi.* Unde qui non sunt ex viro, & uxore in matrimonium justum conjunctis nati, sunt illegitimi.

94 Notandum tamen primò: quod qui ex Parentibus publicè, & solemniter coram facie Ecclesiæ, sed propter aliquod impedimentum occultum, nulliter conjunctis in matrimonium, nati sunt, quamvis deinde matrimonium declaretur nullum, manent legitimi. *dicto Cap. Pervenit. & cap. Cum inter. Qui Filii sint legitimi.*

95 Notandum secundò: quod legitimi sunt illi, qui sunt procreati à Soluto, & Soluta habilibus ad matrimonium, quando Filios genuerunt, si deinde in matrimonium tales Genitores conjungantur. *Cap. Tanta.* & ibi Glossa, & Abbas. *Qui Filii sint legitimi.* Quod si, quando Filium genuerunt, non erant habiles ad contrahendum inter se matrimonium, quia v. g. alter erat conjugatus, quamvis postea mortuâ uxore hic duceret in uxorem illam, ex qua habuit illum Filium, hic non legitimatur, sed manet ille-

Digitized by Google

illegitimus. *Cap. Causam. & dicto cap. Tanta. Qui Filii sint legitimi.*

96. Notandum tertiò: quod Filii Infidelium, qui cum aliquo impedimento Canonico matrimonium ritu proprio contraxerunt, si postea dicti Parentes convertantur ad Fidem, manent eorum Filii legitimi. *Cap. Gaudemus. Qui Filii sint legitimi.*

97. Dico tandem prædicta impedimenta habent locum, quo ad omnes Ordines, excepto defectu tituli Beneficii, vel Patrimonii, qui solùm Ordinem sacrum impedit; faciliùs tamen quo ad Minores, quàm quo ad Majores Ordines in aliquibus ex prædictis impedimentis dispensatur.

§. SEXTUS.

NOTABILIA DE IRREGULARITATE.

98. NOtandum primò quod qui cum aliquo ex prædictis impedimentis ordinatur, aliquoties est ipso Jure suspensus, & privatus ascendere ad alium Ordinem; aliquoties est per sententiam suspendendus. Suspenduntur ipso Jure, qui ante tempus, vel Bigami, vel Conjugati, vel Excommunicati, aut certis implicati ordinantur. Item Hæretici, & qui sine titulo ordinantur, & qui à non proprio Episcopo, & qui extra tempora ordinantur. Cæteri sunt ad arbitrium Episcopi suspendendi. Similiter Episcopus scienter ordinans aliquem cum impedimento, in quo ipse dispensare non potest, ipso Jure est quandoque suspensus, quandoque puniendus à Papa. Barbosa *n.* 165. & 166. *dicto cap.* 33. *lib.* 1. *Jur. Eccl.*

99. Nota secundò: quod prædicti omnes dicuntur Irregulares, idest à Regula tradita per sacros Canones de ordinandis, alieni. Hinc Irregularitas definitur communiter:

niter: Impedimentum Canonicum susceptionem Ordinis, aut eorum usum impediens.

100 Dividitur Irregularitas in duas species, nimirum in eam, quæ est ex delicto, & in eam, quæ est ex defectu. Deinde in eam, quæ privat omnium Ordinum susceptione, & usu omnium susceptorum, & in eam, quæ privat susceptione alterius Ordinis, sed non usu alicujus susceptí, ut est superveniens carentia oculi sinistri, quæ privat Diaconum ascensu ad Sacerdotium, non tamen privat usu Diaconatus.

101 Est Irregularitas ex delicto, quæ provenit ex aliquo delicto ex numeratis, nimirum, vel iteratione Baptismi, vel ex Hæresis crimine, vel ex Ordine susceptο cum excommunicatione &c. vel ex homicidio, & mutilatione, ut dictum fuit in superioribus.

102 Irregularitas ex defectu, vel est ex defectu Animæ, quam habent Amentes, Arreptitii, Neophyti, Illiterati; vel ex defectu ætatis; vel ex defectu bonæ famæ; vel ex defectu natalium; vel ex defectu significationis Sacramenti; vel ex defectu Corporis; vel ex defectu lenitatis, idest mansuetudinis Christi, de quibus omnibus jam locuti sumus.

103 Quis autē dispensare possit in Irregularitatibus supradictis, brevitatis dico: Papa dispēsare potest in omnibus Irregularitatibus; rarò tamen dispēsat in Bigamia vera, & homicidio voluntario notorio, aut defectu valde notabili Corporis. Episcopus autem dispensare potest in omni Irregularitate proveniente ex crimine occulto, idest non notorio aut famoso: non autem in homicidio voluntario etiam occulto. Probabile tamen est, quod in homicidio indirectè voluntario, aut causâ defensionis, occulto, possit Episcopus dispensare, ut diximus *n.* 54. sicut etiam in mutilatione occulta. Quanvis autem non dispenset Episcopus, nec possit dispensare in vitio Corporis,

poris, tamen declarare potest non esse vitium inducens Irregularitatem. Finito judicio, si Reus est absolutus, aut occultè punitus,& toleratus,potest Episcopus dispensare super Irregularitate ex crimine.In ordine ad recipiendos Ordines minores potest Episcopus dispẽsare in homicidio indirectè voluntario etiam notorio, non potest tamen in Irregularitate ex defectu lenitatis dispensare. Denique in Irregularitate ex defectu natalium,quo ad minores Ordines, & Beneficia minora simplicia, dispensare potest Episcopus. Quo ad majores Ordines, & Beneficia Curata, aut majora, ut sunt Canonicatus, & Dignitates, solus Papa dispensat.Hæc breviter tacta sufficiant. De potestate dispensandi in Irregularitate,& suspensione, quam habet Episcopus, videri potest Barbosa *lib.* 1. *Jur. Eccl.cap.* 11. §. 4. *à n.* 135. *usque ad* 174. Similiter qui plura desiderat de Irregularitate, legat Layman *lib.* 1. *tract.*5. *p.*5. Svarez *de Cens.à disp.*40. *usque ad* 51.*per totam.* Thomam Tamburinum *lib.* 10. *in tom. qui inscribitur de Sacram. Contr. & Cens. tract.*4. Dianam *p.*4. *tract.*2. & Barbosam *lib.* 1. *Jur. Eccl. cap.* 33. *toto* §. 1.

§. SEPTIMUS.

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM.

104 Dico primò: sunt statuta tempora, in quibus debent sacri Ordines, itaut sine dispensatione Apostolica non possint extra dicta tempora conferri, nimirum Sabbato post primam Dominicam Quadragesimæ, quod est Sabbatum quatuor temporum Veris; Sabbato ante Dominicam Passionis; Sabbato Sancto, & Sabbatis aliorũ quatuor temporum per annum.*Can.Ordinationes. dist.*75. *Can.Unico.dist.*52. & *Cap. De eo. de Tempor. Ordinat.*

105 Ordinatio Episcopi fit in die Dominico. *Can.* 1.

Digitized by Google

dist. 75. Ordinatio Clericorum in minoribus potest tum iisdem temporibus fieri, tum etiam quocunque die Dominico, vel festivo, dummodo non videatur fieri Ordinatio generalis; sed ordinentur duo, vel plures. *Eodem Cap. De eo. de Tempor. Ordinat.* Goffredus *in Sum. de Temp. Ordinat. &c. n. 1.* Licitum tamen est ex consuetudine in feria sexta præcedente Sabbatum quatuor temporum à prandio conferri Ordines minores, eo quia censetur incipere dies Sabbati, ut ait Barbosa *dicto lib. 1. Jur. Eccles. cap. 33. §. 2. n. 173. in fine*.

106 Est autem in quæstione, an nomine diei festi tum pro minoribus, tum pro majoribus Ordinibus, quando conceditur dispensatio, ut in tribus diebus festivis quis ordinetur, veniat solus dies feriatus, in quo Fideles tenentur abstinere ab operibus servilibus, an verò quicumque dies, in quo fit festum duplex alicujus Sancti. Probabilior & quæ practicatur, opinio est, quod requiratur festivitas præcepta, & non sufficiat, quod ea die fiat Officium duplex. Ita Vivaldus *tit. de Sacram. Ordin. n. 35. ver. Tertia Conclusio.* Azorius *p. 2. lib. 1. cap. 27. quæst. 19.* & alii multi. Denique prima Tonsura potest quocunq; die conferri.

107 Dico secundò: inter unum, & alium Ordinem debent interstitia temporum servari, ita ut non possint eodem die plures Ordines suscipi. *Can. In singulis. dist. 77.* Ex Tridentino autem *sess. 23. de Reform. cap. 11.* statuitur, ut etiam in minoribus Ordinibus serventur interstitia Temporum, nisi aliter Episcopus judicaverit, unde est, quod nunc possint, Episcopo judicante, recipi eodem die prima Tonsura cum quatuor minoribus Ordinibus. *Eodem cap. 11.* dicitur, quod nemo ad Subdiaconatum promoveatur, nisi post annum à susceptis minoribus Ordinibus. Duo autem sacri Ordines eodem die suscipi non possunt, ex eodem Tridentino *eadem sess. cap. 13.* ubi similiter

Digitized by Google

militer dicitur, quod non nisi post annum a Subdiaconatu possit quis ascendere ad Diaconatum. & *cap.* 14. dicitur, quod non ordinetur Presbyter, nisi post annum à Diaconatu; sed quia item dicitur, nisi propter necessitatem, & utilitatem Ecclesiæ aliter Episcopo videbitur, ideo Episcopus in interstitiis dispensare potest, si adsit utilitas, aut necessitas Ecclesiæ.

108 Est hìc valde celebris quæstio, an simul cum minoribus Ordinibus possit conferri eodem die Subdiaconatus; & aliquibus videtur quod sic: quia Concilium Trident. *dicto Cap.* 13. solùm prohibet susceptionem duorum sacrorum Ordinum eodem die. Contrarium tamen tenent communiter Doctores, quos sequitur, & citat Barbosa *p.* 2. *Alleg.* 14. *n.* 10. *de Offic. & Potest. Episc.* & Guttierrez *lib.* 1. *Canonic. quæstio. Cap.* 26. *n.* 30. *&* 31. Numero autem 32. ait, quod si fuerit talis consuetudo conferendi Subdiaconatum simul cum minoribus Ordinibus, non improbatur. Affert tamen Pignatelli *tom.* 1. *Consult.* 319. Declarationem Sacræ Congregationis, quâ dicitur, non licere Episcopis quartum minorem Ordinem simul cum Subdiaconatu conferre; Et quod qui ita ordinatus est, indigeat dispensatione, quia aut est Irregularis, si ministravit in Ordine, aut saltem suspensus.

109 Notandum, quod Clerici Societatis Jesu ex Cõstitutione Gregor. XIII. possunt non servatis interstitiis, & extra tempora ordinari; nec comprehenduntur in Decreto Innocentii XII. moderante indulta suscipiendi Ordines extra tempora, in quo Decreto dicitur, nunquam concedenda pro festis diebus continuis, sed cum interpolatione, arbitrio Episcopi definienda. Non comprehenduntur, inquam, Clerici Societatis, prout habetur in Decreto ejusdem Innocentii *die* 17. *Augusti* 1695. tenoris sequentis. *Facto verbo Sanctissimo Domino nostro Sanctitas Sua, prævia declaratione, quod in Decreto de Sacris Ordi-*

Digitized by Google

nibus edito die 14. Decembris 1693. non comprehenduntur Clerici Societatis Jesu; specialiter, & expressè mandavit in eis ad Ordines promovendis servari Constitutionem Gregorii XIII. quæ incipit: Pium, & utile. Datam 22. Septembris 1582.

110 Notandum secundò: quod in dicta Constitutione Innocentii XII. statuuntur causæ, ob quas in posterum concedi potest indultum recipiendi Ordines extra tempora, quarum prima est Beneficium exigens Ordinem Sacerdotalem, vel Cappellania perpetua, cui quis per se ipsum inservire debet. Secunda est penuria Sacerdotum in iis partibus. Tertia est Patris, vel Matris consolatio, dummodo quinquaginta annos ætatis excedant, & qui petit, fuerit per triennium in Clericali statu versatus. Quarta est Canonicatus in Cathedrali, aut Collegiata, vel Referendariatus utriusque signaturæ, vel Familiariatus Summi Pontificis. Quinta est Doctoratus in Theologia, vel in utroque Jure, vel saltem in Jure Canonico, aut studium per triennium Theologiæ. Sexta est excessus ætatis supra vigesimumsextum annum, dummodo per triennium in habitu Clericali sit versatus, qui petit indultum. Ob alias causas nimirum Nobilitatis, aut quia quis est ascriptus alicui Ecclesiæ, aut quia habet onus Missarum non proveniens ex Beneficio, concedi non debent indulta prædicta.

111 Dico tertiò: debent Ordines gradatim suscipi servato gradu eorundem, ita ut primò Ostiariatus, deinde Lectoratus &c. usque ad Sacerdotium. *Can. Si officia. dist. 59. Can. Primo. dist. 77.* Clericus autem per saltum promotus debet Ordinem omissum recipere, & de suo peccato pœnitere. *Can. Primo. dist. 52. & Cap. Unico. de Cler. per salt. promoto.* Ex Tridentino autem *sess. 23. cap. 14. in fine.* habetur, quod si Clericus per saltum promotus non ministraverit in Ordine suscepto, possit cum eo Episcopus

pus ex legitima causa dispensare, & ut omissum recipiat, & ut ad Superiorem Ordinem ascendat. Quod si ille ministraverit in Ordine per saltum suscepto, nō potest Episcopus dispensare. Videatur Fagnanus *in lib. 5. Decretal. cap. Tuæ literæ. de Cler. per salt. prom. à n. 21. usque ad 27.*

§. OCTAVUS.

DE OBLIGATIONIBUS ORDINATORUM.

112 Dico primò: Ordinati tenentur ad omnia ea, quæ dicta sunt *lib. 1. cap. 13. per totum*, ubi diximus, quæ ad Clericos in sacris specialiter spectant, & quæ ad Clericos in minoribus. Item *eodem lib. 1. cap. 12. per totum* diximus ea, ad quæ tenentur, ut gaudeant privilegiis Clericalibus, nimirum Canonis, Fori, Exemptionis à Gabellis, & Tributis, & statutis Principum, & Capituli Odoardus. de Solutionibus.

113 Dico secundò: Præter jam dicta, tenentur Clerici in Sacris ad officium divinum recitandum, etiamsi Beneficiati non sint; Beneficiati enim tenentur, quanvis in minoribus, prout dicetur suo loco. Probant Canonistæ hanc obligationem *ex Cap. Presbyter mane. de Celebr. Missar. &c.* ut videre est apud Fagnanum *in dictum Cap. Presbyter. à n. 12. usque ad 17.* volentes, quod sub ly, *Presbyter*, veniant etiam Diaconi, & Subdiaconi. Probant etiam *ex Can. Siquis Presbyter, aut Diaconus. dist. 92.* quod Diaconi sint obligati ad officium divinum recitandum. Ac demum *ex Cap. Dolentes. de Celebr. Miss.* ubi dicitur, quod etiam minores Clerici debent officium recitare, & nomine minorum intelligunt non Clericos in minoribus, sed simplicem Sacerdotem, Diaconum, & Subdiaconum, quatenus respectivè ad Prælatos, dicuntur minores. Ita Pirhing *lib. 3. tit. 41. in dictum cap. Dolentes. §. 2. n. 16. in fine.*

114 Ce-

Digitized by Google

114 Cęterùm ut verum fatear ex dictis textibus, non satis colligitur obligatio recitandi officium divinum privatim, & extrà Chorum in Clericis in Sacris non habentibus Beneficium; Nam Canones citati locuntur de Clericis deputatis Eccleſiæ, & de officio publico, ut tales Canones conſideranti patet. Quare

115 Dicendum cum Caſtropal. *p.2. tract. 7. de Oratione, Devotione, Horiſque Canonicis diſp.2. §. 1. n.1.* Svarez *lib. 4. de Orat. cap. 16. n. 9.* Navarro *de Horis Canonicis. cap. 7. n. 3.* Layman *lib. 4. tract. 1. cap. 4. n.4.* & aliis, quod obligatio recitandi divinum officium privatim in Clericis in Sacris habeatur ex conſuetudine, & quidem obliganti ſub gravi, ut videtur ſupponere Concilium Provinciale Mediolanenſe primum *p. 2. §. de Horis Canonicis non intermittendis*, in cujus fine ſic legitur: *Qui verò Sacris initiati Beneficium Eccleſiaſticum non habent, ſi divinum officium prætermiſerint, præter grave peccatum, quod committunt, graviter etiam ab Epiſcopis in eos animadvertatur.* Habetur tale Concilium *in tom.4. Conciliorum poſt Concil. Tridentinum*, & fuit celebratum ſub Pio IV. Pontifice Maximo à Sancto Carolo Borromęo S.R.E. Cardinali pro univerſa Italia Legato a Latere, & Archiepiſcopo Mediolanenſi.

116 De Horis Canonicis ſcribunt Moraliſtæ, apud quos videri poſſunt dubia occurrentia, & præcipuè apud Caſtropalaum *loco citato* & apud Layman *loco citato à cap. 3. uſque ad 6. incluſivè*, aut apud Buſembaum *lib. 4. cap. 2.dub.2. art.1.2.3. & 4.* in quibus breviter, ut ſolet, omnes quæſtiones ad Canonicas horas pertinentes reſolvit.

117 Dico tertiò: Ordinatos in ſacris ante annos diſcretionis, non teneri ad Continentiam cum ad ætatem legitimam pervenerint, docuerunt aliqui apud Fagnanũ *lib. 5. Decretal. cap. Tuæ literæ. de Cler. per ſalt. promot. n.* 28. Teneri autem docuerunt alii apud eundem *ibidem & ſeq. numeris.*

118 Di-

Digitized by Google

118 Dicendum cum eodem Fagnano, & aliis, quos affert *n.* 40. quod pro varietate ſuppoſitionum, quæ fieri poſſunt, ſolvenda eſt quæſtio. Aut enim qui eſt ordinatus erat cum uſu rationis, aut ſine uſu. Si cum uſu rationis; jam conſenſit Ordinationi; ſed quia ante decimumquartum annum completum nemo poteſt votum ſolemne Caſtitatis dirimens matrimonium emittere *ex Can.* 1. *& Can. Illud* 20. *q.* 1. ſequitur quod niſi decimoquarto anno ætatis completo, tacitè, nimirum Ordinis privilegiis fruendo, vel expreſsè conſentiat in Ordine, non obligatur ad Continentiam, & poteſt matrimonium contrahere. Si verò ante uſum rationis, fuit ordinatus, & uſque ad decimumquartum ætatis annum, non conſenſit Ordinationi ſuæ, nec illam tacitè ratificavit, non tenetur ad Continentiam, & multò minus ſi factus doli capax contradixit, & in decimoquarto anno ætatis repugnavit. Cæteri caſus videri poſſunt apud eundem Fagnanum *loco citato à n.* 40. *uſque in finem.*

CAPUT TERTIUM.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

MAtrimonium eſſe in lege Evangelica verè, & propriè Sacramentum definit Trident. *ſeſſ.* 24. *de Sacram. Matrim. Can.* 1. De eo longa volumina ſcribunt Doctores, inter quos Thomas Sanchez primum obtinet locum. Nos autem de more curabimus, quæ ad Canoniſtas ſpectant, breviter explicare. Ut autem diſtinctè procedamus, priùs de Sponſalibus, deinde de ipſo Matrimonio, & ejus impedimentis, & diſpenſationibus, ac demum de Divortiis, & ſecundis Nuptiis agemus.

§. PRI-

Digitized by Google

§. PRIMUS.

DE SPONSALIBUS.

QUÆSTIO PRIMA.

QUID SINT SPONSALIA.

1 Dico primò: Sponsalia sic dicta à *Spondendo*, & prout hìc sumuntur in sensu proprio, sunt: *Futurarum Nuptiarum promissio. Ex Can. Nostrates. 30. q. 5. Ex l. autem prima. ff. de Spōsalibus*, definiuntur: *Mentio, & Repromissio Nuptiarum futurarum*. Unde, ut ait Cujacius adductus à Van Espen *p. 2. tit. 12. cap. 1. n. 2.* distant Sponsalia à matrimonio, quantùm Spes à re ipsa. Completissimè definiuntur Sponsalia hoc pacto: *Sunt promissio voluntaria, deliberata, & mutua signo sensibili expressa futuri Matrimonii inter personas Jure habiles.*

Dixi in initio, prout hìc sumuntur, & in sensu proprio, quia Sponsalia possunt accipi in aliis duobus sensibus, ut notant Joannes Guttierrez *tract. de Matrim. cap. 1. n. 1.* & Pirhing *lib. 4. tit. 1. sec. 1. n. 1.* nimirum pro matrimonio ipso rato, ideſt non consummatâ copulâ, pro ut in *Cap. Tertio loco. de Præsumption.* & in *Cap. Accepisti.* & *Cap. Tuas. de Sponsa duorum*. & prout etiam dicitur de Beata Virgine *Matth. 1. Cum esset desponsata*. Item possunt accipi pro muneribus, quæ à Sponso donantur Sponsæ; Unde *1. Reg.* dicitur *non habet Rex Sponsalia necesse*.

2 Sponsalia igitur propriè dicta, nimirum de futuro, de quibus loquimur, (quando enim sumuntur pro matrimonio rato, dicuntur Sponsalia de præsenti) requirunt, sicut & omnis alius contractus, consensum manifestatum, & mutuum, aliter non sunt valida: item debet consensus esse

eſſe deliberatus, ideſt liber, unde qui libertatem ſufficientem non habent ad peccandum, ut ſunt Infantes ante uſum rationis, non poſſunt celebrare Sponſalia.

3 Requiritur præterea, ut ſit mutuus conſenſus, conſenſus enim, & promiſſio ex parte unius, non facit Sponſalia; & inter perſonas Jure habiles, ideſt inter virum, & fœminam, & in ætate requiſita, & in quibus nullum ſit impedimentum ad Matrimonium. Ætas autem ad valorem Sponſalium, eſt illa, in qua habetur uſus rationis, nempe ſeptemnium. *Cap. Literas. de Deſponſatione Impuberum.*

4 Verba denique, per quæ exprimitur conſenſus iſte, ſeu promiſſio voluntaria futuri matrimonii, ſunt: Ego accipiam te in meã uxorem; & ex parte hujus: Ego te accipiam in meum Maritum. Poteſt talis promiſſio exprimi per literas, aut per Procuratorem, ſed Procurator debet ad hunc finem ſpecialiter deputari, nec poteſt alium ſubſtituere, niſi hoc ei ſpecialiter fuerit commiſſum. Lancellottus *lib.* 2. *Inſtitut. Jur. Canon. tit.* 10. *ver. Procurator ex Cap. Qui ad agendum. de Procuratoribus in* 6. Poteſt etiam per miſſionem anuli, & munerum jocalium exprimi talis promiſſio; ſed cum ſubarrhatio anuli ſit indifferens ad Sponſalia, vel Matrimonium, debent præcedere verba unius, quæ indicent promiſſionem futuri matrimonii, & tunc ſi acceptentur arrhæ, & munera jocalia, jam fiunt Sponſalia. Poteſt item nutibus talis promiſſio exprimi. Imò ſi Puella ſit præſens, & Pater, aut Mater, aut Curator pro ea reſpondeat, ipſa tacente, & non contradicente, habetur ejus conſenſus pro expreſſo. Diana *p.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 270. & 271. & habetur *in Cap. Unico. de Deſponſat. Impuberum in* 6. §. *Porro.*

5 Dico ſecundò: Si duo Impuberes, vel Puber, & Impuber contrahant matrimonium per verba de præſenti dicentes: ego te accipio in uxorem, & ego in Maritum:

Digitized by Google

non contrahunt matrimonium, sed Sponsalia, quia quod agitur, si non valet, ut agitur, valet ut potest valere. Ille autem mutuus consensus, licèt non possit valere pro matrimonio, potest valere pro Sponsalibus. *Cap. Unica. §. Item quoque de Desponsat. Impub. in 6.* Lancellottus *lib. 2. tit. 10. §. Et ideo.* item habetur argumentum *ex Cap. Duo pueri. de Desponsat. Impuber.* ubi dicitur oriri ex tali matrimonio impedimentum publicæ honestatis.

6 Dico tertiò: Quanvis Sponsalia non debeant ex præcepto præcedere matrimonium, tamen decens est, ut præcedant, & nunc, stante Tridentino mox citando, præcipiente denunciationes ante matrimonium faciendas à Parocho, moraliter necessarium est, ut Sponsalia præcedant matrimonium.

7 Dico quartò: ex eodem Tridentino *sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrimonii.* non possunt Sponsus, & Sponsa de futuro simul cohabitare, & multò minus carnaliter commisceri antequam coram Parocho, & Testibus matrimonium contrahant, & benedictionem accipiant.

8 Dico quintò: Personæ Jure habiles ad contrahenda Sponsalia non sunt Furiosi, & Amentes perpetui. *Cap. Dilectus. de Sponsal. & Matrim.* quod si pro aliquo tempore sint sine insania possunt pro eo tempore Sponsalia celebrare. Similiter ebrius, tempore ebritatis non potest validè contrahere. Qui est voto Castitatis temporali adstrictus, v. g. ad duos annos, licitè contrahit Sponsalia implenda eo tempore, quo votum ampliùs non obligat. Sicut licitè Impuberes contrahunt Sponsalia implenda per futurum matrimonium, quando erunt in ætate requisita ad illud. Surdus, aut mutus, vel simul mutus, & surdus validè contrahit Sponsalia *ex Cap. Cum apud. de Sponsal. & Matrim.* cum bene possit aliquo signo exprimere suum consensum. Quod si sit simul cæcus, mutus, & surdus à nativitate, dubium est, an possit contrahere Sponsalia,

cum

cum non appareat, quomodo poſſit ſuum conſenſum exprimere, & ideo negat Sanchez *lib.* 1. *de Sponſ. diſp.* 8. *n.* 13. Affirmant autem Hoſtienſis, Joannes Andreas, Cardinalis, Abbas Panormitanus, Alexander de Nævo, & alii adducti ab eodem Sanchez *ibidem*, quod talis poſſit Sponſalia contrahere.

QUÆSTIO SECUNDA.

AD QUID, ET QUANDO OBLIGENT Sponſalia, & ſub quibus Conditionibus fieri poſſint, vel non?

9 Dico primò: Sponſalia etiam occulta, & ſine Teſtibus contracta, obligant ex Juſtitia ſub peccato mortali ad rem promiſſam, nempe ad matrimonium. Eſt ſententia communis, quam tradunt Sanchez *lib.* 1. *de Sponſal. diſp.* 27. *n.* 2. Pirhing *lib.* 4. *tit.* 1. *ſec.* 1. §. 3. *n.* 15. Van Eſpen *p.* 2. *tit.* 12. *cap.* 2. *n.* 1. Et ratio eſt, quia omnis contractus obligat ex Juſtitia ſub mortali, ſi eſt in materia gravi. Accedunt Canones *Deſponſatas. Atho.* & *de Conjugali.* 27. *q.* 2. Item *Cap. Præterea de Sponſal. & Matrim.* & *Cap. Requiſivit. eodem tit.* Hinc *lex* 1. *C. de Sponſal. & Arrhis &c.* ubi conceditur deſponſatæ libertas renunciandi, & alteri nubendi, correcta eſt per Sacros Canones; requiritur enim juſta cauſa ad diſſolvenda Sponſalia, ut dicemus.

10 Dico ſecundò: obligant Sponſalia ad contrahendum matrimonium tempore præfixo, ſicut & cæteri contractus. Quod ſi nullum fuerit tempus præfixum, tunc obligant, quando alter exigit, & commodè poterit, quia commune eſt omni debito, cui non eſt præfixus dies, tunc obligare debitorem, quando creditor exigit. *l. Debitores. C. de Pignorib. & Hypotec.* Dum enim conſcius, & potens

Digitized by Google

exigere, non exigit, censetur consentire dilationi. Ita Pirhing ex aliis *eodem* §. 3. *n.* 16.

11 Dico tertiò: Qui sine causa legitima recusat post Sponsalia matrimonium inire, potest cogi à Judice Ecclesiastico post debitam monitionem per censuras, nisi ex coactione timeatur mala majora, & infelix exitus matrimonii. Hæc assertio procedit, sive Sponsalia sint juramento firmata, sive non, quia ut bene advertunt Pirhing *n.* 18. & Joannes Baptista Bertolinus *in Annotationibus lib.* 2. Lancellotti *tit.* 10. §. *Rursus. ver. Compelli. sub litera D.* quanvis Canon. *Ex literis.* mox citandus loquatur de juratis Sponsalibus, tamen similis ratio militat de non juratis; quia sicut violat juramentum, qui juravit, & non vult stare illi, ita facit injustitiam qui promisit, & non vult stare promissioni, cum pacta legitima, etiam si nuda, sint servanda. *Cap.* 1. *de Pactis*. Igitur in utroque casu habetur similis ratio de peccato, propter quod vitandum, debet fieri compulsio ad fidem servandam.

12 Prædicta Assertio, quo ad monitionem præviam, & coactionem, si monitio non sufficit, per censuras, constat *ex Cap. Ex literis. il seconda. de Sponsal. & Matrim.* Quo ad id autem, quod additur: nisi timeantur mala majora, quo timore posito, non potest deveniri ad compulsionem, constat *ex Cap. Requisivit. eodem tit.* ubi dicitur, quod quia matrimonia libera sunt, non debet mulier cogi ad illud si noluerit stare Sponsalibus, sed potiùs moneri. Hinc ad hoc ut non videantur sibi contradicere dicti Canones, ita intelligi debent, ut ait Pirhing *n.* 20. & Van Espen *p.* 2. *tit.* 12. *cap.* 2. *n.* 3. *ver. Itaque.* nimirum quod Judex omni modo conari debet, ut promissionem Sponsus, vel Sponsa adimpleat. Quod si sine causa noluerit adimplere, compellere debet per censuras. Quod si etiam post censuras viderit pertinacem, debet desistere, & non cogere, ne matrimonium fiat sine libertate, & ne veniant ma-

Digitized by Google

la majora; ideoque tunc absolvere à censura illum debet. Atque idem docent Covarruvias. *in Epitho. lib. 4. Decretal. p. 1. cap. 4. n. 5.* & Sanchez *lib. 1. disp. 29. n. 7.* & & cum pluribus aliis, quos affert.

13 Denique qui fidem datam violavit post Sponsalia, & cum altera matrimonium inivit (quod ipsum intellige de Sponsa respectu Sponsi) non potest compelli, ut redeat ad priorem Sponsam, cum matrimonium illud sequens, licèt illicitum, teneat. Glossa *in dictum Cap. Ex literis. ver. Compellas. in fine. & Cap. finali. de Sponsal. &c.* Si autem sola Sponsalia cum altera contraheret, hæc essent nulla, & ad priora servanda compelli deberet modo supradicto; nisi intercesserit copula cum secunda Sponsa; in quo casu controversum est, an dissolvantur priora Sponsalia per secunda. Videatur Diana *p. 3. tract. 4. resol. 210.* ubi dicit, probabilem esse utranque Doctorum opinionem, & quod scilicet dissolvantur priora Sponsalia, & quod teneant.

14 Dico quartò: Sponsalia etiamsi ex gravi metu injustè incusso sint contracta, adhuc valida sunt, donec à Judice dissolvantur, quanvis matrimonium ex metu gravi initum sit ipso Jure nullum, ut infra dicetur. Ratio est, quia matrimonium semel contractum dissolvi non potest, at Sponsalia possunt dissolvi; & ideo æquum fuit, ut matrimonium ex metu gravi contractum foret nullum, non verò forent nulla Sponsalia; præsertim cum qui ex metu contraxit Sponsalia, si deinde non petat dissolutionem, jam sponte, & sine coactione videtur matrimonium contrahere. Ita Silvester. *v. Sponsalia.* Tannerus. *de Matrim. disp. 8. q. 7. dub. 14. &* 15. Pirhing *loco cit. n. 21.*

15 Dico quintò: In contractu Sponsalium non potest adjici conditio, quæ habeat rationem pœnæ solvendæ ab eo, qui fidem franget, & talis pœna nulla est, tum ex Jure Canonico, ut patet *ex Cap. Gemma. de Sponsal. &*

Matrim.

Matrim. tum ex Jure civili, ut patet ex *l. Mulier. C. de Sponsal. & Arrhis. in fine.* Ratio est, quia matrimonia debent ab omni coactione esse immunia.

16 Quod si pœna non esset solvenda ab uno ex ipsis contrahentibus, sed ab aliis, dico, quod si solvenda est à Consanguineis, vel aliis, à quibus dependent Sponsi, irrita est talis pœna, quia inducit Sponsos ad contrahendum matrimonium, ne Parentes, aut illi alii pœnam solvãt, quod est aliquo modo cogi. Ita Sãchez *lib. 1. de Sponsi. dis. 30. n. 3. & seq.* Si verò sit solvenda pœna ab omnino extraneis, valida est. Idem Sanchez *loc. cit. n. 5.*

17 Hinc quoties talis pœna fuit adjecta Sponsalibus, non debet, qui resilit, eam solvere; & quidem si resiliat ex justa causa, certum est. Si autem sine justa causa resiliat, controversum est; quia stantibus Juribus adductis, videtur, quod non teneatur solvere, & ita docent plures. At juxta *Cap. Ex literis. il secondo* si potest per Censuras compelli, cur nõ potest per solutionem pœnæ conventionalis compelli ad matrimonium? Ita Layman *lib. 5. tract. 10. p. 1. cap. 1. n. 8.*

18 Notandum primò: quod tunc est valida pœna solvenda ab omnino extraneis, quoties extranei illi non se obligant ex mandato Sponsorum, sed sine dolo, nomine proprio, & ex bonis propriis solvere, in casu, quo matrimonium promissum non sequatur inter Sponsos; nam si ex mandato Sponsorum, aut Parentum eorum, se obligant, jam militat eodem ratio prohibitionis. Idem Sanchez cum multis aliis, *eodem n. 5. ver. Quod accipiendum.*

19 Notandum secundò: quod etiam pœna impropriè dicta, nimirum cessatio lucri acquirendi per matrimonium secuturum (pœna enim propriè dicta, est quæ debet solvi ex bonis propriis) etiam, inquam, pœna impropriè dicta si apponatur ab ipsis contrahentibus hoc pacto: si mecum contraxeris matrimonium, dabo tibi centum, vel

si non

si non contraxeris mecum, non dabo tibi centum, est irrita, & ideo talis promissio nulla est. At verò si apponatur ab aliis, nimirum, si tu contraxeris matrimonium cum tali, dabo tibi centum, talis promissio tenet, & qui matrimonium cum tali non contrahit, amittit centum. Ratio est, quia si fiat promissio ab ipsis contrahentibus, censetur promittens velle inducere alium ad matrimonium causa libidinis, & item quia tollitur, aut saltem minuitur libertas ad matrimonium. Si autem fiat ab aliis, non est nisi purum illicium ad matrimonium tale, & habet rationem promissionis liberalis, seu donationis sub tali conditione. Atque ideo multa sunt Legata hoc modo instituta, ut non debeant dari, nisi contrahentibus cum tali genere personarū. Sāch. *lib. 1. de Sponsi. dis. 33. n. 3. & 6.* Layman supra citatus *n. 9.* Pirhing. *lib. 4. tit. 1. sec. 1. §. 4. n. 24.*

20 Dico sextò: Arrhæ in Sponsalibus, quasi pignoris loco traditæ à Sponsis, ita ut eas tradens amittat, si resiliat sine justa causa: & eas restituat accipiens, si resiliat sine justa causa, sunt permissæ non solùm à Jure Civili, sed etiā Canonico, ut docet Sāch. *lib. 1. de Spōs. dis. 36.* Layman *dicto lib. 5. tract. 10. p. 1. cap. 2. n. 8. ver. Confirmatur.* Pirhing. *loc. cit. n. 25.* & alii communiter. Quod si matrimonium sequatur, redeunt ad Tradentem *ex l. Mulier. C. de Sponsal. & Arrhis.* Si uterque tradidit arrhas, & recepit, qui resilit sine causa, & suas amittit, & acceptas reddere debet; si verò solus Sponsus, aut sola Sponsa tradidit arrhas, & matrimonium non sequatur ex culpa accipientis, tenetur accipiens restituere illas, & tantundem de suis bonis, vel triplum, aut quadruplum, si ita conventum sit, dummodo contrahens non sit minor 25. annis; si enim est minor, solùm restituere tenetur quod accepit. *Eadem l. Mulier. C. de Sponsal. & Arr.* Sanchez *dicto lib. 1. disp. 36. n. 2. 7. & 8.* Laymā *ibidem.* Pirhing *ibidē.*

21 Notandum, quod quanvis secuto matrimonio ex

lege

lege communi, debent arrhæ restitui danti, tamen ex consuetudine numerantur inter sponsalitias donationes, & ideo secuto matrimonio, non restituuntur. Layman citatus *Cap. 1. n. 8. & lib. 3. tract. 4. cap. 5. n. 4.*

22 Notandum secundò: quod non est facile assignare rationem cur pœnæ sint prohibitæ, & non arrhæ, quæ habent rationem veræ pœnæ, præsertim cum stipulatione tripli, aut quadrupli, ut ait Layman *loc. cit. ver. Porrò.* Unde concludit, quod tunc adjectio pœnæ est irrita juxta *Cap. Gemma. de Sponsal. &c.* & eodem modo adjectio arrhæ &c. quoties ponitur solvenda ab eo, qui resilit sive ex justa, sive ex injusta causa, sive etiam ex nulla; quoties autem ponitur solvenda tantùm ab eo, qui resilit sine justa causa, tunc sicuti apponi potest arrha cum stipulatione tripli, vel quadrupli; ita & pœna. Est stipulatio: Promissio solemnis facta præcedente interrogatione, & sequente responsione.

23 Dico septimò: Sponsalia clandestina etiam post Tridentinum valida sunt, & licita. Valida, quia Tridentinum requirens ad validitatem præsentiam Parochi, & Testium, loquitur de ipso matrimonio; licita, quia qui promittunt futurum matrimonium, promittunt illud se contracturos coram Parocho, ideoque non contraveniunt Tridentino, nec promittunt aliquod illicitum; promitterent autè aliquod illicitum, si promitterent se clam matrimonium inituros. Ita Pirhing dicto *lib. 4. tit. 1. sec. 1. §. 1. n. 26.* cum Sanchez, Tannero, & aliis; imò Van Espen, qui *p. 2. cap. 1. tit. 12. à n. 4.* asserit secundùm Rituale Cameracense, & Synodum Mechilinensem debere Sponsalia celebrari coram Parocho, & in loco sacro, & cum duobus Testibus; ait deinde *n. 12. ver. Cumque nonnulli.* ipsam Synodum Mechilinensem declarasse, quod Sponsalia valida sunt, etiamsi non fiant coram Parocho, & Testibus,

24 Di-

Digitized by Google

24 Dico octavò: spectato Jure antiquo Sponsalia de futuro per copulam carnalem secutam, transeunt in matrimonium. *Cap. Veniens ad nos.* & *Cap. Is qui. de Sponsal. & Matrim.* & ratio est quia præsumitur ab Ecclesia in eo actu carnali conjugalis consensus de præsenti, quia delictum non est præsumendum; & ideo statuit eadem Ecclesia, quod in tali casu habeantur Sponsali pro matrimonio. In foro tamen conscientiæ, & pœnitentiali si in eo actu non fuit affectus Maritalis, sed fornicarius, non haberetur matrimonium; ac in foro externo præsumptio est Juris, & de Jure, quod in tali casu voluerint se cognoscere affectu maritali. Est autem Juris præsumptio, cum Jus præsumit aliquid, sed nil statuit super præsumpto, unde recipitur contraria probatio. Præsumptio verò Juris, & de Jure est, cum Jus præsumit, & statuit de præsumpto, & tunc non recipitur contraria probatio, & ideo in casu nostro Sponsi non audiuntur si dicant se nō habuisse affectum maritalem, quia Ecclesia illum præsumit, & statuit super ipso præsumpto, himirum declarat esse matrimonium. At verò nunc ubi Tridentinum est receptum, nisi adsint Parochus, & Testes, nunquam Sponsalia transeunt in matrimonium. Idcoque etiamsi inter Sponsos intercedat copula, adhuc remanent Sponsalia. In his autem regionibus, in quibus Decretum Tridentini *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 1. non est receptum, procedunt Canones antiqui superadicti.

25 Notandum, quòd tunc dum jure antiquo non sufficeret nudus ad copulam, sed requiritur copula in actu secundo secuta, ad hoc ut Sponsalia transeant in matrimonium, dicta *in Cap. Adolescens. de Sponsal. & Matrim.*

QUÆSTIO TERTIA.

QUIBUS EX CAUSIS DISSOLVI POSSINT SPONSALIA.

26 Dico primò: Sponsalia dissolvuntur ex mutuo consensu Sponsorum. *Cap. Praterea. il. primo. de Sponsal. & Matrim.* Et ratio est, quia nil tam naturale, quàm unumquodque dissolvi eo modo, quo obligatum est. *l. 36. ff. de Regul. Jur.* ergo sicut Sponsalia per mutuum consensum facta sunt, ita per mutuum consensum dissolvuntur, quod procedit etiamsi juramento firmata sint, quia juramentum induit ipsam naturam contractus. *Cap. Quemadmodum. de Jure jurando.* Semper enim juratur sub implicita conditione, nisi Sponsalia mutuo consensu, aut ex alia justa causa solvenda sint. Ita Pirhing. *lib. 4. tit. 1. sect. 6. §. 1. n. 40.* Van Espen. *p. 2. tit. 13. cap. 2. n. 11.*

27 Notandum, quod Sponsalia Impuberum non possint dissolvi ex mutuo consensu, nisi postquam ad annos pubertatis pervenerint. *Cap. Annhis. de Desponsat. Impub.* & rectè id statutum est, ne pueri ob inconstantiam, & levitatem, quotidie Sponsalia contraherent, & rursus ab iis resilirent.

28 Dico secundò: Sponsalia dissolvuntur per fornicationem alterutrius Sponsi, sive spiritualem, sive corporalem. Est fornicatio spiritualis Idololatria. *Can. Nō solùm. 28. q. 1.* & per eam dissolvuntur Sponsalia, sicut etiam per hæresim. Per fornicationem autem corporalem etiam dissolvuntur. *Cap. Quemadmodum. §. Ita si quis. de Jure jurando.* ubi dicitur, quod etiamsi fuerint Sponsalia juramento firmata, dissolvuntur per fornicationem alterutrius, quia juramentum semper est sub implicita conditione,

rione, quod serventurà Sponsis, quæ servanda sunt.

29 Notandum primò: quod quando accidit Sponsi, vel Sponsæ fornicatio post Sponsalia cum aliena persona, solùm innocens habet Jus rescindendi Sponsalia, non autem nocens, ne ex sua malicia commodum reportet; unde si innocens velit cum nocente matrimonium contrahere, hic tenetur stare Sponsalibus. Pirhing *loc. cit.* §. 3. *n.* 60.

30 Notandum secundò: quod ad hoc, ut Vir possit licitè dissolvere Sponsalia, fuerit, si Sponsa sinat se tangi turpiter ab alio, vel osculari, etiamsi non intercedat actualis fornicatio. Ad hoc ut autem fœmina possit dissolvere Sponsalia, non sufficit si Sponsus aliam osculetur, quia non redditur infamis, sicut Sponsa per oscula, & tactus. Similiter Sponsa etiamsi vi oppressa ab alio, potest licitè non admitti à Sponso. At Sponsus, si invitus sit fornicatus, non potest à Sponsa licitè non admitti, quia dispar est ratio in viro, quàm in fœmina, & requiritur ad hoc, ut fœmina possit non admittere virum ad Matrimonium, quod fornicatio ex parte viri, sit culpabilis, ita Pirhing ex Sanchez, & Laymann *n.* 61.

31 Notandum tertiò: quod Sponsus, etiam ob fornicationem Sponsæ ante contracta Sponsalia, potest licitè rescindere dicta Sponsalia, & hoc tam si illa fecerit Sponsalia dicens se esse Virginem, in quo casu jam haberet deceptio in contractu, quàm si Sponsus sciebat eam se vidam, sed non sciebat illam esse impudicam. E contra non potest Sponsa resilire à Sponsalibus, per hoc quod sciat, Sponsum ante contracta Sponsalia fornicatum esse, quia vir non sit vilis, nec infamis, sicut fœmina per fornicationem illam, atque ideo, quoties tam Sponsus, quàm Sponsa, sive ante, sive post Sponsalia fornicati fuerint, poterit quidem Sponsus resilire, non autem Sponsa. Nec compensatur in hoc casu delictum, cum longè ignobilior fiat fœmina, quàm vir, & longè turpior sit in illa, quàm in

viro fornicatio. Nec obstat, quod vir si sit adulter non possit separari ab Uxore adultera, quia longè difficilior conceditur divortium, quàm dissolutio Sponsalium. Sanchez *lib.* 1. *de Sponsal. dis.* 55. *n.* 9. Laymã *lib.* 5. *trac.* 10. *p.* 1. *cap.* 2. *n.* 12. cum aliis citatis ab ipsis.

32 Dico tertiò: Sponsalia dissolvuntur per lapsum temporis ad nuptias præfixum. *Cap. Sicut ex litteris. de Sponsal. & Matrim.* Unde si unus ex Sponsis die præfixo non vult matrimonium contrahere, alter qui non habet culpam est liber. Sanchez *lib.* 1. *de Sponsal. dis.* 53. *n.* 1. & Doctores communiter.

33 Quod si non fuerit præfixum tempus ad matrimonium exequendum, & Sponsus abiret in regionem longinquam, ex parte Sponsæ solvuntur Sponsalia, idest Sponsa libera manet ab obligatione. *Cap. De illis, de Sponsal. & Matrim.* Quanti autem temporis spatium requiratur, ut per absentiam Sponsi, soluti maneat Mulier ab obligatione, non est determinatum, sed arbitrio Judicis relinquitur, ait Van Espen *loco cit. n.* 21. Secundùm autem Jus civile, quod non esse correctum per Jus Canonicum affirmant Silvestro, Covarruvia, Canisio, Layman, & aliis Pirhing, *n.* 49. quamvis Sanchez *dicta lib.* 1. *dis.* 54. *n.* 6. & alii apud ipũ affirment esse correctum per supradictum *Cap. De illis*. Secundùm, inquam, Jus civile si Sponsus abest ex justa causa voluntaria, expectandus est biennio, si est intra Provinciam, ut esset intra Siciliam. *L. Si is qui. C. de Sponsalibus*. Si verò extra Provinciam, idest si foret Neapoli, vel Romæ, triennio. *L. Liberum est. C. de Repudiis*. Si autem abiit non propter causam voluntariam, sed necessariam, quia v. g. relegatus, debet expectari, donec cesset tale justum impedimentum. *L. Sæpè. justè. ff. de Sponsalibus*. Igitur secundùm opinionem Sanchez, quam tenent Cardinalis *in Cap. De illis de Sponsal.* q. *Quære, quæ fuit ratio*, de Nã-

vo, Præpositus, Misyngerius, Angelus, Tabiena, Armilla, Brunellus, Navarrus, Covarruvias, Alexander Carrerius, aliique multi, tum Canonistæ, tum Theologi, quos ipse Sanchez citat, eo ipso quod Sponsa habet notitiam, quod Sponsus abierit in regionem longinquam sine ejus licentia, manet libera à Sponsalibus, & potest cum alio nubere: quia Jus civile est correctum in hoc à Jure Canonico. Secundùm autem opinionem Pirhing, in qua sunt Hostiensis, Joannes Andreas, Ancaranus, & alii adducti ab eodem Sanchez *n.* 5. debet Sponsa expectare, prout decernit Jus Civile.

34 Dico quartò: Sponsalia solvuntur per ingressum Religionis secutâ Professione, quia si solvitur matrimonium ratum non consummatum *Ex Cap. Ex publico. de Conversi. Conjugat.* & Trid. *sess.* 24. *de Matrim. cap.* 6. multò magis Sponsalia solvi debent. Per solum autem ingressum, & inceptionem novitiatus solvuntur Sponsalia ex parte illius, qui in sæculo manet, & non vult expectare Professionem alterius, quia non tenetur expectare eum, qui facto ipso, ideft per ingressum illum, jam renũciat Spõsalibus. Ita Sanchez cũ aliis *lib.* 1 *de Sponsi. disp.* 42. *n.* 2. Ex parte autem Intrantis Religionem, non solvuntur Sponsalia, nisi secutâ Professione. Unde si qui manet in sæculo expectaverit, & non transierit ad alia Sponsalia, & voluerit servatam fidem ab eo exeunte à Religione non factâ Professione, hic tenetur stare promissis. Ita Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *p.* 1. *cap.* 2. *n.* 2. Tannerus *tom.* 4. *dis.* 8. *dub.* 4. *n.* 47. quos sequitur Pirhing *lib.* 4. *tit.* 1. *sec.* 2. §. 2. *n.* 50. idem ait Van Espen. *n.* 20. *ver. Similiter.* & Andreas Vallensis. *lib.* 4. *tit.* 1. §. 4. *n.* 2.

35 Dico quintò: per votum ingrediendi Religionem, & in ea profitendi emissum post contracta Sponsalia, solvuntur Sponsalia etiam jurata; quia in contractu Sponsalium intelligitur tacita conditio, nisi elegerim statum

Reli-

Religionis. Secundò quia sicuti potest licitè Religionem ingredi post Sponsalia, ita potest vovere ingressum in Religionem. Tertiò quia frustra contraheret matrimonium, dum habet animum exequendi suum votum, sic enim læderet partem aliam. Quod si habeatur necessitas urgens contrahendi matrimonium, antequam Sponsus ingrediatur Religionem, quia nimirum infamiam incurreret Spōsa, aut aliud grave detrimentum, si post contracta Sponsalia, nondum inito matrimonio, Sponsus fieret Religiosus; tunc deberet priùs contrahere matrimonium, & ante consummationem deinde ingredi Religionem. Ita Pirhing ex Sanchez Covarruvia, Tannero, Layman & aliis. *n.* 51.

36. Item si quis contraxit Sponsalia cum virgine, & spe futuri matrimonii, eam violavit, non potest ante contractum matrimonium, Religionem ingredi, si votum de Religione fecerit post Sponsalia; quia injuria illa non potest aliter, moraliter loquendo, resarciri, nisi per matrimonium. Quod si ante Sponsalia emitteret quis votum de Religione, & postea initis Sponsalibus, sub spe matrimonii futuri violaret Sponsam, docet Layman *cit. cap. 2. n. 5.* quod nō tenetur eam ducere in uxorem, sed debet adimplere votum, Religionem ingrediendo, aut petere dispensationem in voto, cum non possit authoritate propria illud tollere, & accipere statum matrimonii contrarium voto. Sanchez autem *lib. 1. de Sponsa. dis. 45. n. 3.* & Tannerus *loc. cit. n. 51.* docent, quod tenetur eam ducere in uxorem, non obstante voto, si illa, quando consensit, fuit ignara voti, quod habebat Sponsus. Et ratio est quia votum non obligat, quando sine magno alterius damno impleri non potest. Soluto autem matrimonio per mortem uxoris, tenetur illud adimplere intrando Religionem, si est adhuc idoneus. Ita etiam per votum Castitatis simplex post Sponsalia emissum, quamvis aliqui doceant dis-

solvi

solvi Sponsalia, tamen alii negant propter rationem dictam, quia Deus non acceptat rem alteri promissam, & quæ impleri non potest sine præjudicio Tertii.

37 Dico sextò: per susceptionem Ordinis sacri solvuntur Sponsalia, quia Sponsus redditur incapax matrimonii contrahendi, non autem propter susceptionem Ordinum minorum, quia hi non pugnant cum matrimonio.

38 Dico septimò: solvuntur Sponsalia etiam jurata per matrimonium cum alia de præsenti contractum: quod quidem est illicitum, sed validum. Constat assertio ex *Cap. 2. de Sponsa duorum.* & *Cap. Si inter de Sponsal. & Matrim.* Et quidem taliter solvuntur, ut penitus extinguantur priora Sponsalia per subsequens matrimonium cum alia, ita ut si eveniret casus, quod moreretur uxor, & prima Sponsa esset in statu, quo posset duci in uxorem, non teneretur virea ducere. Ita Sanchez *lib. 2. de Sponsal. disp. 48. n. 3.* Layman. *cit. Cap. 2. num. 22.* Tamerus *disp. 8. q. 1. dub. 4. n. 56.* & 57. Pirhing *loc. cit. §. 3. n. 59.* & alii. Van Espen autem *n. 10. ver. Sed licèt.* cum Pomio, & Zipæo, docet priora Sponsalia solùm suspendi, non autem extinguiex parte illius, qui matrimonium contraxit cum alia; undo hic mortuâ uxore, teneretur ducere Sponsam illam. Sed probabilior est sententia suprædicta.

39 Dico octavò: Solvuntur Sponsalia per notabilem mutationem superveniente, sive ex parte Sponsi, sive ex parte Sponsæ. *Cap. Quemadmodum. de Jure jurando.* etiamsi fuerint Sponsalia jurata, quia semper subintelligitur conditio: rebus in eodem statu permanentibus.

Notabilis autem mutatio potest esse in corpore, scilicet animirum Sponsa fieret leprosa, paralitica, aut amitteret oculos, vel nasum, aut fieret notabiliter deformis. *Eodem Cap. Quemadmodum. de Jure jurando.* & *Cap. Litteras. de Conjugio Leprosorum.* vel in animo, si nimirum detegatur Sponsum esse atrocem, deditum vitiis, ebrietati, scilicet, ludo,

ludo, meretricibus &c. vel in bonis fortunæ, vel famæ, si nimirum Sponsus, aut Sponsa facti sint infames, aut deciderint in paupertatem, aut si nolint parentes dare dotem promissam, ut *in Cap. de Illis. De Conditionibus appositis in desponsat. &c.* aut si magnæ inimicitiæ sint ortæ inter consanguineos, & infelices exitus matrimonii timeantur; quia promissio obligare non potest ad actum, qui sine magno incommodo impleri non potest.

40 Denique quoties tales superveniunt circumstantiæ, quæ si fuissent prævisæ tempore Sponsaliorum, non fuissent ea contracta, tunc Sponsalia dissolvuntur; sed opus est prudenti, & recto judicio, ut quis se exoneratum in conscientia putet ab obligatione ex superveniente circumstantia; sicut etiam ex parte Judicis, (qui debet esse Ecclesiasticus Ordinarius, vel Delegatus) coram quo fit causa de dissolvendis Sponsalibus, magna requiritur consideratio. quia non omnis circumstantia, quæ sufficeret ad non contrahendum si fuisset præscita, sufficit ad dissolvendum postquam est cognita. Nam cum contractu non dum inito, stat plena libertas ad contrahendum, vel non; contractu tamen inito, non stat plena libertas ad dissolvendum, vel non, ut benè advertit Van Espen *n. 14. & seq.* Hinc superveniente Sponso aliqua magna hæreditate, non ideo resilire potest, & idem dicitur, si Sponsæ nova addatur hæreditas, ut docent Sanchez, Conink, Reginaldus, Diana *p. 3. trac. 4. res. 286. v. notandū* & alii; & tamen si habita fuisset ante Sponsalia talis hæreditas, non fuissent ea contracta.

41 Igitur, quanvis de Jure non requiratur sententia Judicis ad dissolvenda Sponsalia, quoties causa est manifesta, & moraliter certa, tamē quoties est dubia, aut si est certa, est occulta, & ideo haberetur scandalum, si fieret dissolutio Sponsalium sine sententia Judicis, debet talis sententia expectari. Pirhing *lib. 4. tit. 1. sec. 2. §. 4. n. 65 in medio.*

42 No-

42 Notandum, quod si post detectam circumstantiam, Sponsus cognoverit carnaliter Sponsam, censetur amittere Jus rescindendi Sponsalia, quod habebat ex ea circumstantia. Sanchez *lib.* 1. *De Sponsal. dis.* 66. *n.* 2. Unde valde difficulter solvuntur Sponsalia ex parte Sponsi, si accessit defloratio, ait Zipæus *Consul.* 1. *de Sponsal.*

43 Dico tandem, solvuntur Sponsalia per superveniens impedimentum dirimens matrimonium, aut per detectionem impedimenti, quod ignorabatur. Si enim matrimonium non potest consistere inter tales Sponsos, non solùm non possunt ad illud obligari, sed peccarent, si illud contraherent. Hinc superveniente affinitate, quia scilicet habita sit copula cum sorore, aut matre Sponsæ, soluta manent Sponsalia. *Cap. Cum in tua. de Sponsal. &c.* juncto *Cap. Ex literis. de Eo qui cognovit &c.*

§. SECUNDUS.

DE MATRIMONIO SECUNDUM SE.

44 MAtrimonium dicitur, quia mulier nubit, ut Mater fiat, & quanvis etiam vir uxorem ducit, ut fiat Pater, tamen quia partus est magis onerosus Matri, quàm Patri, ideo dicerem, quod potiùs matrimonium vocetur. Dicitur etiam Connubium, eo quia mulieres tegebantur velo, velut nube, quando nubebant. Dicitur denique Conjugium, quia per id duo conjunguntur, quasi sub uno jugo:

QUÆSTIO PRIMA.

QUID, ET QUOTUPLEX SIT MATRIMONIUM?

45 MAtrimonium genericè sumptum est: Maris, & Fœminæ conjunctio individuam vitæ

Digitized by Google

consuetudinem retinens. Ita *Cap. Illud. §. Verùm quia. de Præsump.* Idem dicitur *in principio Instit. de Patria potest. & L. 1. ff. de ritu Nuptiar.* sic habetur: *Nuptiæ sunt conjunctio Maris, & fœminæ, consortium omnis vitæ, divini, & humani Juris communicatio.* Ideſt qui ſint ejuſdem Fidei, vel Sectæ, & hoc importat habere communicationem Juris divini: habere autem communicationem Juris humani importat, quod uxor fiat ejuſdem fori cum Marito.

46 Matrimonium dividitur in Legitimum, Ratum, & Conſummatum. Matrimonium Legitimum eſt, quod ſecundùm leges gentium legitimè contrahitur, quale eſt matrimonium Judæorum, & Infidelium. Ratum eſt, quod à Fidelibus Chriſti legitimè contrahitur ſecundùm legem Evangelicam, & eſt verum Sacramentum conferens gratiam, ut definitum eſt *in Decreto Eugenii IV. pro Armenis*, & in Trident. *ſeſſ. 24. Can. 1. de Sacram. Matrim.* Dicitur, *Ratum*, ideſt ab Eccleſia approbatum, & quod ſemel admiſſum, nunquam amittitur, ut conſtat *ex Cap. Quantò. §. Nam & ſi. de Divortiis.* ubi ſic: *Nam, & ſi inter Infideles Matrimonium verum exiſtat, non tamen eſt Ratum; Inter Fideles autem verum, & Ratum exiſtit; quia Sacramentum Fidei, quod ſemel eſt admiſſum, nunquam amittitur, ſed Ratum efficit ipſum conjugii Sacramentum; ut ipſum in conjugibus illo durante, perduret.*

47 Denique matrimonium conſummatum eſt quoties poſtquam fuerit legitimè contractum intercedit copula carnalis, quæ tamen nihil addit ad rationem matrimonii, cum ſit verum, & ratum matrimonium, etiamſi copula nunquam habeatur, ut conſtat ex matrimonio Sanctiſſimæ Virginis cum S. Joſepho, cui Angelus dixit, *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Matth. 1. & Luc. 2.* Et dicitur *in Can. Matrimonium. & Can. Conjuges. & Can. Conjux. 27. q. 2.* Unde eſt, quod verbum *Conjunctio* poſitum in definitione matrimonii, ſumitur pro vinculo animorum

rum nato ex consensu mutuo interno, & exteriori contractu non autè pro conjunctione corporum, ut notat Valensis *lib.* 4. *tit.* 1. §. 5. *n.* 4. Videatur Pirhing *lib.* 4. *tit.* 1. *sec.* 3. §. 1. *n.* 69. Copulâ tamen secutâ, veluti perficitur Sacramentum in ratione significationis, & redditur vinculum magis indissolubile, ut infra videbimus cum de Divortiis. Ratum enim matrimonium nondum consummatum, potest dissolvi per Professionem Religiosam, ut dictum fuit suo loco, consummatum autem non dissolvitur.

48 Materia Sacramenti matrimonii est mutuus consensus expressus, quatenus habet rationem traditionis; forma autem est ipse consensus, quatenus habet rationem acceptationis. Ita Svarez *t.* 3. *in* 3. *p. dis.* 2. *sec.* 1. *v. sed occurrit.* Sanchez, & Vasquez relati à Busembaum *lib.* 6. *trac.* 6. *cap.* 2. *dub.* 1. Ministri autem hujus Sacramenti sunt iidem Contrahentes, qui debent habere intentionem, & contrahendi, & simul faciendi, quod facit Ecclesia, & ideo debent esse in gratia, quando coram Parocho, & Testibus contrahunt. Parochus verò non est Minister, sed assistens, & ejus præsentia requiritur ad valorem Sacramenti ex Trident. *sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform. Matrim.* Quomodo debeat Parochus assistere, & alia ex parte Parochi requisita ad matrimonium dicta sunt *lib.* 1. *cap.* 5. §. 3. *de Obligat. Paroch. à n.* 53. *per sex quæstiones sequentes.* Similiter de proclamationibus, seu bannis matrimonialibus, *ibidem* locuti sumus.

QUÆSTIO SECUNDA.

QUALIS DEBEAT ESSE CONSENSUS MATRIMONIALIS?

49 Dico primò: Consensus matrimonialis debet esse expressus, & mutuò acceptatus. Con-

Digitized by Google

ſtat *ex Cap. Licet de Sponſa duorum* ubi ſic: *Inter virum, & mulierem legitimus conſenſus interveniat de præſenti: ita quidem quod unus alterum in ſuo mutuo conſenſu verbis conſuetis expreſsè recipiat*: & probatur ex natura aliorum contractuum humanorum.

50 Dico ſecundò: Poteſt conſenſus ſignis exprimi, & non ſunt neceſſaria verba. Conſtat *ex Cap. Cum apud Sedem. de Sponſal. &c.* ubi cum dicatur ſurdum, & mutum poſſe matrimonium contrahere, eo quia *ad Matrimonium ſufficiat ſolus conſenſus illorum, de quorum, quarumque conjunctionibus agitur* additur ſic: *Cum quod verbis non poteſt, ſignis valeant declarare.* ergo ad valorem matrimonii ſufficiunt ſigna declarativa interni conſenſus.

51 Dico tertiò: etiam nunc poſt Tridentinum poſſunt matrimonia contrahi per literas, vel per Procuratorem, & ſunt talia matrimonia vera Sacramenta. Ratio eſt, quia Chriſtus elevando contractum matrimonialem ad rationem Sacramenti, nihil immutavit de natura contractus. ergo cum alii contractus poſſint per literas, aut Procuratorem fieri, etiam & matrimonium. Debent tamen legi coram Parocho, & Teſtibus, ſicut Procuratores debent conſenſum contrahentium exprimere coram Parocho, & Teſtibus. Videatur Pirhing. *lib. 4. tit. 1. ſec. 3. §. 2. à n. 78. uſque in finem.*

52 Non eſt neceſſarium, ut Procurator ſit in gratia quando contrahit, quia nec ſuſcipit, nec adminiſtrat Sacramentum. Illi autem, qui per Procuratorem contrahunt, debent tunc eſſe in gratia, quia ſuſcipiunt Sacramentum, etiamſi dormiant.

53 Notandum tamen, quod ſi Procurator antequam contractum celebret nomine illius, qui eum elegit, fuerit revocatus, etiamſi ipſe, & illa, cum qua contraxit, revocationem ignoraverint, contractus matrimonii nullus eſt, quia deficit conſenſus illius, qui Procuratorem elegit.

Digitized by Google

git. Ita statutum est *in Cap. finali. de Procurat. in 6.* ubi etiam dicitur, quod Procurator ad matrimonium debet habere speciale mandatum quo ad illud, & quod sustituere alium nō potest, nisi hoc eidem fuerit specialiter commissum.

54 Dico quartò: Si vir dicat mulieri: *habebo te ex hoc nunc in uxorem*, & mulier dicat similiter: *habebo te in maritum*, est verè consensus de præsenti constituens matrimonium, quia licèt verba habeant sonum temporis futuri, tamen important tempus præsens, & consensum præsentem. Ita colligitur. *ex Cap. Ex parte. de Sponsal. &c.* & tenent Pirhing. *loc. cit.* §. 3. *n.* 86. & 87. & Sanchez *lib.* 1. *De Sponsal. dis.* 18. *n.* 14. & 21. Nō sic autē, si dixerit vir: *habebo te in uxorem*, vel *nunc promitto, quod ducam te in uxorem*; quia similibus formulis non importatur consensus de præsenti. Videatur Covarruvias *in Epitho: lib.* 4. *Decretal. p.* 2. *Cap.* 4. §. 1. *n.* 5. ubi plures verborum formulas adducit, quæ consensum de præsenti exprimant, vel non.

55 Dico quintò: Consensus sub conditione de præterito, v. g. si hoc, vel illud feciſti; vel de præsenti, v. g. si nobilis es; si verum sit, quod exprimitur per conditionem, facit matrimonium, si falsum, non facit. Ita communiter Doctores: At verò si conditio sit de futuro, tunc faciet matrimonium, quando verificabitur, v. g. Accipio te in uxorem, si Pater tuus consenserit, aut si dabis dotem; interim habet ratione Sponsalium, & nō Matrimonii.

56 Non requiri novum consensum, purificata conditione, sed statim perfici matrimonium, docet Sanchez *De Matr. lib.* 5. *dis.* 8. *n.* 5. & Laymā cū aliis *lib.* 5. *p.* 2. *tr.* 10. *cap.* 7. *n.* 2. & probatur *ex Cap. Super eo. de Conditionappositi. &c.* & confirmatur ex Innocentio, Hostiensi, Abbate, & aliis. *in dictum Cap. Super eo*. Id ipsum non negat Van Espen *p.* 2. *tit.* 12. *cap.* 4. *n.* 17. sed solùm dicit tutiùs

Digitized by Google

tiùs esse, ut renovetur consensus, purificata conditione. Addit tamen Layman *citatus n. 3.* quod ex vi Tridentini, debet adventus conditionis innotescere Parocho, & Testibus, ut sic possint hi certificari, matrimonium esse verè contractum. Sufficit tamen si contrahentes ipsi coram Parocho, & Testibus affirment conditionem, sub qua celebrarunt, jam esse impletam.

57 Similiter si fuit matrimonium contractum sub conditione dispensationis Papalis, debet, quando hæc impetratur, per novum consensum coram Parócho, & Testibus celebrari matrimonium; quia purificata conditione dispensationis, ille consensus contrahentium, quāvis fuerit de præsenti, habet tamen rationem Sponsaliorum, non Matrimonii; non enim potest Pontifex velle, ut matrimonium præterito tempore ante obtentam dispensationem, valeat; sed quod post eam collatam, celebretur juxta formam Tridentini in facie Ecclesiæ. Ita Layman citatus cum aliis pluribus *n.* 5. quanvis Sanchez dicto *lib.* 5. *de Matrimonio disp.* 8. *n.* 10. Sustineat oppositum.

58 Quod si conditiones, quæ apponuntur, sint turpes, & repugnantes naturæ Matrimonii, faciunt illud nullum. *Cap. final. de Condition. appositæ &c.* Tales sunt, si dicatur: te accipio in Uxorem, donec inveniam aliam meliorem, vel si generationem prolis evites, vel si adulteria patrabis pro quæstu, &c. At verò si solùm sint conditiones turpes, aut impossibiles, sed naturæ Matrimonii non repugnantes, v. g. tecum contraho si Cœlum tetigero, vel si tu Patrem occides, &c. habentur pro non adiectis, & rejiciuntur, & ideo non annullant matrimonium. *Eodem Cap. finali. de Condit. appos. &c.* Supponitur tamen quod consensus sit absolutus, & non pendeat ab ea conditione impossibili; si enim consensus suspenditur, non videtur quomodo matrimonium possit esse validum.

Digitized by Google

dum. Ita Van Espen *n.* 18. Videatur supracitatus Layman *à n.* 8. *usq. in finem Capitis.* & Sanchez. *lib.5. de Matrim. disp.9. & per totum lib.* 5. in quo per varias disputationes, ferè omnia discutit de consensu conditionato agitabilia.

59 Dico sextò: præter consensum ipsorum contrahentium non requiritur ad valorem Matrimonii consensus Parentum; imò damnantur à Trid. *sess.* 24. *de Reform. Matrim. Cap.* 1. qui dicunt, à filiisfamilias matrimonia contracta sine consensu Parentum, irrita esse; & Parentes ea Rata, vel Irrita facere posse. Pirhing. *lib.* 4. *tit.*1. *sec.* 3. §. 4. *n.* 90. Sanchez *lib.* 4. *de Matrim. disp.*22. *n.*3. Van Espen *citatus n.* 19. Peccant tamen filiifamilias si absque justa causa sine consensu Parentum matrimonium contrahunt. Idem Pirhing. *n.* 92.

60 Notandum, quod Van Espen *n.*20. refert, in Gallia esse invalida matrimonia contracta à filiisfamilias sine consensu Parentum; sed invaliditas hæc potiùs refunditur in crimen Raptus, quàm in defectum consensus Parentum; tunc enim habentur pro invalidis, quando probari potest interceßisse seductionem. *Numero autem* 22. *& seq.* dictus Author refert alias leges Regum Galliarum, per quas filii masculi, qui non excedunt annos 30. & fœminæ, quæ non excedunt annos 25. contrahentes sine consensu Parentum matrimonium, privantur hæreditate, successione, & aliis bonis. Similiter *n.* 25. similes leges haberi in Flandria, quoties filii sunt minores 25. annis. Sed in nostro Regno possunt Filii, & filiæ sine consensu Parentum contrahere matrimonium, ut testatur Doctor Marius Mutta Panormitanus *in antiquas Consuetudines Senatus, Populique Panormitani Cap.* 48. *n.*19. Et possunt filiæ dotem petere. *Idem n.*20. *&* 21. Nec possunt per hoc exhæredari. *Idem à n.* 24. *usque ad* 28. *inclusivè.* Item Vallensis *lib.* 4. *tit.* 1. §. 9. *n.* 2. *prope finem*

finem ex Covarruvia, docet non posse exhæredari filiam, quæ sine consensu Parentum nupsit indigno ante 25. annum.

61 Dico septimò: Consensus fictus, seu simulatus, non facit matrimonium. Est consensus fictus, seu simulatus ille, quo quis fingit se velle mulierem in uxorem, cum revera eam voluntatem non habeat. Constat quod talis consensus non faciat matrimonium *ex Cap. Tua nos. de Sponsa. & Matrim.*

62 In foro autem externo habetur pro matrimonio, nec in præjudicium alterius debet juvare dolus illum, qui fictè contraxit. Nec creditur ei, qui dicit se non habuisse voluntatem contrahendi. Glossa *in dictum Cap. Tua nos. de Sponsal. &c. v. Qualiter.* Pirhing *lib. 4. sec. 4. §. 1. n. 96. ver. Notandum tertiò.* unde obligatur verum matrimonium cum ea contrahere, & præcipuè cum damnum mulieri deceptæ irrogatum non possit aliter compensari ad æqualitatem. Ita idem Pirhing. *n. 97.* cum Sanchez, & Layman.

63 Sunt tamen aliqui casus, in quibus deceptor possit alio modo damnum deceptæ compensare, & ideo non tenetur matrimonium cum ea contrahere. Et primò quidem si jam vero consensu cum alia contraxit. Secundò si decepta dixit, se esse virginem, & talis non erat. Tertiò si deceptor sit in altiori statu, dummodo sub spe matrimonii non sit secuta copula carnalis. Quartò si ex tali matrimonio sequantur scandala, & infelices exitus. Quintò si decepta, cognita deceptione, sit contenta alterius compensationis. Layman *lib. 5. tract. 10. p. 2. cap. 6. n. 2.* Pirhing *dicto n. 47. ver. Sunt tamen. & lib. 5. tit. 16. de Adulteriis, & stupro.*

64 Dico octavò: quoties consensus ex parte unius fuit fictus, sufficit deinde si ex parte hujus ponatur verus consensus, absque novo consensu alterius, qui legitimè con-

Digitized by Google

consensit, quia hujus consensus censetur moraliter perdurare, cum quo, dum accedit consensus novus, & verus alterius, jam fit mutuus consensus. At verò si ex parte utriusque fuerit fictus consensus, requiritur renovatio utriusque. Ita probabilius censent Doctores cum Sanchez *lib.* 2. *dis.* 32. *de Matrim. n.* 9.

65 Dico nonò: consensus metu cadente in virum constantem extortus non facit matrimonium, tam in foro interno, quàm externo. Est sententia communis inter D. D. U. J. Et eam tenent omnes Canonistæ, teste Sanchez *lib.* 4. *de Matrim. dis.* 12. *n.* 18. & constat *ex Cap. Cum locum.* & *Cap. Veniens. de Sponsalibus*, & *Matrim.* Videatur Abbas Panormitanus in dictum *Cap. Cum locum.* & dictus Sanchez à dicto *n.* 18. *usque in finem Disputationis*.

66 Metus autem gravis, & cadens in constantem virum est metus mali gravis prudenter, & probabiliter crediti imminere, vel Contrahenti, vel Conjunctis ejus in primo, vel secundo gradu. Dicitur malum grave Mors, Mutilatio, Atrox tormentum, Diuturnus carcer, Exilium, Servitus, Infamia, Amissio majoris partis bonorum, &c. Videatur Sanchez *dicto lib.* 4. *dis.* 5. *n.* 4. & *seq.* Dicitur probabiliter, & prudenter timeri, quoties qui illud malum minatur, solitus est similia facere, aut est potens inferre tale malum, & non potest facile vitari. Quoties autem timetur leve malum, vel timetur grave imprudenter, & improbabiliter, toties non est irritum matrimonium, sed valet, ut colligitur *ex Cap. de Muliere. de Sponsalibus*, & *Matrim.* juncta Glossa *v. Intervim.* Pirhing *n.* 109.

67 Est autem irritum matrimonium, si consensus extorqueatur metu cadente in costantem virum ipso Jure, quanvis alii contractus sic initi, sint validi, quia contractus matrimonii est indissolubilis, & rescindi non

 potest,

Digitized by Google

poteſt, ideo debuit ſtatuere Eccleſia, ut eſſet ab initio irritus, cum non poſſit ampliùs irritari, quoties eſt factus. At verò alii contractus metu gravi initi reſcindi poſſunt, per exceptionem, vel Judicis ſententiam, & ideo non ſunt ipſo Jure, & facto invalidi. Abbas Panormitanus *in dictum Cap. Cum locum. de Sponſalibus, &c.* Sanchez *De Matrim. lib. 4. diſ. 12. n. 26. v. Ad ſecundum, & alii.*

68 Debet autem metus eſſe injuſtè incuſſus, ut annullet matrimonium; ſi enim juſtè incutitur, non annullat matrimonium. Ita ſi Titius violavit Puellam, & Parentes hujus minantur, ſe eum accuſaturos in Judicio, niſi eam ducat in Uxorem, vel ſi Judex, aut lex præcipiat ſub pœna aliqua gravi, ut quis ducat in Uxorem Virginem, quam violavit ſub ſpe matrimonii, talis metus eſt juſtè incuſſus, & non irritat matrimonium. Pirhing. *dicto lib. 4. tit. 1. ſec. 3. §. 4. n. 104.* Sanchez *lib. 4. De Matr. diſ. 8. n. 9. & diſ. 13. n. 3.* Leſſius *lib. 2. de Juſt. Cap. 17. dub. 6. n. 37.*

69 Similiter ſi metus ſit injuſtè incuſſus, ſed non ad hunc finem, ut patiens cõtrahat matrimonium, ſed ad alium finem, v. g. ſi ſit quis injuſtè detentus in carcere, vel habeat inimicitiam capitalem cum aliquo, & ut ſe liberet à carcere, vel ab hoſte, ineat matrimonium cum filia detinentis in carcere, aut hoſtis, validum erit matrimonium.

70 Denique ſi quis metu mortis inſtantis ex morbo, vel naufragio ineat matrimonium cum concubina, vel contrahat matrimonium aliàs non contracturus, quia Medici dicunt, neceſſarium eſſe ad tuendam ſalutem, vel contrahat condemnatus ad mortem, quia Judex offert vitam, ſi ducat uxorem meretricem, validum erit matrimonium. Hoc ultimum autem in foro externo non eſt in praxi, quia eſſet in grave præjudicium Reipublicæ, ut notat Barboſa *in Collect. in cap. Inter opera. n. 5. de Sponſal. &c.*

Et

Digitized by Google

Et quanvis ducere in uxorem meretricem laudetur *in dicto Cap. Inter opera.* tanquam opus misericordiæ, intelligitur tamen de meretrice, quæ desinit meretricari, & vellet continenter vivere, si inveniret maritum; nam meretrix, quæ vellet adhuc meretricari non debet in uxorem accipi, juxta *Can. primum.* 32. *q.* 1. ne maritus sit Patronus turpitudinis. Validum tamen est matrimonium cum tali meretrice contractum. Glossa *v. Quod autem dicti Canonis.* 32. *q.* 1.

71 Ex dictis igitur ad hoc ut metus gravis annullet matrimonium ipso jure, etiam in foro conscientiæ, tria requiruntur. Primò, ut sit incussus à causa extrinseca libera, nempe ab homine. Secundò, ut sit injustè incussus. Tertiò, ut sit incussus ex hoc fine, nimirum, ut extorqueatur consensus matrimonialis. Pirhing *n.* 105. *in fine* cum aliis. Reliqua quæ ad consensum coactum pertinent, videri possunt apud Sanchez per totum *lib.* 4. *de Matrim.* aut apud ipsum Pirhing. *lib.* 4. *tit.* 1. *sec.* 4. *à* §. 2. *usq; ad sec.* 5.

72 Unum tamen non est omittendum, quod scilicet metus reverentialis, quo quis ob reverentiam debitam alicui volenti, ut matrimonium contrahat cum tali, aut ob preces etiam importunas, non annullat matrimonium. Ita Layman cum pluribus, quos citat *lib.* 5. *trac.* 10. *p.* 2. *cap.* 5. *n.* 3. Quoties autem dubitatur, an metus sit censendus gravis, vel non, standum est pro valore matrimonii. Ita idem Layman. *n.* 4.

QUÆSTIO TERTIA.

AN, ET QUO JURE PROHIBITA SIT POLYGAMIA.

73 Dictum fuit in definitione matrimonii, quod sit conjunctio maris cum fœmina, non solùm

lùm quia matrimonium non poteſt eſſe, niſi in diſpari ſexu, ſed etiam quia debet eſſe unius viri cum una fœmina, quia matrimonium viri cum pluribus fœminis, aut fœminę cum pluribus viris ſimul, & eodem tempore (hoc enim ſonat Polygamia) eſt prohibitum. Non autem prohibetur matrimonium cũ pluribus ſucceſſivè, ideſt poſt mortem conjugis unius accipere alium, ut conſtat *ex Tit. de Secundis Nuptiis.* & ex verbis Apoſtoli 1. *ad Corinth. cap.* 7. dicentis: *Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir ejus vivit, quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt, cui vult nubat.*

74 Dico igitur, quod Jure naturali ex primæva inſtitutione matrimonii à Deo authore naturæ prohibita eſt Polygamia, dicente Domino Geneſ. 2. *Relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Si autem quis haberet ſimul plures uxores, jam non eſſent duo in carne una, ut notatur *in Cap. Gaudemus. de Divort.* ibi: *Non dixit tres, vel plures, ſed duo, nec dixit adhærebit uxoribus, ſed uxori.* Accedit definitio Tridentini *de Matrim. Can.* 2. ubi ſic: *Si quis dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum, anathema ſit.*

75 Hinc per ſolam conceſſionem divinam fieri poteſt licita Polygamia, prout defacto conceſſit antiquis Patriarchis in lege veteri, ut etiam notatur *in dicto Cap. Gaudemus*, ibi: *nec ulli unquam licuit inſimul plures uxores habere, niſi cui fuit divina revelatione conceſſum.*

76 Notandum eſt hìc, quod ſicut Deus poteſt præcipere mortem innocentis, ut defacto præcepit Abrahamo occiſionem Iſaac, & acceptionem rei alienæ; ita etiam Polygamiam. Verùm in his caſibus non committitur homicidium, nec furtum, nec Polygamia, quæ ſunt intrinſecè mala, ideoque ſemper mala; quia Deus eſt ſupremus Dominus vitæ, & rerum hominum, & ideo tunc illa occiſio non eſt homicidium, quia homicidium, quod eſt ab intrin-

Digitized by Google

intrinseco malum, non est præcisè occisio hominis, sed occisio hominis ab homine propria, & privata authoritate factum; nec ablatio rei alienæ est in eo casu furtum, quod est intrinsecè malũ, quia furtum, quod est intrinsecè malum, est ablatio rei alienæ invito Domino; sed tunc occisio fit authoritate Superioris, qui est Deus, & acceptio rei alienæ fit ex voluntate Supremi Domini illius ejusdem rei, qui est ipse Deus. ergo neque committitur tunc homicidium, nec furtum, quæ nunquam licita esse possunt, cum sint ab intrinseco mala. Similiter in casu nostro nõ committitur Polygamia, quæ est ab intrinseco mala, & Jure naturæ prohibita, quoties Deus concedit, quod vir ducat duas insimul uxores; quia Polygamia intrinsecè mala est illa, quæ fit sine voluntate Dei, ut authoris Naturæ, qui non concessit hominibus potestatem tradendi sibi invicem corpora, nisi ut unus vir cum una fœmina conjungantur. ergo quoties Deus, qui est Dominus corporum humanorum concedit potestatem uni tradendi suum corpus pluribus, toties non fit Polygamia illa, quæ est Jure naturæ prohibita.

77 Ex dictis sequitur quod summus Pontifex dispensare non possit in hoc, quod unus vir habeat simul plures uxores, aut una fœmina plures maritos, quia prohibitum est hoc tum lege naturali, tum divina Christi Domini, qui dixit Matth. 19. *Qui dimissam duxerit mœchatur, & qui dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit mœchatur.* Si ergo mœchatur, qui dimissâ uxore, aliam ducit, multò magis, qui uxore retentâ, aliam ducit. Similiter dispensatio divina, seu concessio, quæ erat in lege Mosayca, jam sublata est per Christum Dominum, qui reduxit matrimonium ad primævum statum, dum dixit, *ab initio autem non fuit sic.* Ita Sanchez *dis.* 80. *de Matrim. lib.* 7. *n.* 9. & *n.* 14. cum pluribus aliis ab ipso relatis.

78 Dico secundò: quod ad hoc, ut quis possit ad secun-

secundas nuptias transire, requiritur moralis certitudo de morte conjugis. *Cap. Dominus. de Secun. nupt.* Pirhing. *lib. 4. tit. 1. sect. 5. §. 3. n. 132.* Statuitur in dicto *Cap. Dominus.* quod si quis, vel aliqua dubitet adhuc de morte Conjugis absentis, & fortè contraxerit, reddere potest debitum, non autem exigere à secundo Conjuge. Item si redierit prior Conjux, aut habita sit notitia de ejus vita, debent relinqui adulterini amplexus, quia matrimonium secundum est nullum, non obstante bona fide, in qua fuit contractum.

79 Nec obstat *Cap. Perlatum. Qui filii sint legitimi.* ubi statuitur, filios secundi matrimonii adhuc vivente priore conjuge, esse legitimos, quia causa legitimitatis, est ex eo quod matrimonium secundum fuit bona fide contractum per Judicium Ecclesiæ. Vallensis. *lib. 4. tit. 4. num. 5.*

80 Notandum ex Covarruvia *de Sponsal. p. 2. §. 7. n. 2.* & Vallensi citato *versu Postremo*, quod si quis credens Uxorem suam esse vivam, cum revera sit mortua, & contrahat matrimonium cum alia animo contrahendi, si potest, validum erit matrimonium, etiamsi existimet se non posse, quia satis est, si à parte rei possit.

§. TERTIUS.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

81 QUicunque est in ætate legitima, & potest consentire, si non prohibeatur, potest contrahere matrimonium. *Cap. Cum apud. de Sponsalibus, & Matrim.* Prohibentur autem aliqui, aut à natura, ut furiosi, & amentes, durante furore, aut amentia. *Cap. Dilectus. de Sponsalibus, & Matrim.* & impotentes. *l. In Causis. C. de Repud.* aut prohibentur à lege, vel divina, vel

Digitized by Google

vel naturali, vel Ecclesiastica. Nam licèt Ecclesia non possit mutare Sacramentum Matrimonii, quatenus est Sacramentum, nec reliqua Sacramenta quo ad substantiam, cum sint à Christo Domino instituta, tamen potest præscribere leges de matrimonio, quatenus est contractus, quia Christus non mutavit naturam contractus, sed elevavit ad rationem Sacramenti, nec definivit qualis, & quis esse debeat talis legitimus contractus, nec inter quas personas legitimè talis contractus celebretur, sed reliquit id Ecclesiæ suæ determinandum. Ita communiter Canonistæ cum Theologis.

82 Jam in duplici genere sunt impedimenta, aliqua enim sunt dirimentia matrimonium, ita ut cum uno ex illis non stet matrimonium. Aliqua verò sunt tantùm impedientia, ita ut licitè cum uno ex illis non contrahatur, sed tamen validè. Dirimentia sunt duodecim, & continentur his versibus.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas.
Si sis affinis, si fortè coire nequibis.
Hæc facienda vetant, Connubia facta retractant.

Quibus ex Tridentino additur 13. impedimentum, nimirum Carentia Parochi, & Testium. De præsentia Parochi requisita ad valorem matrimonii jam alibi locuti sumus. Unum hìc addo valde notabile, quod Fagnanus *in Cap. si Clericus. de Foro compet. n.* 58. *in fine.* refert declaratum esse, annuente Sanctissimo, à Sacra Congregatione Concilii, quod in regionibus Infidelium, ubi Parochus proprius non habetur, contrahi possit matrimonium coram Parocho vicino, & Testibus. Quod si nullus haberi possit Parochus, nec Sacerdos catholicus, fieri possit matrimonium coram Testibus, & Notario, si hic habetur, factis tamen prius denunciationibus.

83 Impedientia autem quædam non consurgunt ex aliquo

Bayerische Staatsbibliothek München
Digitized by Google

aliquo crimine, & sunt quinque in his versibus contenta.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum.
Atque Chatechismus, Sponsalia, jungito Votum.
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Alia sunt impedimenta impedientia, quæ oriuntur ex crimine, & sunt septem, his versibus contenta.

Incestus, Raptus Sponsatæ, Mors Mulieris.
Susceptus propriæ Sobolis, Mors Presbyteralis.
Vel si pœniteat solemniter, aut Monialem
Accipiet, prohibent hæc Conjugium sociandum.

De his omnibus, antequam in particulari agamus.

84 Dico quod Hermaphroditus judicari debeat mas, aut fœmina secundùm sexum, qui in eo prævalet. *l. Quæritur. ff. de Statu Hominum.* Et ideo si virilis sexus prævalet, potest ut vir uxorem ducere: si fœminilis, ut fœmina virum accipere. Glossa *in Can. si Testes. versu Ad Testimonium. 4. q. 2. & 3.* Quod si aliter faciat, matrimonium est nullum Jure naturæ, tanquam factum inter personas ejusdem sexus. Si verò uterque sexus sit æqualis, debet eligere quem velit, & juxta electionem potest contrahere cum Juramento, quod non utetur alio sexu præter illum, quem elegerit. Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 106. n. 1.* Vallensis *lib. 4. tit. 1. §. 10. n. 4.* cum Hostiensi, & aliis. Nam valde est indecens, ut modò uno, modò altero sexu utatur.

QUÆSTIO PRIMA:

QUODNAM SIT IMPEDIMENTUM ERRORIS, ET CONDITIONIS?

85 SUpponendum, quod Error in contrahendo matrimonio, potest accidere, ut dicitur *Canone unico. 29. q. 1.* vel circa personam, vel circa condi-

tio-

tionem personæ. Circa personam, ut si quis putans accipere Bertam, accipiat Nympham. Circa conditionem, & statum, ut si quis putans accipere liberam, accipiat servam. Potest etiam accidere error circa fortunam, nimirum si putetur Uxor dives cum sit pauper, aut circa alias qualitates, nimirum si putetur nobilis, aut virgo, quæ est vilis, aut corrupta. His positis.

86 Dico primò: Error circa personam, impedit matrimonium contrahendum, & dissoluit contractum. Ita in dicto *Can. unico. 29. q. 1.* sive talis error sit antecedens, & dans causam contractui, ideſt ideo ducit Vir hanc Mulierem, quia putat esse Bertam, ita ut si sciret esse aliam, non contraheret; sive sit error concomitans, aut incidens in contractum, seu non dans causam contractui, ideſt non ideo ducit Vir hanc Mulierem, quia credit esse Bertam, sed adhuc si sciret non esse Bertam, eam duceret; defacto tamen quando consentit, credit esse Bertam, cum ipsa talis non sit. Et ratio est, quia non stat consensus voluntarius cum tali errore. Nam ille consentit in personam, quam habet in mente; ergo non consentit in eam personam, quæ loco illius, quæ erat in mente, ipsi præsentatur. Unde Jure naturæ irritum est tale matrimonium, quia libertatem, & consensum tollit; non enim consentit, qui errat. *l. Si per Errorem. ff. de Jurisd. omn. Judic.* Atque ita docent Vallensis *lib. 4. tit. 9. n. 1.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. dis. 18. n. 6. & 12.* Van Espen *p. 2. tit. 13. cap. 3. n. 3.* Thomas Tambur. *de Sacram. lib. 8. tract. 1. cap. 12. §. 19. n. 6.* & Theologi reliqui cum Canonistis communiter.

87 Dices: validè baptizat, aut absolvit, qui errat circa personam, quam baptizat, aut absoluit; ergo etiam in casu nostro validè contrahit qui errat circa personam, cum qua contrahit matrimonium.

Respondeo ex communi Doctorum, quod ideo validè

absolvit, qui baptizat, qui putans se baptizare Filium Pauli, aut absolvere Joannem, baptizat, aut absolvit alium, quia ejus intentio non est alligata personæ, quam habet in mente, sed personæ sibi præsenti. Unde est, quod si quis Sacerdos (contra praxim piorum, & doctorum virorum, qui omnes advertunt, quod intentio non alligetur, sed semper referatur ad personam præsentem, quæcumque illa sit,) alligat intentionem ad personam, quam mente concipit, & persona, quam baptizat, aut absolvit, non esset illa, sed alia, nulliter baptizat, aut absolvit. Tamburinus *loco citato. n.* 8.

88 Dico secundò: Error conditionis servilis impedit matrimonium, & dirimit contractum. *Cap. Proposuit.* & *Cap. Ad nostram. de Conjug. Servor.* & *Can. Si quis Ingenuus, cum duabus seq. 29. q. 2.* nisi postquam vir scivit uxorem esse servam, eam carnaliter cognoverit, quia tunc ex iisdem Canonibus, matrimonium tenet. Sicut etiam si quis dubitans mulierem esse servam, eam nihilominus duxit. Ratio est, quia sic jam censetur consentire, ideoque subsistit matrimonium. Vallensis *ibidem. n.* 2. Van Espen *ibidē no.* 12. *ver. Si enim.* Sanchez *De Matr. lib.* 7. *dis.* 19. *n.* 2.

89 Notandum primò quod conditio servilis non impedit jure naturæ matrimonium, sed solùm jure Ecclesiastico; quia error in tali conditione non est in substantia rei, quæ traditur, nempe personæ, sed in qualitate. Benè tamen Ecclesia statuit nullum esse matrimonium, quoties quis liber putans accipere liberam, accepit servam; quia ille liber gravem detrimentum patitur, & quia servitus adversatur bonis matrimonii; nam adversatur bono individuæ vitæ, quia serva tenetur habitare in domo Domini, & item potest vendi, & mitti in partes longinquas. Adversatur etiam fidei matrimonii; quia reddere non potest debitum Marito, cum teneatur satisfacere Domino in servitiis ejus. Adversatur denique bono prolis, quia non po-

Digitized by Google

rest serva alere filium, & bene educare. Videatur Sanchez *dicto lib. 7. tota dis.* 19.

90 Notandum secundò quod postquam liber cognovit conjugem esse servam, & cum ea post talem cognitionem non habuit copulam, si non habetur scandalum, poterit propria authoritate recedere. Si verò habetur scandalum (quod ferè semper habetur) debet intercedere sententia Judicis. In qua causa, ut possit manere matrimonium, debet conjux, in quo est conditio servitutis, probare scientiam in altero conjuge de tali conditione. Nam conjux liber præsumitur non habuisse scientiam, nisi contrarium probetur, *Ex Regul. Præsumitur de Regul. Jur. in 6.* Quod si notoria erat servitus illius in eo loco, in quo contractum est matrimonium, tunc præsumi potest scientia in conjuge libero. *Ex Cap.* 1. *de Postul. Prælat.* & *Can. Quod dicitis dist.* 16. ubi dicitur, quod non potest allegari ignorantia eorum, quæ communiter innotescunt.

91 Notandum tertiò quod matrimonium liberi cum liberta, ideſt eâ, quæ erat ancilla, sed nunc libertate est donata, tenet, etiamsi qui eam duxit putaverit esse ingenuam, ideſt nunquam fuisse servam. Ratio est, quia hæc dum contrahit, verè est libera. Item tenet matrimonium cum illis, qui non sunt absolutè servi, ideſt mancipia, sed sunt servi asscriptitii, ideſt addicti, & ascripti fundo alicujus in perpetuum colendo; aut sunt servi originarii, ideſt nati ex ascriptitiis. Ratio est, quia tales sunt verè liberi, licèt ad certas operas obligati. Ita Glossa. *in Cap. Multorum. de Judæis. ver. sint liberi.* Abbas *in Cap. Multorum.* Vallensis *loco cit. n.* 5. & alii.

92 Notandum quartò quotquoties habetur cognitio servitutis ante contractum matrimonium, semper tenet matimonium, sive sit liberi cum serva, sive servi cum serva, etiam invitis Dominis. Manent tamen ascripti servi servitiis Dominorum. *Cap.* 1. *de Conjug. serv.* Sunt ta-

men aliqui casus, in quibus servus contrahens cum libera, fit liber, nimirum, cum ipse Dominus collocat in matrimonium servum, vel servam cum libera, vel libero, & tacet conditionem servitutis, vel si sciens suum servum cum libera contrahere, ipse Dominus taceat conditionem servitutis. Videatur Sanchez *lib. 7. De Mat. disp. 20. per totã.*

93 Notandum quintò: quod natus ex libero ventre, idest Matre libera, aut liberta, & Patre servo, est liber, & ingenuus. Econtra natus ex Matre serva, & Patre libero, & ingenuo servus est. *Cap. unico. de Natis ex libero ventre.* & *Cap. finali. de Servis non ordinand.* & *L. Partum. C. de Rei vindicat.* Ratio est, quia partus sequitur ventrem, idest conditionem Matris. *L. Et servorum. ff. de Statu hominum.* & sufficit quod Mater fuerit libera aliquo tempore, quo partum gestaverit, nimirum vel tempore, quo concepit, vel quo gestat, vel quo parturit. *Eadem L. Et servorum. de Statu hominum.* nec obstat *L. Cum legitimè. ff. eodem tit.* ubi dicitur, quod filius legitimus sequitur Patrem, quia sensus est quo ad originem, & familiam. Quod si alicubi fuerit consuetudo, quod partus sequatur conditionem Patris, debet servari, & ideo natus ex Patre libero, & Matre ancilla liber est habendus. *Cap. Licèt. de Conjug. servorum.*

94 Dico tertiò: Error circa bona fortunæ, & alias qualitates, si non redundat in errorem personæ, quatenus scilicet contrahens nullo modo intendat contrahere, nisi sub ea conditione, quod mulier sit nobilis, aut dives, non impedit, nec dirimit matrimonium. Ratio est, quia talis error non tollit consensum in personam. Vallensis *lib. 4. tit. 9. n. 7.* Tamburinus *supra citatus n. 11.* & alii communiter.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO SECUNDA.

QUODNAM SIT IMPEDIMENTUM VOTI, ET ORDINIS?

95 Dico quartò: Votum, quod impedit matrimonium, & dirimit contractum post ipsum, est votum solemne Professionis Religiosæ. Tridentinum *sess. 24. Can. 9. & Cap. Meminimus. Qui Clerici, vel Vovent. &c.* de hoc locuti sumus *lib. 1. cap. 14. de Regular. §. 6. n. 46. & n. 58.* diximus in eo Papam dispensare posse, eo quia est impedimentum dirimens ex solo Jure Ecclesiastico. Et ratio est, quia non dirimit ratione voti, cum ut mox dicemus, stet matrimonium cum voto simplici castitatis; sed ratione solemnitatis. Sed hæc solemnitas est inventa ab Ecclesia *Cap. unico. de Voto in 6.* ergo votum castitatis solemne habet dirimere matrimonium ex Jure Ecclesiastico. Ita Vallensis *lib. 4. tit. 3. n. 6.* Vota autem, quæ fiunt post biennium Novitiatus in Societate Jesu, quanvis simplicia, habent dirimere matrimonium juxta Bullam Gregorii XIII. *Ascendente Domino*. quia ut sæpius diximus supradicto *lib. 1. cap. 14. de Regul.* faciunt omnes effectus Professionis solemnis, exceptis irrevocabilitate, & incapacitate Dominii. Ad quid teneatur ille, qui post contractum matrimonium faceret Professionem Religiosam, diximus item *lib. 1. cap. 14. §. 2. n. 4.*

96 Dico quintò: Votum simplex castitatis non dirimit matrimonium contractum post ipsum, sed impedit, idest reddit illicitum. *dicto Cap. Meminimus. Cap. Consuluit.* & *Cap. Rursus. Qui Cler. vel Vovent. matrim. contrah. &c.* Non potest autem, qui tale votum fecit petere debitum, sed solùm reddere, & mortua uxore, tenetur ad castitatem. Sanchez *lib. 9. de Matrim. dis. 35. n. 5. & 11.*

Qui

Qui resolutionem plurium casuum ad conscientiam pertinentium cupit circa eum, qui cum voto castitatis contraxit matrimonium, legat ipsum Sanchez *per totam disp. 33.*

97 Dico sextò: Ordo Sacer impedit matrimonium contrahendum, & dirimit matrimonium post ipsum contractum Trident. *sess. 24. Can. 9.* Et dirimit nō solùm ratione voti annexi, sed etiam ratione sui, quatenus ex lege Ecclesiastica ipse Ordo Sacer habet esse impedimentum dirimens matrimonium; unde est, quod Papa possit dispensare in hoc, quod Ordinatus in Sacris matrimonium contrahat, ut diximus *hoc lib. 2. cap. 2. n. 82.* & dicit Vallensis *cit. n. 1.* de Ordinato ante annos Pubertatis, an possit contrahere matrimonium: diximus eodem *Cap. 2. n. 118.* Item *dicto Cap. 2. n. 78.* & *83.* plura diximus de eo, qui, cum sit uxoratus, ordinetur in Sacris.

98 Hìc addo, quod qui in Sacris constitutus contrahit matrimonium, incurrit excommunicationem ipso facto *ex Clement. unica. de Consanguin. & Affinit.* Quod idem dicitur ibidem de Professo, & Professa contrahentibus matrimonium.

QUÆSTIO TERTIA.

QUODNAM SIT IMPEDIMENTUM COGNATIONIS SPIRITUALIS?

99 SUpponendum, Cognatos ita dici, quia sunt ex uno nati, seu quasi commune nascendi principium habuerint. *l. 1. §. 2. ff. Unde Cognati* & *l. 4. §. 1. ff. de Gradibus affinitatis.* Cognatio autem est nomen generale significans vinculum, quod vel ex natura, vel ex dispositione Juris inter aliquos nascitur. Unde est, quod

quod triplex sit Cognatio, Naturalis scilicet, seu Carnalis, Spiritualis, & Legalis, seu Civilis.

100 Cognatio Spiritualis, quæ vulgò dicitur Compaternitas, & Commaternitas, est conjunctio nascens ex dispositione Ecclesiæ ex Sacramento Baptismi, & Confirmationis, in quibus adsunt Patrini, non autem ex aliis Sacramentis: *Cap. unico. de Cognat. Spirit. in 6.* nascitur autem ex talibus Sacramentis Cognatio Spiritualis, quia in illis regeneratur homo ad vitam æternam, & ideo Baptizans, & Confirmans est veluti generans, Patrinus verò est veluti Mater, quia nomine Ecclesiæ suscipit in suo gremio Baptizatum, & Confirmatum. Unde sicut per naturalem generationem consurgit Cognatio dirimens matrimonium, ita per Spiritualem generationem. Alia verò Sacramenta, licèt dent vitam animæ, seu gratiam, non tamen dant per modum generationis, sed per modum alimenti, ut Eucaristia, vel per modum sanationis, ut Pœnitentia, vel per modum confortationis, ut extrema Unctio. Ita Vallensis *lib. 4. tit. 11. à n. 4.* His positis.

101 Dico septimò: De Jure Decretalium Cognatio Spiritualis dirimens matrimonium est inter Baptizatum, & Patrinum, vel Patrinam, & inter eundem Baptizatum, & filios, vel filias, atque uxorem Patrini jam ab ipso carnaliter cognitam. Item inter Patrinum, & Patrem, & Matrem Baptizati, & inter Baptizatum, & Baptizantem, ejusque filios, & filias. *Cap. Martinus. & Cap. Veniens. & Cap. Ex literis. De Cognat. Spirit. & Cap. 1. eodem tit. in 6.* Atque eodem modo impedit, & dirimit Matrimonium Cognatio Spiritualis orta ex Cõfirmatione *ex dicto Cap. 1. in fine de Cognat. Spirit. in 6.*

102 Dico octavò: Ex Jure novo Tridentini *sess. 24. de Refor. Matrim. Cap. 2.* Unus sive mas, sive fœmina, vel unus, & una possunt esse Patrini, & ipsi solùm contra-

trahunt Cognationem ſpiritualem cum Baptizato, & illius Patre, & Matre, nec non Baptizans cum Baptizato, Baptizatique Matre, & Patre. Similiter Cognatio ſpiritualis ex Confirmatione oritur tantùm inter Confirmãtem, & Confirmatum, ejuſque Patrem, & Matrem: atque inter Suſcipientem, ſeu Patrinum, & Confirmatum, ejuſque Patrem, & Matrem. Unde hodie ſolùm impeditur contrahendum, & dirimitur matrimonium contractum à Patrino cum Baptizata, vel Patrina cum Baptizato ab ipſa ſuſcepto in Baptiſmo, aut contractum à Patrino cum Matre Baptizati ſuſcepti, vel Patrina cum Patre Baptizati ſuſcepti. Cum Baptizante enim, quia ſupponitur Sacerdos, jam aliunde contrahi non poteſt matrimonium.

103 Quod ſi Baptizans non fuerit Sacerdos propter aliquam neceſſitatem, adhuc dirimitur matrimonium contractum inter ipſum, & Baptizatam ab ipſo, & inter ipſum, & Matrem Baptizati, aut inter ipſam Baptizantem, & Baptizatum, & Patrem Baptizati. Nec neceſſitas excuſat à contrahenda tali cognatione dirimente matrimonium poſt ipſum contractum, ſicuti excuſat Conjuges baptizantes filium. Ratio eſt, quia matrimonium contractum non dirimitur per cognationem ſuperveniẽtem, ſed ſolùm impeditur ejus uſus juxta opinionem aliquorum; quod impedimentum usûs matrimonii habet rationem pœnæ, & ideo ſi adſit neceſſitas baptizandi filium, non incurritur talis pœna à Conjugibus baptizantibus. At quando matrimoninm non eſt contractum, quod impediatur, & dirimatur per cognationem ſpiritualem non eſt pœna; ſed eſt Statutum Eccleſiæ ſic præcipientis, & ideo neceſſitas non excuſat à contrahendo tali impedimento. Ita Sanchez cum pluribus *lib. 7. de Matrimonio. diſp. 62. n. 10.*

Hinc Petrus Baptizans in neceſſitate filium habitum ex Con-

Digitized by Google

ex concubina non potest deinde cum eadem contrahere matrimonium. Idem Sanchez *n.* 11. cum pluribus aliis.

104 Susceptores autem Infantis in tali Baptismo privato non contrahunt cognationem spiritualem dirimentem matrimonium, quia talis cognatio contrahitur in Baptismo solemni, ubi solùm Susceptores dicuntur, & sunt Patrini. Ita idem Sanchez *n.* 14. sicut nec ulla contrahitur cognatio spiritualis, quoties infans fuit validè privatim baptizatus, & deinde in Ecclesia fiunt cæremoniæ, aut solemniter iteratur sub conditione Baptismus. Quod si constaret de nullitate prioris Baptismi, sicut nulla contraheretur cognatio spiritualis in illo privato, ita contraheretur in posteriore solemni Baptismo. Idem Sanchez *dicto libro 7. de Matrim. dis. 62. n. 5.*

Dixi, si constaret de nullitate prioris Baptismi, quia dum non constat, præsumit Ecclesia cognationem in eo Baptismo, de quo adest dubium de nullitate. Quod si non est merum dubium, sed sunt duæ opiniones probabiles de validitate Baptismi, tunc poterit sustineri non fuisse validum, & sic non fuisse contractam cognationem; At qui sustinent, fuisse validum, debent sustinere fuisse contractam cognationem. Ita idem Sanchez *ibidem* cum aliis *n. 6. & 7.* qui tandem concludit, quod in tali casu, cum utraq; opinio sit probabilis, poterit Baptizans utramvis opinionem tutâ conscientiâ amplecti.

105 Dico nonò: Cognatio spiritualis dirimit matrimonium contractum post ipsam, non verò ante ipsam. *Cap. Veniens. Cap. Si vir. de Cognat. Spirit.* & *Cap. 1. Eodem tit. in 6.* Ratio est, quia nullum impedimentum superveniens matrimonio legitimè contracto, illud solvere potest; sed solùm matrimonii usum, ideſt petitionem debiti, impedire potest, ut infra dicemus de cognoscente carnaliter sororem uxoris suæ. Utrum autem cognatio spiritualis impediat usum matrimonii, est in controver-

Digitized by Google

ſia apud Authores, & videtur quod non; Nam *dicto Cap. Si vir. de Cognat. Spirit.* dicitur quod Pater, vel Mater ſuſcipiens de fonte Baptiſmali filium ſive ignoranter, ſive ſcienter, non ſunt ſeparandi, nec debitum alter alteri debet ſubtrahere, ut ſupra notavimus *Cap. 1. §. 3. n. 28.* Unde Gloſſa ibi ait: nō eſſe prohibitam petitionem debiti in tali caſu. Idipſum docet Thomas Tamburinus. *de Sacram. lib. 2. cap. 4. §. 2. n. 16.* Certum tamen eſt, quod ſi Pater, vel Mater baptizat filium in caſu neceſſitatis, nec peccant, nec contrahunt cognationem ſpiritualem. Plura videri poſſunt de cognatione ſpirituali apud Sanchez *de Matrim. lib. 7. à diſ. 56. uſque ad 63.* excluſivè, aut apud Fagnanum *in Cap. 1. 2. 6. & 8. de Cognat. Spirit.*

QUÆSTIO QUARTA.

QUODNAM SIT IMPEDIMENTUM COGNATIONIS LEGALIS?

106 Dico decimò: Cognatio legalis eſt conjunctio proveniens ex Adoptione. Eſt autem Adoptio actus legitimus, per quem fit filius, aut nepos, qui talis naturâ non eſt. Unde ad Adoptionem requiritur, ut fiat ſecundùm leges civiles, & canonicas, & hoc importat eſſe actum legitimum. Præterea non poteſt fieri Adoptio in Patrem, vel fratrem, ſed in filium, vel nepotem. *L. Nec apud. C. de Hæred. inſtituendis.*

107 Leges autem volunt has conditiones ad Adoptionem, nimirum, ut Adoptans ſit maſculus; ut ſit ſui Juris, & major 25. annis, & in arrogatione, de qua mox, ſit in ætate 40. annorum; ut ſit potens naturaliter habere filios, & ideo, ut excedat Adoptatum ſaltem octodecim annis. Ac demum requiritur quod Adoptatus ſit præſens, & fiat Adoptio authoritate Judicis, vel Principis,

juxta

Digitized by Google

juxta mox dicenda. Hæc omnia habentur in titulis de Adoptionibus, tam *Institut.* quàm *in ff.* Et videri possunt apud Sanchez *lib. 7. de Matrim. dis. 63. n. 3.*

108 Duplex est Adoptio, alia perfecta, & dicitur Arrogatio, alia imperfecta, & dicitur simplex Adoptio. Arrogatio fit authoritate, & rescripto Principis, rogante ipso Principe Adoptantem, an velit in filium, vel nepotem hunc hominem, & hic consentire debet, atque illico transit in potestatem Arrogantis, ideoque debet esse sui Juris, ut possit quis arrogari. Adoptio verò simplex fieri potest authoritate Judicis, & Adoptatus non transit in potestatem Adoptantis, sed remanet in potestate sui Patris naturalis. Glossa *in Cap. unicum. de Cognat. legali. §. Quandiu. ver. Nota.* Sunt & aliæ differentiæ inter Arrogatum, & Adoptatum circa successionem in bonis Patris Adoptivi, quæ videri possunt in titulis supradictis. *de Adoptio. Institut. & ff.* His positis.

109 Dico undecimò: Cognatio legalis est impedimentum dirimens matrimonium post ipsam contractum, & impediens contrahendum. Dicitur autem Cognatio legalis, quia lege civili est inducta, & approbata à Jure Canonico *Cap. unico. de Cognat. legal.* & *Can. Ita diligere. 30. quæst. 3.*

Et primò quidem est sententia communis, quod dirimat matrimonium Cognatio legalis per lineam rectam; idest inter Adoptantem, & filiam Adoptivam, vel Neptem. Item inter Adoptantem, & rectâ lineâ descendentes, quæ erant sub potestate Adoptati tempore Adoptionis; nam cum aliis descendentibus, quæ non erant sub potestate ejus tempore Adoptionis, valde probabile est, quod non contrahatur Cognatio legalis, ut docent cum aliis pluribus Sanchez *dicto lib. 7. dis. 63. n. 34.* & Castropalao *p. 5. trac. 28. dis. 4. pun. 9. n. 14.* unde inter Adoptantem, & filiam filiæ Adoptatæ nullum est impedimen-

Digitized by Google

tum, quia fœmina non habet in sua potestate filiam.

110 Secundò quod Cognatio legalis ex quadam affinitate, idest inter Adoptantem, & uxorem Adoptati, quæ se habet ut nurus, & inter Adoptatum, & uxorem Adoptantis, quæ se habet, ut noverca. *l. Adoptivus. & l. Quin etiam. ff. de Ritu nuptiar.* & tertiò, quod Cognatio legalis lateralis, idest inter filium Adoptatum, & filiam naturalem legitimam Adoptantis, quæ se habet, ut Soror, sit impedimentum matrimonii, illud dirimens, est etiam communis sententia, ut videre est apud Castropalao *dicta parte 5. trac. 28. dis. 4. pun. 9. n. 7.* Cum hac tamen differentia, quod Cognatio legalis per lineam rectam dirimat matrimonium in perpetuum, idest etiam soluta Adoptione, ut ait Glossa *in Cap. unicum. de Cogn. legal. dicto §. Quandiù. versu Sed inter.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. dis. 63. n. 24.* Vallensis *lib. 4. tit. 12. n. 2.* Piringh *lib. 4. tit. 12. §. 3. n. 5. & 7.* Castropalao *lo. cit. n. 11. & 16.* Basilius Pontius *lib. 7. cap. 42. n. 2.* & alii plures apud ipsos, qui omnes docent, quod etiam Cognatio per affinitatem dirimat semper, & in perpetuum; Cognatio verò legalis lateralis non dirimit semper, sed solum, durante Adoptione. Unde si dissolvatur Adoptio per mortem Adoptantis, aut per Emancipationem Adoptati (est Emancipatio, relaxatio à potestate, & manu Adoptantis coram Judice. *L. 3. 5. & 6. C. de Emancip. liberorum.*) si dissolvatur, inquam, Adoptio, poterunt filius Adoptivus, & filia legitima, & naturalis Adoptantis conjungi in matrimonium. Ita Sanchez cum multis *dicto n. 24. versu Constat etiam.* Pirhing *n. 6.* Vallensis. *n. 3.* Castropal. *loc. vit. n. 15.* & Layman *lib. 5. trac. 10. cap. 7. n. 3. versu Est porro.* Et ratio desumitur ex ipso *Cap. unico. de Cognat. legal.* ubi dicitur. *Quandiu durat Adoptio inter me* (nimirum filium naturalem,) *& ipsam* (idest Sororem Adoptivam) *nuptiæ consistere non possunt.*

sunt. ergo soluta Adoptione, consistere possunt.

111 Dico duodecimò: Est impedimentum dirimens modo explicato, utraque Cognatio legalis, nimirum, & quæ habetur per Adoptionem perfectam, seu Arrogationem, & quæ habetur per imperfectam, seu simplicem Adoptionem. Ratio est, quam adducit Glossa *in dictum Cap. unicum. de Cognat. legali. prope finem*, nimirum quod Decretalis loquitur indistinctè de Adoptione, non distinguendo inter Arrogatum, & Adoptatum; & non solùm Decretalis illa de Cognatione legali loquitur indistinctè, sed etiam *Canon Ita diligere*; & *Canon Per Adoptionem. 30. q. 3.* Cum igitur lex non distinguat, nec nos distinguere debemus. *l. Non distinguemus. ff. de Receptis Arbitris.* Atque ita docet Castropalao *dicto trac. 28. dis. 4. pun. 9. n. 9.* dicens, hanc esse veriorem, & in praxi sequendam sententiam, citans pro ea Abbatem, & Hostiensem *in Cap. unicum de Cognat. legali.* Covarruviam, Gregorium Lopez, Toletum, Basilium Pontium, Guttierrez, & alios. Sanchez autem dicta *dis. 63. lib. 7. de Matrim. n. 9.* quanvis admittat ut probabilem supradictam sententiam, tamen sequitur oppositam cum aliis, quos citat, & vult, quod per solam Arrogationem contrahitur impedimentum dirimens matrimonium; sentit cum Sanchez Pirhing *lib. 4. tit. 12. §. 2. n. 4.*

112 Verùm nō obstant argumēta, quæ à Pirhing *loco citato*, & à Diana *par. 4. trac. 4. miscellaneo. Resolut. 120. ver. sed contraria.* adducuntur, quæ etiam referuntur à Castropalao *dicto trac. 28. disp. 4. pun. 9. n. 8.* nimirum: Cognatio legalis est ad similitudinem Cognationis carnalis, quæ petit alium sub potestate constitui. Secundò est ad similitudinem eorum, qui nati sunt. Tertiò, quia hoc impedimentum est, ut vitetur occasio fornicandi, quæ non datur, nisi Adoptivus sit sub potestate Adoptantis, & in eadem Domo moretur. Quartò impedimenta

sunt

sunt restringenda potiùs, quam amplianda.

Non obstant, inquam, quia, quanvis verum sit, quod Cognatio legalis sit ad similitudinem carnalis, & eorum, qui sunt filii nati legitimè, non tamen ideo debet servare omnia, quæ in Cognatione carnali habentur. Et cum verè dicantur filii Adoptivi, etiam qui non per Adoptionem perfectam adoptentur; & leges loquantur indistinctè, sequitur, quod etiam de tali Adoptione loquantur. Cessat quidem ratio de Incontinentia, &c. at non cessat ratio reverentiæ debitæ Cognatis, propter quã habetur impedimentum publicæ honestatis, &c. Impedimenta Matrimonii sunt restringenda, quantùm verba Legis permittunt; non autem permittunt, quod sola Arrogatio sit impedimentum, ut est probatum.

113 Dico decimotertiò: Inter Adoptantem, & Parentes Adoptati, seu Adoptivi, sicut inter ipsos Adoptatos ab eodem Adoptante, nulla Cognatio legalis habetur. Unde stat matrimonium inter Adoptantem, & Matrem Adoptati, & inter virum, & fœminam adoptatos ab eodem. Similiter inter filios duorum fratrum Adoptivorum, inter filiam illegitimam Adoptantis, & filium ejusdem Adoptivum. Ratio est, quia nullo Jure Cognatio inter prædictos inducta reperitur. Ita Vallensis *cit. n.* 4. Sanchez cum aliis multis *n.* 26. & 28. Castropal. *n.* 14. & 15.

114 Neque obstat *Canon. Ita diligere.* 30. *q.* 3. namdum dicit, quod inter filium naturalem, & Adoptivam non potest contrahi matrimonium, loquitur de filia legitima, non de illegitima, quæ non est in patria potestate. Et ratio est, quia si postquam soluta sit Adoptio, possunt contrahere matrimonium filius Adoptivus cum filia naturali, idest legitima Adoptantis, eo quia Adoptivus non est amplius in ejus potestate, multò magis cum illegitima, quæ nunquam est sub patria potestate §. *Si adver-*

Digitized by Google

verſus. penult. Inſtit. de Nuptiis. Et propter eandem rationem poteſt Adoptans contrahere cum filia filiæ Adoptivæ, ut ſupra diximus, quia fœmina non habet filiam ſub ſua Poteſtate. §. *Fœminæ Inſtit. de Adoption.*

115 Neque obſtat ſecundò: quod filius illegitimus non poſſit contrahere matrimonium cum Conſanguineis ſui Patris, quia Impedimentum illud eſt propter vinculum naturale cum Patre, & cum Conſanguineis ejusdem. At vinculum Cognationis legalis non eſt naturale, ſed civile, quod ſicuti ceſſat, ceſſante patria poteſtate, ita non contrahitur cum eis, qui ſunt extra patriam poteſtatem Adoptantis, aut non tranſeunt in ejus poteſtatem tempore, quo filium adoptat.

QUÆSTIO QUINTA.

QUODNAM SIT IMPEDIMENTUM COGNATIONIS CARNALIS?

116 SUpponendum, quod Cognatio carnalis, ſeu naturalis eſt vinculum, ſeu propinquitas ex eodem ſtipite, ſeu ſanguine deſcendentium; unde Conſanguinei dicuntur, qui deſcendunt ex eodem ſanguine. Addunt aliqui verbum [*propinquo*] & dicunt: ex eodem ſtipite propinquo deſcendentium; quia debent à vicino Parente deſcendere, aliter omnes eſſemus Conſanguinei, cum ab uno Patre Adamo deſcendamus.

118 Supponendum ſecundò: quod Cognatio genericè ſumpta dividitur in Agnationem, & Cognationem ſpecificè ſuptam. Agnati dicuntur, qui ex eodem ſanguine per virilem ſexum nati ſunt. §. 2. *Inſtitut. de Legitima Agnatorum ſucceſſione.* Et ideo vinculum, ſeu propinquitas iſtorum dicitur Agnatio. Cognati ſpecificè, dicuntur qui ex eodem ſanguine per fœmineum ſexum nati ſunt;

Digitized by Google

sunt; & eorum vinculum, seu proqinquitas dicitur Cognatio specificè sumpta. Nam Cognatio genericè sumpta complectitur, etiam Agnatos, & Cognatos, nimirum eos qui descendunt ex eodem Patre, & eos qui descendunt ex eadem Matre.

118 Supponendum tertiò: quod Cognati (sumpto Cognationis vocabulo genericè) alii sunt Ascendentes, alii Descendentes, alii Collaterales. Ascendentes sunt, qui nos genuerunt, ut Pater, Mater, Avus, Avia, Proavus, Proavia, & qui supra hos sunt. Descendentes autem sunt, qui ex nobis nati sunt, ut filius, filia, nepos, neptis, pronepos, proneptis, & qui ultra sunt. Collaterales, seu Transversales sunt, qui neque nos genuerunt, neque geniti sunt à nobis, sed nobiscum stirpem communem habent, ut Soror, & Frater, Filii duorum Fratrum, qui dicuntur Patrueles, & Consobrini, qui sunt duarum Sororum filii, atque ex jis descendentes. Similiter Patruus, & Avunculus, cæterique Superiores. His positis.

119 Dico decimoquartò: Inter filium, & Matrem, aut Patrem, & filiã, nuptiæ sũt irritæ, & quidem Jure naturæ, quia matrimonium ordinatur à natura ad copulam; sed natura abhorret à copula inter Patrem, & filiam, aut inter filium, & Matrem, cum gentes eam damnent. ergo. Atque in hoc impedimento dirimente convenit Jus Canonicum cum Jure civili. Neque Summus Pontifex in eo dispensare potest. Ita Vallensis *lib. 4. tit. 14. §. 1. n. 5.* Castropalao *tract. 28. p. 5. dis. 4. pun. 7. n. 8.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. dis. 51. n. 7. & 19.* Guttierrez *de Matrim. cap. 98. n. 13.* & alii plures apud ipsos. Notant autem Castropalao *dicto n. 8.* Sanchez *n. 10.* & Guttierrez *n. 10.* quod si nulli alii homines essent in mundo, nisi Pater, & filia, posset in tali extrema necessitate esse inter eos licitum matrimonium.

120 Di-

Digitized by Google

120 Dico decimoquintò: Hoc impedimentum cognationis naturalis inter Ascendentes, & Descendentes per lineam rectam non protrahitur in infinitum, ut volunt multi Juristæ, & Canonistæ, quos refert Sanchez *dicta disp.* 51. *lib.* 7. *n.* 12. sed durat usque ad quartum gradum inclusivè, quia Jus Canonicum *Cap. Non debet. de Consangui: & Affinit.* sic statuit: *Prohibitio quoque Conjugalis copulæ quartum Consanguinitatis, & Affinitatis gradum de cætero non excedat*: ergo cum in matrimoniis inter fideles attendendum sit Jori Canonico, cui soli incumbit inter eos impedimenta statuere, parum refert, quod Jus civile statuerit impedimentum cognationis in linea recta in infinitum: Ita Sanchez cum aliis pluribus *n.* 13. & Castropalao *n.* 4.

121 Dico decimosextò: Inter Consanguineos collaterales, nimirum inter Fratrem, & Sororem, incertum est an sit Jure naturæ irritum matrimonium; certum autem est, quod Jure Ecclesiastico irritum sit, non solùm inter Fratrem, & Sororem, sed etiam inter Collaterales usque ad quartum gradum inclusivè, quos gradus mox explicabimus. Ita *in Cap. Non debet. de Consangu. & Affinit.* unde Canones antiqui, nimirum *Can. Nullum & Can. Nulli. & similes. 35. q.* 5. extendentes hoc impedimentum usque ad septimum gradum, abolitì sunt.

122 Dico decimoseptimò: Cognatio naturalis, seu Consanguinitas distinguitur per lineas, & lineæ distinguuntur per gradus ad modum scalæ. *L. ult.* §. *Gradus. ff. de Gradibus affinitatis.*

Linea igitur est series ordinata personarum sanguine conjunctarum, & est triplex; nimirum Ascendentium, Descendentium, & Collateralium. Prima, & secunda linea dicitur recta. Tertia dicitur tranversa, & quælibet habet suos gradus.

123 Ut autè facilius intelligatur, inspiciatur sequens fi-

Digitized by Google

figuram, in qua ponitur in medio persona hypothetica, de qua nimirum supponitur fieri quæstio, in quo gradu distet ab alia, & ab ea ducitur linea perpendicularis sursum, & deorsum, quæ sursum petit, dicitur linea recta Ascendentium, quæ deorsum recta Descendentium. Ducuntur enim dicæ transversæ sursum, & deorsum, & dicuntur lineæ Collaterales.

124 Tot autem gradus habentur inter se, quot sunt lineæ à persona ad personam, seu quot sunt personæ, una demptâ, nempe stipite: est autem stipes communis persona illa, à qua omnes personæ, de quarum conjunctione tractatur, descendunt. Sic persona hypothetica cum Patre, & Matre, filio, & filia, est in primo gradu, quia una linea inter ipsos habetur ducta, à persona ad personam; et quia filius, & Pater sunt duæ personæ, à quibus demptâ una, ideſt Patre, qui est stipes, manet una; & similiter Frater, & Soror sunt in primo gradu secundùm Jus Canonicum, quod in matrimoniis fidelium, ut supra notavi, est attendendum. Secundùm autem Jus civile non datur primus gradus in transversalibus, sed Frater, & Soror, quia Patris, vel Matris persona, per quos cõjungũtur, prior numeratur, sunt in secundo gradu. *L. 1. & L. Juris consultus. 10. §. Idem faciendum. ff. de Gradibus. Affinit.* At Jus Canonicum dicit, Fratrem, & Sororem esse in primo gradu. *Can. Ad Sedem Apostolicam. 35. q. 5.*

125 Insuper persona hypothetica cum Avo, & Nepote est in secundo gradu, sicut etiam cum filiis Fratris, & filiis Sororis, quia duæ lineæ inter ipsos habentur, una, quæ incipit à persona hypothetica usque ad Patrem, & alia, quæ à Patre usque ad Avum, sicut etiam una, quæ incipit ab ipsa persona hypothetica usque ad Fratrẽ, vel Sororem, & alia quæ à Fratre, vel Sorore ducitur ad filios ipsorum; seu quia persona hypothetica, Pater, et Avus sunt tres Personæ, ex quâ demptâ, ideſt stipite, qui est Avus, manent duo. 126 No-

Digitized by Google

SCHEMA CONSANGUINITATIS.

	IV. Abavus Abavia.	
IV. Mag. Propatruus. M. Proamita.	III. Proavus Proavia.	IV. Ma. Proavũculus. M. Promatertera.
III. M. Patruus M. Amita.	II. Avus Avia.	III. M. Avunculus M. Matertera.
II. Patruus Amita.	I. PATER MATER.	II. Avunculus Matertera.
I. Frater.	Persona Hypothetica.	I. Soror.
II. Filii, et Filiæ Fratris.	I. Filius Filia.	II. Filii, & Filiæ Sororis.
III. Nepotes, et Neptes ex Fratre.	II. Nepos Neptis.	III. Nepotes, & Neptes ex Sorore.
IV. Pronepotes, & Proneptes ex Fratre.	III. Pronepos Proneptis.	IV. Prõepotes, & Proneptes ex Sorore.
	IV. Abnepos Abneptis.	

Digitized by Google

I. M. Patruus M. Amita.	I. PATER MATER.	I. Socer. Socrus.
II. M. Patruus M. Amita.	II. Avus Avia.	II. M. Avunculus M. Matertera.
III. Proavus Proavia.	III. Proavus Proavia.	III. M.a. Proavunculus. M.a Promatertera.
IV. Abnepos Abneptis.	IV. Abnepos Abneptis.	CONSANGUI- NEATIS.
I. Frater. Soror.	I. Filius Filia.	I. Nepos Neptis.
II. Nepos, ex Fratre Neptis ex Fratre.	II. Nepos Neptis.	II. Filii, & Filiæ Sororis.
III. Pronepos, & Pro- neptis ex Fratre.	III. Pronepos Proneptis.	III. Nepotes, & Nep- tes ex Sorore.
IV. Abnepos Abneptis.	IV. Abnepos Abneptis.	IV. Pronepotes, & Pro- neptes ex Sorore.

126 Notandum, quod quoto gradu distant personæ à communi stipite, eodem distant inter se, quoties æqualiter distant ab illo communi stipite, v. g. duo Fratres sunt in primo gradu, quia eo gradu distant à Patre, qui est communis proximus eorum stipes. Filii duorum Fratrum, vel duarum Sororum sunt inter se in secundo gradu, quia eodem distant à communi stipite, nempe eorum Avo, et sic de reliquis.

127 Illi autem, qui inæqualiter distant à communi stipite, distant inter se in eo gradu, in quo ab illo stipite distat remotior persona. *Cap. ultimo. de Consanguinit. & Affinit.* Et ratio, est quia, si eorum distantia desumeretur à propinquiore, sequeretur quod ubi unus distat in primo gradu, et alius in tertio, deberent isti duo esse in primo gradu, cum tamen hoc implicet, quia implicat, quod conjunctiores sint inter se, quàm cum stipite, à quo sumitur ratio conjunctionis inter se. Igitur Jure Pontificio Patruus, vel Avunculus personæ hypotheticæ est in secũdo gradu cum illa, quia cũ persona hypothetica sit remotior à communi stipite, nempe ab Avo, vel Avia, quippequę distet duobus gradibus, cum interim Patruus, vel Avunculus ipsius personæ hypotheticæ distet ab eodem Avo, vel Avia uno tantùm gradu; cum enim Patruus sit Frater Patris Personæ hypotheticæ, est Filius Avi ejusdem personæ hypotheticæ; atque ideo sequitur juxta regulã, quod persona hypothetica distet à Patruo, vel Avunculo in secundo gradu,

128 Notandum secundò: quod in graduum supputatione nihil interest an personæ intermediæ sint vivæ, vel mortuæ, naturales tantùm, an legitimæ simul, et naturales, servæ, vel liberæ, quia hic solùm spectatur Jus naturale sanguinis. *L. Et nihil interest. ff. de Ritu Nuptiarum.*

129 Notandum tertiò: quo ad explicationem terminorum Tyronibus necessariam, quod Patruus est Frater

et Amita est Soror Patris personæ hypotheticæ. Magnus Patruus est Frater, et Magna Amita est Soror Avi, Avus autem est Pater Patris. Magnus Propatruus est Frater, et magna Proamita est Soror Proavi. Proavus autem est Pater Avi, sicut Abavus est Pater Proavi. Avunculus est Frater, et Matertera Soror Matris personæ hypotheticæ. Magnus Avunculus est Frater, et magna Matertera Soror Aviæ. Avia autem est Mater Matris. Magnus Proavunculus est Frater, et magna Promatertera est Soror Proaviæ. Proavia autem est Mater Aviæ, sicut Abavia est Mater Proaviæ. Reliqui termini patent.

QUÆSTIO SEXTA.

QUODNAM SIT IMPEDIMENTUM AFFINITATIS?

130 Dico decimo, octavò: Affinitas est Proximitas personarũ ex copula carnali proveniens. Dicitur affinitas, eò quia est duorum ad unum finem unitas. Nam duæ cognationes diversę copulantur per nuptias, et alter ad alterius cognationis finem accedit. *L. Non facile. ff. de Gradib. affinit. §. Affines.* Non tamen quod Cognati viri, et uxoris fiant inter se Affines, sed quod Cognati viri fiant Affines uxori, et Cognati uxoris fiant Affines viro. Unde Consanguinei uxoris licitè copulantur in matrimonium cum Consanguineis viri, veluti Pater, et filius cum Matre, et filia. Duo Fratres cum duabus Sororibus, et sic de reliquis Consanguineis diversarum cognationum. At ipse vir cum Cognatis uxoris mortuæ, aut uxor cum Cognatis viri sui defuncti, contrahere non potest. *Cap. Quod super his. de Consanguin. & Affinit.* Atque ita Van Espen *p. 2. tit. 13. cap. 5. n. 23.* Vallensis *lib. 4. tit.*

14. §. 2. *n.* 1. et reliqui omnes.

131 Nomina Affinium numerantur in dicta *L. Non facile. ff. de Grad. affinit.* Et sunt Socer, ideſt Pater Mariti, et Pater uxoris. Socrus, ideſt Mater Mariti, vel Uxoris. Gener, ideſt Maritus filiæ. Nurus, ideſt uxor filii. Noverca, ideſt uxor Patris naturalis, vel Adoptivi. Vitricus, ideſt Maritus Matris naturalis. Privignus, ideſt filius Mariti ex alia uxore genitus, vel uxoris ex alio viro. Privigna, ideſt filia uxoris ab alio viro genita, vel filia Mariti ex alia uxore genita. Levir, ideſt Frater viri. Glos, ideſt uxor Fratris.

132 Dico decimononò: Affinitas Jure civili oritur ſolùm ex copula maritali. *dicta L. Non facile.* §. *Affines. de Grad. affinit.* At Jure Canonico etiam ex copula illicita. *Cap. Ex literis.* & *Cap. Veniens. De eo, qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ &c.* Non contrahitur Affinitas cū conſanguineis uxoris, niſi ſecutâ copulâ cum eadem uxore; contrahitur tamen impedimentum publicæ honeſtatis, de quo infra. *Can. Si quis uxorem.* & *Can. Si quis deponſaverit.* 27. *q.* 2.

133 Dico vigeſimò: Impedimentum affinitatis ex copula maritali eſt hodie dirimens matrimonium uſque ad quartum gradum. *Cap. Non debet. ver. Prohibitio. de Conſanguinit. & Affinit.* Ex copula autem illicita Affinitas orta dirimit matrimonium contractum poſt ipſam uſque ad ſecundum gradum inclusivè. Trident. *ſeſſ.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 4. & Pius V. in Conſtitut. quæ incipit: *Ad Romanum. die* 20. *Auguſti.* 1526. declaravit affinitatem, ex copula illicita ultra ſecundum gradum, nec dirimere, nec impedire matrimonium; ut refert Fagnanus *in Cap. Non debet. n.* 19. *de Conſanguin. & Affinit.*

134 Gradus autem Affinitatis computantur per ordinem ad gradus conſanguinitatis, ideoque quoto gradu conſanguineus quisque conjungitur cum Marito, eo-

dem

dem gradu Affinitatis conjungitur cum ejus uxore; & e contra. v. g. Frater, & Soror uxoris tuæ sunt tibi conjuncti in primo gradu Affinitatis, quia Frater, & Soror sunt in primo gradu Consanguinitatis cum tua uxore, & sic de reliquis.

135 Nota quod matrimonium dirimitur per affinitatem ex copula maritali usque ad quartum gradum, & usque ad secundum per illicitam, si Affinitas sit primi generis, non verò si sit secundi generis, aut tertii, vel ulteriotis. Ita *ex Cap. Non debet. de Consaguin. & Affinit.* statuunt Doctores. Quæ verò sit Affinitas in primo genere, quæ in secundo, vel tertio, intelliges exemplo. Uxor Fratris tui est tibi, & tuis Consanguineis affinis in primo genere; mortuo verò Fratre tuo, si illa alteri nubat, hic secundus ejus Maritus erit tibi affinis in secundo genere. Quod si hic ejus secundus Maritus aliam uxorem duxerit post mortem illius, quæ fuerat Fratris tui, erit tibi hæc alia uxor affinis in tertio genere. Jam secundùm Jus antiquum prohibitæ erant nuptiæ inter quoscunque Affines. *Can. Nullum. & sequ.* 35. *q.* 2. & 3. verùm *ex Cap. Non debet. de Consanguinit. &c.* hoc impedimentum reductum est ad primum genus Affinitatis.

136 Est hìc notandum, quod contra eos, qui in gradibus Consanguinitatis, & Affinitatis prohibitis, audent contrahere matrimonium, est lata Excommunicatio ipso facto incurrenda *ex Clemen. unica. de Consanguin. & Affinit.* & item ex Trident. *sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 5. debent separari, & carere spe dispensationis, nisi adhibitis solitis solemnitatibus, & denunciationibus celebraverint matrimonium, ita ut probabiliter ignoraverint impedimentum, quod postea cognoscunt. In tali enim casu poterunt obtinere dispensationem, dummodo non sint in secundo gradu, quæ dispensatio non nisi magnis Principibus, & ob publicam causam dari potest.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO SEPTIMA.

QUODNAM SIT IMPEDIMENTUM PUBLICÆ HONESTATIS.

137 POst affinitatem de impedimento publicæ honestatis loqui necesse est, quia est quædam species Affinitatis.

Dico igitur vigesimoprimò: Publica honestas, seu, ut alii dicunt, Justitia publicæ honestatis, est propinquitas quædam orta ex Sponsalibus de futuro, aut ex matrimoniis ratis non consummatis; quia sicut inter Consanguineos fœminæ, & Virum, vel econtra, oritur Affinitas ex copula sive licita, sive illicita, ut dictum est; ita ex Sponsalibus, & Matrimonio rato non consummato oritur Affinitas quædam inchoata, quam vocant Justitiam publicæ honestatis inter Virum, & Consanguineos fœminæ, vel econtra. *Cap. unico. de Sponsal. & Matrim. in 6.* eo quia publica honestas dictat, ut Sponsus à Cognatis suæ Sponsæ, & Sponsa à Cognatis sui Sponsi, abstineat. *Cap. Juvenis. Cap. Ad Audientiam. & Cap. Sponsam. de Sponsal. & Matr.*

138 Dico vigesimosecundò: Hoc impedimentum est dirimens matrimonium, & quidem ex Jure Decretalium nascitur non solùm ex Sponsalibus legitimè contractis, sed etiam ex invalidis, dummodo non fuerint invalida ex defectu consensus. Ita *in dicto Cap. unico. de Sponsal. & Matrim. in 6.* Item extenditur ex eodem Jure Decretalium usque ad quartum gradum inclusivè. *dicto Cap. Non debet. de Consanguin. & Affin.*

139 Nunc autem ex Tridentino *sess. 24. de Reform. Matrim. Cap. 3.* hoc impedimentum publicæ honestatis ex solis Sponsalibus de futuro validis oritur, & solùm dirimit matrimonium quo ad primum gradum; ita ut cum

Digitized by Google

sola Matre, aut Sorore Sponsæ, non possit Sponsus contrahere, cum aliis autem Sponsæ Consanguineis potest. Ex Matrimonio autem rato, seu Sponsalibus de præsenti, quanvis invalidum fuerit matrimonium ex aliquo capite, non tamen ex defectu consensus, manet impedimentum publicæ honestatis in dispositione Juris antiqui, nimirum usque ad quartum gradum, ut declaravit Pius V. in Bulla, quæ incipit *Ad Romanum*. Atque ita Vallensis *lib. 4. tit. 14. §. 4. n. 3.* Van Espen *p. 2. tit. 3. cap. 6. n. 19. 20. & 21.* Fagnanus *in Cap. Ad audientiam n. 12. & à n. 20. usque ad 29. de Sponsal. & Matrim.* & reliqui Doctores, ita ut mortua uxore ante consummationē matrimonii, nō possit vir contrahere cum consanguineis illius in primo, secundo, tertio, & quarto gradu conjunctis.

140 Notandum quod Sponsalia de futuro, ut inducant impedimentum publicæ honestatis, debent esse absolutè contracta, non sub conditione; adimpleta tamen conditione fiunt absoluta, & ideo post eam adimpletam, oritur impedimentum publicæ honestatis. Quod si Parentes promittant sub conditione matrimonium filiorum, & filii absolutè contrahunt, erunt hæc Sponsalia absoluta. Ita Fagnanus *in dictum Cap. Ad audientiam. n. 1. 2. & 3. de Sponsal. &c.*

141 Notandum secundò: quod quoties Sponsalia de futuro fuerunt ab initio valida, quanvis deinde mutuo consensu dissolvantur, adhuc tamen manet impedimentum publicæ honestatis inter eos, qui Sponsalia contraxerunt, & cognatos eorum in primo gradu. Sic solutis Sponsalibus ex mutuo consensu inter Petrum, & Catharinam, non potest Petrus cum Sorore, vel Matre, aut Filia Catharinæ contrahere, & econtra, nec potest Catharina cum Fratre Petri, vel Patre, vel Filio. Ita Sacra Congregatio Concilii, quam refert Fagnanus *in dictum Cap. Ad audientiam à n. 29. usque in finem de Sponsal. &c.*

QUÆ-

QUÆSTIO OCTAVA.

QUODNAM SIT IMPEDIMENTUM CRIMINIS?

142 Dico vigesimoterciò Impedimentum criminis dirimens matrimonium Jure Ecclesiastico, duplex est; nimirum Homicidium, & Adulterium, sed in tribus casibus, quorum primus est, quoties uxor una cum alio viro non suo, vel Maritus una cum alia fœmina non uxore sua, conspirant in mortem conjugis, eo fine, ut inter se contrahant matrimonium. Atque in tali casu etiamsi non intercesserit Adulterium, si sequatur mors conjugis, non potest consistere matrimonium inter virum, & fœminam consentientes in mortem conjugis. Atque hoc est verum etiamsi vir fuerit infidelis, & occisio uxoris ejus facta fuerit, ut per matrimonium cum fœmina fideli convertatur ad Fidem. *Cap. Laudabilem. de Conversi. Infidelium.* non enim vult Ecclesia compensare damnum mortis cum lucro conversionis.

143 Nota primò: quod requiritur, quoties non intercessit Adulterium, quod uxor cum illo alio, vel Maritus cum illa alia simul conspiraverint in mortem conjugis, ad quod sufficit ut fuerint causa moralis mortis, nec requiritur, quod physicè interficiant. Verùm tamen est, quod non sufficit ratihabitio occisionis factę suo nomine, quia si mors est jam secuta, & non facta jussu illius, per ratihabitionem non habetur machinatio talis mortis, quę requiritur ad hoc impedimentum. Item requiritur, ut cum animo cõtrahendi inter se matrimonium post mortẽ conjugis, facta sit machinatio; nam si cum alio animo occisionem conjugis patrent, non habetur impedimentum. *dicto Cap. Laudabilem. §. In his igitur. de Conversi. Infidel.*

Gloſſa *in Cap. Super hoc. verſ. Machinata. de Eo qui duxit in Matrimonium, quam polluit per Adulterium.* Vallenſis *lib. 4. tit. 7. n. 1.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. diſ. 78. n. 13. & 16.*

144 Nota ſecundò: quod requiritur præterea, ut mors conjugis ſequatur, nam ſi mors non eſt ſecuta ex machinatione, ſed per accidens, aut ex morbo naturali, non erit impedimentum. Ita Vallenſis *loco citato ver. Dixi ſi ſequatur.* & Sanchez *loco citato n. 7. & 17.* cum aliis pluribus.

145 Dico vigeſimoquartò: Secundus caſus eſt quoties intercedit Adulterium, & tunc ſufficit ſi vel Maritus adulter machinatus ſit mortem uxoris ſuæ, aut Mariti illius, cum qua adulterium commiſit, ut non poſſit cum ea contrahere; vel uxor adultera machinata ſit mortem Mariti, vel uxoris illius, cum quo eſt adulterata, ut nuberet cum adultero. *dicto Cap. Super hoc. de Eo qui duxit in Matrimonium &c.* requiritur tamen ut mors ſit ſecuta ex machinatione, non enim ſufficit ſola machinatio.

Quoties igitur non intercedit Adulterium, requiritur, quod tam vir, quàm fœmina ſint Rei machinationis mortis alterutrius conjugis; ſi autem intercedit Adulterium, ſufficit ſi vel vir, vel fœmina machinetur mortem conjugis alterutrius animo contrahendi cum Adulterante.

146 Dico vigeſimoquintò: Tertius caſus eſt quoties Adulteri dant ſibi mutuò fidem ineundi matrimonium poſt mortem conjugis, aut ſi adhuc vivente conjuge contrahant defacto interſe. *Cap. Significaſti. Cap. Veniens. & Cap. Si quis uxore vivente. de Eo qui duxit in Matrim. &c.*

147 Nota primò: quod neceſſe eſt ut ſit data fides de ineundo matrimonio poſt mortem conjugis, & interveniat Adulterium ante mortem conjugis; nam ſolùm Adulterium non impedit matrimonium cũ adultera poſt mortem conjugis. *dicto Cap. Significaſti. dicto Cap. Veniens. & dicto Cap. Si quis uxore. de Eo qui duxit in Matrim. &c.*

nec

Digitized by Google

nec sola intentio ducendi Adulteram in uxorem post mortem conjugis impedit matrimonium, sed requiritur intentio manifestata, & acceptata. Similiter requiritur adulterium secutum materialiter, & formaliter. Unde si revera non interceſſit copula consummata, aut si fœmina libera nescivit virum, qui ei promisit, matrimonium cum ea ineundum, esse conjugatum, non habetur impedimentum. *dicto Cap. Significasti*, & reliquis Canonibus *eodem titulo*.

148 Nota secundò: quod quando vivente uxore, vir contrahit cum alia, si hæc nescit illum esse uxoratum, & contrahit cum eo, tanquam cum libero, non habetur impedimentum, quo minus post mortem uxoris illius possit cum hac fieri matrimonium. *Cap. 1. & Cap. Veniens. de Eo qui duxit in Matrimonium &c.*

149 Nota tertiò: quod extra tres prædictos casus nõ dirimitur matrimonium inter Adulteros. Et ratio cur in dictis casibus dirimatur, est, ne detur ansa, & occasio occidendi conjugem ob spem matrimonii cum Adultero. Videatur Sanchez. *dicto lib. 7. cit. tot. disp. 78.* & præcipuè *n. 23.* ubi summatim complectitur omnes conditiones ad hoc impedimentum criminis desideratas.

QUÆSTIO NONA.

QUODNAM SIT IMPEDIMENTUM EX CULTUS DISPARITATE?

150 Dico vigesimosextò: Cultus disparitas est, quoties vir est baptizatus, & mulier infidelis, vel econtra. Inter tales non stat, immo dividitur matrimonium si contrahatur. *Can. Cave. Can. Non oportet. & Can. Si quis Judææ. 28. q. 1.* Ratio est, quia quamvis inter Infideles stet verum matrimonium legitimum etiam

in

in secundo Consanguinitatis gradu, cum ipsi non ligentur Sacris Canonibus. *Cap. Gaudemus. de Divortiis.* nec tale matrimonium solvitur post susceptum Baptismum, *dicto Cap. Gaudemus.* Tamen non potest stare matrimonium ratum, & Sacramentum, quia Sacramentum supponit Baptismum; unde est quod inter baptizatum, & non baptizatam repugnat matrimonium ratum, & quod sit Sacramentum. Nec potest stare inter tales matrimonium legitimum, quia est contra leges Divinam, & Ecclesiasticam matrimonium fidelis cum infideli. Ita Vallensis *lib. 4. tit. 16. Append. de Imped. Matrim. ver. Quintum est Disparitas Cultus.* & Sanchez *lib. 7. de Matr. disp. 71. n. 5.* ubi ostendit Jure divino vetitum esse matrimonium fidelis cum infideli. At non est irritum Jure divino; unde potest, ut docet idem Sanchez cum aliis multis *n. 10.* Summus Pontifex dispensare in hoc, quod fidelis cum infideli contrahant matrimonium, quod licèt non foret Sacramentum, esset tamen validum, ut quidam contractus naturalis, eo pacto, quo valet inter ipsos Infideles. Ita idem Sanchez *dicto lib. 7. de matrim. disp. 71. n. 11. versu Ad quartum.*

151 Nota quod matrimonium Catholici cum Hæretica, quanvis illicitum, est tamen validum, & Sacramentum; uterque enim contrahens est baptizatus, quod sufficit ad valorem Sacramenti matrimonii. Ita Sanchez cum pluribus aliis *dicto lib. 7. de Matrim. dis. 7. n. 2.*

QUÆSTIO DECIMA.

QUODNAM SIT IMPEDIMENTUM VIS, ET RAPTUS?

152 Dico vigesimoseptimò: Vis prout significat metum cadentem in constantem virum, ideſt

idest gravem metum incussum ad contrahendum matrimonium, illud irritat. Et de hoc locuti sumus supra *n.* 65. *& sequentibus.*

153 Dico vigesimo octavò: Vis prout significat violentiam illatam mulieri, eam rapiendo, est impedimentum Raptus, per quod inter Raptorem, & Raptam nullum est matrimonium. Et quidem *ex L. unica. C. de Raptu Virginum.* absolutè nullum est. At *Cap. ultim. de Raptor. &c.* & servata conditione, quam ponit Trident. *sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 6. nimirum, quod separata mulier à Raptore, si consentiat, eum habere in virum, erit matrimonium validum. Igitur tempore, quo Rapta in potestate Raptoris est, nõ consistit matrimonium; si autem ab eo separata, & in loco tuto, ac libero posita vult illum in virum, & hic eam in uxorem, tenet matrimonium. Sunt tamen ipse Raptor, & consilium, & favorem præbentes excommunicati, & perpetuò infames, & si fuerint Clerici sunt ipso Jure depositi à proprio gradu. Præterea tenetur Raptor, sive Raptam in uxorem duxerit, sive non, dotare eam arbitrio Judicis. Ita Trident. *dicto Cap.* 6.

154 Notandum, quod qui precibus exrahit e domo Parentum Puellam, non est Raptor, etiamsi inviti sint Parentes. Item quod quoties præcessit tractatus de matrimonio ineundo, & vir abducit Sponsam invitis Parentibus, si ipsa sciens, & volens abducitur, non committitur Raptus juxta *Cap. penult. de Raptorib.* nam vis debet fieri Puellæ, ut sit Raptus; in tali autem casu Vis fieret Parentibus, non Puellæ. Atque ita Pignatelli *tom.* 5. *Consul.* 80. *n.* 4. *&* 5. & Diana *p.* 3. *resol.* 261, ubi item ait, quod si quis non ad finem matrimonii ineundi, sed solùm causa libidinis explendæ, rapit Puellam, potest deinde cum ea contrahere matrimonium, si ea velit, etiam si in ipsa est in potestate ejus, quia non est Raptus annullans matrimonium, nisi qui fit causa contrahendi matrimonium.

monium. Ita idem Sanchez *lib. 7. de Matrim. dis.13. n.5.*

155 Notandum secundò: quod qui rapit Puellam ad finem contrahendi matrimonium cum alio, licèt ipse sit excommunicatus, quia auxilium dedit Raptui, tamen ipse poterit validè matrimonium inire cum Puella, etiam dum est in sua potestate, quia pœna nullitatis matrimonii non afficit auxiliantes. Ita Sanchez *dicto lib.7. de Matrim. dis. 13. n. 6.*

QUÆSTIO UNDECIMA.

QUODNAM SIT IMPEDIMENTUM LIGAMINIS?

156 Dico vigesimononò: Impedimentum ligaminis est, quoties quis ligatus est cum una in matrimonio, ideoque matrimonium cum altera, dum vivit prior uxor, est nullum. Et vice versa quoties mulier est uni juncta in matrimonium, si cum alio conjungatur, dam vivit prior vir, erit matrimonium nullum. *Cap. 1. 2. & 3. de Sponsa duorum. Cap.* autem *finali. eodem tit.* statuitur, quod si quis duas duxerit in matrimonium, & secundum cognoverit, primam verò non cognoverit, adhuc tenetur ad primam redire; quia matrimonium primum stat, non verò secundum, quia quod prius de Jure factum fuerat, non potest irritari. Quo Jure sit prohibita Polygamia diximus *q. 3. à n. 74. §. 2.*

QUÆSTIO DUODECIMA.

QUODNAM SIT IMPEDIMENTUM IMPOTENTIÆ COEUNDI?

157 Dico trigesimò: Impotentia coëundi ex parte viri, tunc habetur, quando nequit consum-

Digitized by Google

summare copulam emittendo semen in matricem. Ex parte autem mulieris, quando ita est arcta, ut nullo modo possit fieri Mater. Vallensis *lib.* 4. *tit.* 15. *n.* 1. Hæc autem impotentia potest esse vel intrinseca, & naturalis, ut ex frigiditate in viro, & arctitudine in fœmina: vel extrinseca, & accidentalis, ut ex maleficio, quod est commune viro, & fœminæ, aut ex castratione, quæ est peculiaris viro. Item talis impotentia potest esse perpetua, vel temporalis. Item potest esse absoluta respectu omnium, vel respectiva respectu hujus. Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 92. *n.* 1. *propè finem*.

158 Dico trigesimoprimò: Impotentia præcedens matrimonium perpetua, & immedicabilis, qualis est, quæ sine miraculo, aut gravi læsione corporis tolli non potest, quacunque ex causa proveniat, dirimit matrimonium contractum, si talis impotentia recto judicio probetur. *Cap.* 2. 3. 5. 6. *& ultima. de Frigid. & Maleſic. & Impot. coeundi*. Et ratio est, quia non stat in talibus obligatio ex matrimonio, cum impossibilium, non detur obligatio. *Cap. Nemo ad impossibile. de Regul. Jur. in* 6. est autem obligatio ex matrimonio redditio debiti conjugalis. Si autem impotentia sit temporalis, idest, quæ sine miraculo tolli potest arte Medicinæ, & sine gravi læsione corporis, non dirimit matrimonium. *Cap. Fraternitatis. de Frigid. & Maleſic. &c.* Et ratio est, quia stat obligatio ad solvendum id, quod in præsenti solvi non potest, sed habetur spes in futurum solvendi. Ita Sanchez *loco cit. n.* 2.

159 Nec sequitur, quod, cum impotentia Puerorum sit temporanea, debet eorum matrimonium esse validum. Nam non est invalidum ex hoc capite impotentiæ præcisè, sed ex alio capite, quia Ecclesia scilicet statuit matrimonium ante ætatē, nullum esse, & solùm habere vim Sponsaliorum. Ætas autem ab Ecclesia requisita, est illa, quæ constituit pubertatem, nimirum decimusquartus

annus in viro, duodecimus in fœmina. *Can. Sponsalia. 30. quæst. 2.* ubi Glossa: *Ad Matrimonium contrahendum tria exiguntur, consensus, & quod sit pubes, & ad coëundum potens* Item *Cap. Attestationes. de Desponsat. Impuber.* ibi: *Quod post decimumquartum annum ætatis suæ, vel circa finem decimiquarti anni prædictus juvenis consensisset.* & *Cap. Ex literis. eodem tit.* ibi: *Cum autem puer nondum ad decimumquartum annum pervenerit.*

160 Dixi, impotentia præcedens, quia si matrimonio semel valido, & consummato superveniat impotentia coëundi, illud non dirimit, imò neque dirimitur matrimonium ratum, nondum consummatum, si constiterit, quod tempore, quo fuit matrimonium contractum, non habebatur impotentia. Glossa *in Cap. Ex literis. v. Contraxit. de Frigid. & Malefic. &c.* & colligitur etiam ex Canone *Si uxorem. 32. q. 5. & Can. Hi qui. eadem causa. q. 7.* & ita docet Sanchez cum pluribus, quos affert *lib. 7. de Matrim. dis. 102. n. 3.* Vallensis *loco cit. n. 3.*

161 Dixi item, dirimit matrimonium contractum, si alter conjugum petat, & talis impotentia probetur, quia ne fraus intercedat in dissolutione matrimonii, necesse est, ut coram Judice probetur impotentia. Igitur vel impotentia est evidens, ut si quis habeat virilia amputata, & sicca, aut careat utroque testiculo; vel mulier est arcta, & tunc statim Judicio Ecclesiæ fit dissolutio, nullo alio expectato. Ita Vallensis *lib. 4. tit. 15. n. 5.* & Sanchez *lib. 7. de Matr. dis. 17. n. 3. 5. 6. 7. & 8.* in quibus prædicta signa evidentia impotentiæ assignat. Et ratio est manifesta, quia frustra expectaretur triennium, de quo mox, cum nulla sit spes recuperandi potentiam coëundi; vel impotentia non est evidens, & tunc etiamsi alter conjugum, vel ambo petant dissolutionem, debet expectari triennium à tempore conjugii, & intentatæ copulæ, quo elapso debent conjuges præstare juramentum de impotentia coëundi

undi cum septima manu propinquorum, ideſt cum ſeptem propinquis, vel vicinis bonæ famæ, ſi deſint propinqui, qui jurabunt ſe credere impotentiam illam, & his poſitis fiet diſſolutio matrimonii, & conjux potens aliud inire poteſt matrimonium. *Cap. Laudabilem. & Cap. finali. de Frig. & Malef. &c.* Sanchez *lib. 7. de Matr. diſ. 108. n. 5.* ubi ait verius eſſe, quod etiamſi uterque conjux fateatur impotentiam, ſi ſemel ea non eſt evidens, debet triennium expectari.

162 Notandum, quod quando mulier ſtatim proclamat poſt menſem, aut duos menſes, allegans viri impotentiam, audienda eſt, quamvis vir neget; & quoties talis impotentia viri probetur, quæ veriſimiliter probari poteſt, ſi mulier adhuc reperiatur virgo, & ſi accedit juramentum ipſius mulieris, & ſeptimę manus propinquorum, tunc poterit diſſolvi matrimonium, non expectato triennio. Ita *Cap. 1. de Frigid. & Malefic. ver. Si autem ſtatim.* juncta Gloſſa *ver. Probari.* Atque ita docet Sanchez *dicto lib. 7. diſ. 109. n. 16.*

163 Si autem mulier non proclamavit infra duos menſes, poteſt proclamare, & audiri poſt triennium juxtà *Cap. Laudabilem.* Nam quāvis mulieri poſt dimidium anni, aut annum proclamans, & viro negante impotentiam, non credatur, prout *in Cap. 1. ver. Illa autem. de Frigid. & Malefic.* at non per hoc neganda eſt audientia poſt triennium. Ita Sanchez ex variis Doctoribus *dicto lib. 7. diſ. 109. n. 14.* concordans textus *Cap. 1. & Cap. finalis. de Frigid. & Malefic.* qui videntur oppoſiti, dum *Cap. 1.* negatur audientia mulieri non proclamanti infra duos menſes. & *Cap. finali.* conceditur poſt octos annos. & *Cap. Fraternitatis. eodem titulo.* poſt multos annos auditur mulier, allegans viri impotentiam. Igitur ſi ſtatim proclamat mulier, & probatur viri impotentia, accedente juramento &c. non debet expectari triennium ad diſſolutionem ma-

trimonii; si autem non statim, nimirum infra bimestre, proclamat, non auditur mulier, nisi post triennium. Quod tamen intelligitur quoties impotentia viri non est per evidentia signa demonstrabilis. Stat autem quod possit etiam post multos annos proclamare mulier. Videatur Sanchez *dicto lib. 7. disp. 106. usque ad lib. 8.*

164 Dico trigesimosecundò: Si probatâ impotentiâ coëundi, & facta dissolutione matrimonii per Judicis sententiam, postea reperiatur ille, qui fuit probatus impotens, esse potens, tenetur ad priorem uxorem redire. *Cap. 1. & Cap. Laudabilem. de Frigid. & Malefic. &c.* non obstante sententia etiam bis confirmata, quia sententia lata contra matrimonium, nunquam transit in rem judicatam. *Cap. Lator præsentium. & Cap. Tenor literarum. de Sentent. & re Judic.* dicitur autem sententia transire in rem judicatam, quoties transacto tempore appellationis, manet à partibus veluti approbata, & judicata. Plures casus circa restaurationem matrimonii dissoluti ob impotentiam coëundi figurari possunt; de quibus videatur Sanchez *lib. 7. de Matrim. dis. 99. 100. & 101.*

165 Dico trigesimotertiò: Spadones, idest quibus cõtriti sunt, aut collisi testiculi, aut castrati, vel qui sũt à natura Spadones, idest qui vitium habent naturale, ex contorsione meatuum seminis, non possunt Jure Canonico matrimonium contrahere. *ex Cap. Quod sedem. de Frigid. & Malefic. &c.* Præterea Sixtus V. in literis Apostolicis datis sub *die 27. Julii* 1585. ad Episcopum Novariensem in Regnis Hyspaniarum Nuntium, & Sanctæ Sedis Legatum, declaravit irritum esse matrimonium eorum, qui utroque testiculo carent. Videatur Sanchez *lib. 7. de Matrim. dis. 92. n. 17.* ubi dicit, indubitatam sententiam esse, Eunuchos utroque testiculo carentes, etiamsi membrum erigant, esse incapaces matrimonii. Videatur item Gutierrez *lib. 1. Canonic. quæst. cap. 16. n. 18.* ubi Sixti V.

literas

literas refert, & propter eas retractat opinionem, quam *n.* 8. tanquam veriorem defenderat, nimirum quod validum esset matrimonium Eunuchorum. Quod si quis unum tantùm testiculo careret, validè contraheret, ut docet idem Sanchez cum pluribus *dicto lib. 7. de Matrim. disp.* 92. *n.* 14.

166 Item senes, & steriles validè contrahunt, quia verè commisceri possunt. Quod si quis senex fuerit ita destitutus viribus, ut nullatenus possit fieri habilis ad copulam habendam, erit incapax matrimonii. Ita Sanchez cum innumeris *dicto lib. 7. disp. 92. n. 21. usque ad* 27. ubi quærit de matrimonio fœminæ impotentis parere absque mortis periculo; & *n.* 28. sustinet esse validum.

167 Dico trigesimoquartò: Quoties bonâ fide contractum est matrimonium, & deinde cognoscatur impotentia, si velint conjuges simul manere, possunt sic manere; sed abstinere debent à tactibus, & accubitu in eodem lecto, & se habere tanquam Frater, & Soror. *Cap. Consultationi. & Cap. Laudabilem. de Frigid. & Malefic. &c.* aliter si ita vivere non possunt, debent separari, cum illud non sit validum matrimonium. Sanchez *dicto lib. 7. dis.* 107. *n.* 4. *& seq.* Similiter si scienter factum sit matrimonium cum impotente, poterunt eodem modo vir, & fœmina cohabitare, quia talis contractus, quo se obligent ad mutua obsequia, & societatem, nimirum vir ad alendam fœminam, & fœmina ad serviendum viro, non est illicitus. Non est tamen talis contractus matrimonium verum, ideoque si adest periculum incontinentiæ, & non vivant tanquam Soror, & Frater, debent separari. Ita Sanchez *loco cit. à n.* 13. *usque in finem.*

168 Dico trigesimoquintò: Quoties impotentia viri est respectiva, idest respectu unius fœminæ; non verò respectu alterius quia v.g. potest cum fœmina jam corrupta, non verò cum virgine consummare matrimonium, aut impo-

Digitized by Google

impotentia fœminæ est respectiva, quia nimirum est erga respectu unius viri, non verò respectu alterius; toties matrimonium dirimitur respectu illius solius, & non respectu alterius. Nec implicans videtur talis impotentia respectiva perpetua, quæ dirimere possit matrimonium respectu unius, non verò respectu omnium. Ita Sanchez *dict. lib. 7. de Matrim. dis. 93. à n. 2. usque ad 6.* in quo solvit argumenta in contrarium.

Atque hæc de Impedimentis dirimentibus; nunc verò de impedientibus sermo est faciendus.

QUÆSTIO DECIMATERTIA.

QUÆNAM SINT IMPEDIMENTA INTERdicti Ecclesiæ, & Temporis feriati, seu clausi?

169 Dico trigesimosextò: Impedimentum Interdicti Ecclesiæ est, quoties Judex Ecclesiasticus prohibet, nè matrimonium inter aliquas Personas contrahatur; quod impedimentum non dirimit matrimonium, sed impedit, usque dum cognoscatur causa; ideoque si contra prohibitionem Ecclesiæ, non dum finitâ causâ, contraheretur matrimonium, quamvis hoc erit validum (si non habetur aliquod aliud impedimentum ex dirimentibus) tamen contrahentes sunt puniendi. *Cap. 1. & 2. de Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ*, & dum de causa cognoscitur, separari debent. *Cap. finali. eodem titulo.*

170 Dico trigesimoseptimò: Impedimentum Temporis feriati, seu clausi est, quod ponit Ecclesia à prima Dominica Adventus usque ad Epiphaniam, & à Feria iv. Cinerum usque ad octavam Paschatis inclusivè ex Tridentino *sess. 24. cap. 10. de Reform. Matrim.* Nam ex antiquis

Digitized by Google

riquis Canonibus etiam prohibebantur Nuptię à Septuagesima usque ad octavam Paschatis, & à Rogationibus usque ad octavam Pentecostes. *Can. Non oportet à Septuagesima. 33. q. 4. & Cap. Cappellanus. de Feriis.* Impedit autem hæc prohibitio solemnitates nuptiarum, ideſt benedictiones Sponsi, & Sponsæ inter Missarum solemnia, traductionem Sponsę in domum Sponsi cum pompis nuptialibus, conviviis, saltationibus &c. non autem impedit matrimonium contrahi, & consummare sine solemnitatibus; quapropter quovis tempore anni licitum est matrimonium sine solemnitatibus contrahere. Vallensis. *lib. 4. tit. 16. n. 2. in fine.*

QUÆSTIO DECIMAQUARTA.

QUÆ NAM SINT IMPEDIMENTA CATEchismi Sponsaliorum, & Voti?

171 DIco trigesimo octavò: Impedimentũ Catechismi est Cognatio spiritualis ex Catechismo. De Cognatione enim spirituali ex Baptismo, & Confirmatione jam locuti sumus. *à n. 100. usque ad 106.* Est Catechismus instructio ante Baptismum de articulis fidei, facta à Sacerdote, & respondente Patrino pro solemniter Baptizando. *Can. Ante Baptismum de Consecr. dist. 4.* Contrahitur hæc Cognatio impediens, & non dirimens Matrimonium ex Tridentino restringente Cognationem spiritualem ex Baptismo, solùm inter Catechizantem, & Catechizatum, ejusque Parentes. Cæterum ex opinione multorum cum Sanchez *lib. 7. de Matrim. dis.* 10. *n.* 12. hæc Cognatio spiritualis ex Catechismo, non solùm fuit restricta, sed penitus sublata à Tridentino.

172 Dico trigesimonono: Impedimentum Voti, quod impedit, & nõ dirimit matrimonium est ex Voto simplici casti-

castitatis. Nam de Voto castitatis diximus *q. 2. à n. 95. n. autem 96.* diximus hoc, quod Votum simplex castitatis non dirimit, sed impedit matrimonium, quod constat *ex Cap. Consuluit.* & *Cap. Rursus. Qui Cler. vel Vovent, &c.* & certissimum esse ait Sanchez *lib. 7. de Mat. dis. 11. n. 4.* Hic autē addimus, quod etiā impedit, sed non dirimit matrimonium Votum intrandi Religionem cum animo in ea proficiendi, Votum non ineundi matrimonium, & Votum suscipiendi Sacros Ordines. *ex dicto Cap. Consuluit. Qui Cler. vel Voven. &c.* Sanchez *dicto lib. 7. dis. 11. n. 6.*

173 Dico quadragesimo: Impedimentum Sponsaliorum, est quoties quis cum una contrahit post facta Sponsalia cum alia, in quo casu illicitè cum secunda contrahit, sed matrimonium tenet, ut diximus. §. 1. *de Sponsalibus. quæst. 2. n. 13.*

QUÆSTIO DECIMAQUINTA.

QUÆNAM SINT IMPEDIMENTA EX CRIMINE impedientia Matrimonium?

174 Dico quadragesimoprimò: Si quis committit incestum cum Consanguinea uxoris suæ intra secundum gradum, non solùm non potest petere debitum ab uxore, sed etiam impeditur contrahere matrimonium post mortem uxoris cum illa, cum qua committit incestum, quàm cum omni alia. *Can. Conubii. & Can. Quodam cum fratre Viri. Can. Si quis Viduam. Can. Qui dormieris. & Can. Si quis cum Noverca. 32. q. 7. Can. Intellectum. Can. Si quis cum duabus. 34. q. 1. & Cap. 1. & secundo. de Eo qui cognovit Consang. uxoris suæ.* Quod idem intelligitur de uxore committente incestum cum Consanguineis viri. Vallensis *lib. 4. tit. 13. n. 3. & 4.*

San-

Digitized by Google

Sanchez *lib. 3. de Matr. dis.* 15. *n.* 2.

175 Dixi, intra secundum gradum, quia hodie ex Tridentino *sess.* 24. *de Refor. Matr. cap.* 4. sicut restringitur impedimentum Affinitatis ex copula illicita usque ad secundum gradum, ita & hoc Impedimentum ex incestu; ut bene probat Sanchez *loc. cit. n.* 4. Item non solùm interdicitur aliud matrimonium ipsi viro, vel uxori incestum committentibus, verùm etiam & illis Consanguineis, cum quibus fuit commissum. *dicto Cap.* 1. *de eo qui cognovit, &c.* Idem Sanchez *n.* 3. & Vallensis *n.* 4. *versu Præterea.*

176 Insuper verius putant prædictus Vallensis *n.* 5. & Sanchez *n.* 6. ex *Cap. Transmissæ. de Eo qui cognovit, &c.* quod tale Impedimentum oriatur etiam ex copula habita cum Consanguineis conjugis, antequam ipsi Conjuges consummassent matrimonium.

177 Dico quadragesimosecundò: Prædictum impedimentum ex incestu cum Consanguineis transeundi ad alias Nuptias, est solùm impediens, & non dirimens matrimonium contractum inter non habentes aliud impedimentum. Ita communiter Doctores, quos refert Sanchez *lib. 7. de Matr. dis.* 15 *n.* 1. & Leander *trac. 9. de Matr. dis.* 21. §. 6. *q.* 2. *versu. Sed certissimè.* Præterea non contrahitur tale Impedimentum ex incestu cum propriis Consanguineis, quanvis plures sustineant, & quidem probabiliter apud Sanchez *loco cit. n.* 15. quod etiam ex tali incestu oriatur impedimentum impediés quodcunq; matrimonium. Ratio est, quia textus non loquitur de tali incestu cum propriis Consanguineis, sed solùm cum Consanguineis uxoris. Item licèt incestus cum propriis Consanguineis sit in se gravior, tamen non offendit matrimonium, sicut offendit incestus cum Consanguineis uxoris, ex quo oritur Affinitas inter ipsos conjuges, ac proinde petere non potest debitum conjux Reus sine di-

Digitized by Google

ſpenſatione. Atque ita docet cum pluribus idem Sanchez *n.* 16. & *n.* 17. ſoluit argumenta pro oppoſita ſententia.

178 Dico quadrageſimotertiò: Si quis cognovit Conſanguineam Sponſæ ſuæ, ideſt illius, cum qua ſolùm contraxit Sponſalia, non ſolùm non poteſt contrahere cum ipſa Sponſa matrimonium, ut eſt certum, quia jam habet Affinitatem cum ipſa in gradu prohibito, ſed nec cum ulla alia, quandiu vivit complex delicti, ita ut nec Conſanguinea illa complex delicti, vivente ipſo delinquente, nec ipſe delinquens, vivente complice, poſſint ullum matrimonium inire. Ita *ex Cap. Veniens de Eo, qui cognovit, &c.* Vallenſis *cit. n.* 1. *verſu dixi.* & ex textu *in Cap. Duo pueri. de Deſponſat. Impub.* ibi: *Neutris vivente altero datur licentia contrahendi.*

179 Atque hæc eſt differentia inter inceſtum cum Conſanguinea uxoris, & copulam cum Conſanguinea Sponſæ, quod primus impedit petitionem debiti, & non dirimit ipſum matrimonium, ſed ſolùm impedit in perpetuum matrimonium cum alia contrahendum. Secunda ſoluit Sponſalia, & dirimit matrimonium cum Sponſa, & impedit temporaliter, ſcilicet uſq; dum vivit complex, matrimonium cum alia contrahendum. Idem Vallenſis *n.* 7. *verſu denique.*

180 Notandum, quod inceſtus, de quo locuti ſumus, ut inducat Impedimentum cujuſcunque matrimonii, debet eſſe formalis, ideſt commiſſus cum ſcientia, quod mulier v. g. ſit Conſanguinea uxoris ſuæ. Secundò debet eſſe conſummatus, aliter ſicut non parit Affinitatem cum uxore, ita nec Impedimentum alterius matrimonii, mortua uxore. Non eſt tamen verum, quod alii dicunt, nimirum, quod etiam requiritur, ut inceſtus fuerit factus vivente uxore, aut quod ſit notorius, & hanc beatus ſententia Judicis, ut hanc docent Valen-

tus

sus n. 7. cum Sanchez n. 12. 13. & 14.

181 Notandum denique quod in hoc impedimento dispensat Episcopus, sicut & in aliis solùm impedientibus, præter quàm in Votis Religionis, & Castitatis, quæ summo Pontifici reservantur. Nec dispensat in Sponsalibus cum alio, vel aliâ contractis, quia in tali impedimento haberetur Injuria alterius.

182 Verùm Navarrus in Manuali *Cap.* 22. *n.* 71. *prope finem.* ait, ex consuetudine non opus esse dispensatione, quia videmus nullum incestuosum petere dispensationem, ut contrahat matrimonium cum alia, nisi, vel cum ea, cum qua incestum commisit, quia est Affinis, cum sit Consanguinea Uxoris propriæ, vel cum Sorore, aut Matre ejusdem illius, cum qua peccavit, propter Affinitatem ortam cum talibus ex illa copula. Idipsum docet Tamburinus *lib.* 8. *de Matrim. tract.* 1. *Cap.* 16. *n.* 1. Ubi ait, vel ex Tridentino, vel ex Consuetudine impedimenta impedientia matrimonium reducta esse ad quatuor tantùm in hoc versu contenta.

Sacratum Tempus, Vetitum, Sponsalia, Votum.

183 Dico quadragesimoquartò: Raptus Mulieris alteri Desponsatæ impedit matrimonium cum alia quacunque. *Can. Statutum.* 27. *q.* 2. ita ut, qui rapuit Sponsam alienam, cum nulla possit contrahere, quamvis si contrahat, validum sit matrimonium. Vallensis *lib.* 4. *tit.* 16. *Append. de Impedim. Matrim. versu Raptus Sponsæ.* Ratio cur prohibeatur matrimonium ei, qui alienam Sponsam rapit, est, quia alienum matrimonium perturbare ausus est. Ita ex Soto, Paludano, & aliis Leander. *tract.* 9. *de Matr. dis.* 21. §. 7. *q.* 1. & Sanchez *lib.* 7. *de Matr. dis.* 10. *n.* 43. & 44. in quo addit, quod etiam ipsa Sponsa rapta, si raptui consentit, privatur Jure nubendi alteri.

184 Nota quod est in controversia, an nomine alienæ Sponsæ, veniat hic Sponsa de futuro, ideſt cum qua

alter fecit Sponsalia, an verò Sponsa de præsenti, ideſt uxor alterius. Et multi ſuſtinent utranque venire. Alii verò, cum quibus Leander *loco citato q. 2. ver. ſed probabilius*, & Sanchez *n. 45.* volunt, ſolùm intelligi Sponſam de præſenti.

185 Dico quadrageſimoquintò: Uxoricidium, ſeu cædes propriæ uxoris, impedit matrimonium cum alia contrahendum. *Can. Interfectores.* & *Can. Admonere* 33. *q. 2.* Quod intelligitur de ſimplici occiſione uxoris, nam ſi eſt conjuncta cum adulterio, vel cum conſenſu alterius fœminæ ad finem ineundi cum hac matrimonium, eſt Impedimentum dirimens, ut ſuo loco dictum fuit. Quod ſi quis non authoritate propria, ſed publica, quatenus ſit Miniſter Juſtitiæ, occidit uxorem, non incurrit hoc Impedimentum. Extenditur etiam tale Impedimentum ad uxorem, quæ occidit Maritum, ut docet Navarrus *n. 74. ſupra cit. verſ. Aliis.*

186 Dico quadrageſimoſextò: Suſceptio proprii filii in Baptiſmo cum animo contrahendi Cognationem ſpiritualem cum uxore ad finem negandi debitum, eſt impedimentum ad contrahendum cum alia matrimoniũ poſt mortem uxoris *Can. De eo* 30. *q. 2.*

187 Dico quadrageſimoſeptimò: Cædes Presbyteri, quando quis convictus in Judicio fuerit, quod Sacerdotem occiderit, impedit matrimonium. *Cap. Qui Presbyterum. de Pœnit. & Remiſſion.*

188 Dico quadrageſimo octavò: Qui ſolemniter eſt pœnitentiatus, impeditur contrahere; nam toto vitæ tempore luctum præſeferre debet. *Can. De his verò. 33. quæſt. 2.*

189 Dico quadrageſimononò: ſi quis ſciens Conjugium contrahit cum Moniali Profeſſa, non ſolùm invalidè contrahit cum ipſa, ſed etiam prohibetur, ne contrahat cum ulla alia. *Can. Hi ergo 27. q. 1.*

190 Di-

190 Dico tandem qui cum excommunicatione, vel peccato mortali contrahit matrimonium, illicitè contrahit, quia Sacramentum non potest suscipere excommunicatus, & sancta sanctè tractanda sunt.

191 Nota, quod cum prædictis impedimentis contrahere matrimonium est peccatum mortale, & ita docent qui sustinent ea omnia usque hodie habere vim. Verùm alii, qui affirmant multa ex his impedimentis abiisse in desuetudinem, ajunt, peccatum mortale solùm committi ab eo, qui cum Voto Castitatis, Religionis, aut Sacerdotii, vel postquam Sponsalia contraxit cum alia, vel contra prohibitionem Ecclesiæ contrahit, ut supra diximus. Atque Authoribus citatis addo Leandrum *tract. 9. de Matrim. dis.* 23. §. 12. *q.* 2. cum Basilio, & Sanchez ab ipso adductis.

§. QUARTUS.

DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONII.

192 SUpponendum aliud esse *abrogare* legem, aliud *irritare*, seu *cassare*, aliud *interpretari*, & aliud *dispensare* in lege. Abrogare est vim legis jam introductæ, & usq; ad id tempus obligantis tollere. Irritare, seu cassare legem, est facere, ne vim obligandi consequatur, ut si populus faciat legem, quæ ut obliget, indigeat authoritate Principis, & ejus confirmatione, & Princeps eam non confirmet. Interpretari est declarare, quod in tali casu lex non obliget. Dispensare autem, est aliquem à lege eximere in casu, quo ad illam teneretur.

193 Hinc Interpretatio petit casum illum, in quo cessat jus, & obligatio legis. Dispensatio verò petit justam causam, quæ præbeat occasionem relaxandi legis obligationem, qua relaxatione secluſa, vere lex obliget.

ret.

ter. Dicitur Privilegium à dispensatione, quia Privilegium potest sine causa concedi: at dispensatio non potest. Verùm si privilegium sumatur strictè pro concessione contra Jus, est dispensatio, & tunc requirit causam. Si verò sumatur largè pro concessione præter Jus; tunc non requirit causam, ut si Princeps concedat alicui ea, quæ sibi soli competunt, v. g. potestatem legitimandi, dispensandi, &c. quæ non sunt contra, sed præter Jus.

694. Ex dictis sic definitur dispensatio. *Est Juris relaxatio facta cum cognitione causæ ab eo, qui potest relaxare.* Verùm, ut notat Sanchez *de Matrim. lib. 8. disp. 1. n. 2.* hæc definitio, quam communiter tradunt, explicat non solùm naturam, seu essentiam dispensationis, sed etiam requisita ad hoc, ut sit dicta. Unde si definiendum sit essentia præcisa dispensationis, dicendum est, quod ea sit: *Relaxatio Juris facta ab habente potestatẽ relaxandi.*

QUÆSTIO PRIMA.

AN, ET QUIS DISPENSARE POSSIT IN Impedimentis Matrimonii?

695. Dico primò: In impedimentis Jure naturali divino inductis, non potest Pontifex propriè dispensare. Ratio est, quia Inferior non potest legem Superioris relaxare, *Can. Inferior dist. 21.* & ita communiter docent cum Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 6. n. 10.* Dixi *propriè*, quia potest Summus Pontifex in aliquo casu extremæ necessitatis v. g. conservandi genus humanum, interpretari legem divinam, & declarare, quod tunc non obliget, & sic Frater, & Soror matrimonio jungantur, quod esset impropriè dispensare. Ita Pirhing *lib. 4. tit. 1. sect. 6. §. 5. n. 168.* cum Tannero *to. 4. disp. 8. q. 4. dub. 9. n. 155.*

196 Di-

196 Dico secundò: Potest Summus Pontifex dispensare in omnibus impedimentis Jure humano dirimentibus matrimonium. Est sententia communis fundata in principio, quod *qui legem tulit, tollere, & non præsumitur, & justa causa interveniente, in ea dispensare.* Van Espen *p. 2. tit. 14. cap. 11. n. 1. ver. Porrò.* nonnulli boup

197 Nota, quod, ut licitè Papa dispenset, requiritur causa, validè tamen dispensat sine causa, quamvis illicitè; quia dispensationis natura, ut supra notavi, est relaxatio Juris ab habente potestatem relaxandi, sed Papa habet hanc potestatem, ergo Papa validè dispensat. Quod autem illicitè faceret, si sine causa dispensaret, probatur, quia talis dispensatio cedit in aliorum injuriam, cum inducat inæqualitatem inter partes communitatis humanæ. Ita Sanchez *lib. 8. de Matr. dis. 17. n. 24. & dis. 18. n. 3.* Pirhing *n. 169.*

198 Dico tertiò: Episcopus quamvis in impedimentis solùm impedientibus possit dispensare, ut est centum, tamen per se loquendo dispensare non potest in impedimentis dirimentibus Jure Canonico inductis. Sanchez *lib. 8. de Mat. dis. 6.* cum aliis multis *n. 14.* Ratio est, quia inferior Prælatus non potest in lege Superioris dispensare, sed ea impedimenta sunt posita per legem Papæ, ergo &c.

199 Dixi, per se loquendo, quia ex peculiari concessione, aut in casu necessitatis potest, ut docent communiter cum Sanchez *n. 16. & lib. 2. de Matrim. dis. 4. per totum.* Casus autem necessitatis est, quoties matrimonium est publicè, & bona fide initum ex parte unius conjugis contractum, & impedimentum est occultum, & separatio fieri non potest sine scandalo, & gravi incommodo, nec facilis est accessus ad Summum Pontificem.

200 Ex concessione autem potest Commissarius Bullæ Cruciatæ, qualis est noster Archiepiscopus Panormitanus, dispensare pro foro conscientiæ in matrimonio rato, & consummato, quando impedimentum est occultum, & petitio dispensationis esset cum scandalo, & periculo infamiæ, vel gravi incommodo partium, vel prolis, ut docent communiter Sanchez *n. 17.* Pirhing *n. 170.* Reginaldus *n. 19.* Bonacina *n. 4.* Diana *p. 4. tr. 8. r. 19.* Tamburinus *lib. 8. cap. 3. n. 3.* Filliucius *tom. 2. tr. 25. c. 3. n. 178.* Navarrus *cap. 22. n. 75.* Azor *tom. 1. lib. 12. cap. 3. q. 3.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 1. tr. 3. c. 3. n. 3.* Lugo *de Just. & Jur. dis. 30. n. 4.* Lessius *lib. 2. c. 44. n. 6.* Castropalao *tom. 3. tr. 3. dis. 1. p. 3. n. 3.* Salas *tom. 1. tr. 3. dis. 1. sect. 3. n. 3.* Molina *tom. 4. tr. 2. dis. 3.* Ita Sanchez *lib. 8. de Matr. dis. 6. n. 17.* Pirhing *n. 170.* Reginaldus *n. 19.* Bonacina *n. 4.* Diana *p. 4. tr. 8. r. 19.* Tamburinus *lib. 8. cap. 3. n. 3.* Filliucius *tom. 2. tr. 25. c. 3. n. 178.* Navarrus *cap. 22. n. 75.* Azor *tom. 1. lib. 12. cap. 3. q. 3.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 1. tr. 3. c. 3. n. 3.* Lugo *de Just. & Jur. dis. 30. n. 4.* Lessius *lib. 2. c. 44. n. 6.* Castropalao *tom. 3. tr. 3. dis. 1. p. 3. n. 3.* Salas *tom. 1. tr. 3. dis. 1. sect. 3. n. 3.* Molina *tom. 4. tr. 2. dis. 3.*

surgente ex copula fornicaria in primo, & secundo gradu, & quidem in utraque linea, recta scilicet, & transversali, ut docet de la Crux, Fernandez, Henriquez, Sanchez, Rodriquez, & alii, quos citat, & sequitur Diana *p. 1. trac. 11. de Bulla Cruciatæ resol. 116. & 117.* Requiritur autem quod matrimonium sit jam contractum, coram Parocho, & Testibus, & cum bona fide, saltem ex parte unius conjugis, & quod impedimentum sit occultum, ideſt non publicum, quamvis ab aliquibus paucis sciatur.

201. Hinc talis potestas Commissarii Cruciatæ est, ut notat Sanchez *de Matrim. lib. 8. dis. 6. n. 24.* quodammodò amplior, & quodammodò strictior eâ, quam habent reliqui Episcopi; amplior, quia etiamsi esset præsens Papa, adhuc Commissarius posset dispensare. Episcopus autem, si potest haberi recursus ad Papam, aut ad habentem facultatem dispensandi, non potest. Est autem strictior, quia Commissarius in solo illo impedimento dispensare potest, & nunquam ante matrimonium initum, & conjux debet fieri certior de nullitate matrimonii ob illud impedimentum. At verò Episcopus potest in omnibus impedimentis occultis dirimentibus, accedente necessitate, dispensare; imò, ut probat Sanchez. *lib. 2. de Matrim. dis. 40. n. 7.* etiam ante initum matrimonum, urgente gravissima necessitate, qualis esset, si omnia parata essent ad Nuptias, & mulier confitens sua peccata, ut suscipiat, & conficiat Sacramentum matrimonii, reperiretur habere impedimentum, quod, cum nulla sit via evadendi Nuptias sine infamia, detegere non potest. Videatur dictus Sanchez *dis. 40. per totam.*

202. Non posse tamen Episcopum dispensare, ut contrahatur matrimonium cum impedimento dirimente, docent Pirhing *n. 170.* Layman *lib. 5. trac. 10. p. 4. cap. 6. n. 10. ver. Ad Extremum*: Van Espen *p. 2. tit. 14. cap. 1. n. 9. ver. At consuetudine.* ubi ait, soli Summo Pontifici competere

Digitized by Google

petere dispensare in matrimonio contrahendo cum impedimento dirimente. Verùm opinionem Sanchez supra relati sequuntur plures, quos affert, & sequitur Diana *p. 2. trac. 16. Miscellan. 2. resol. 19.*

QUÆSTIO SECUNDA.

QUÆNAM SINT JUSTÆ CAUSÆ DISPENsandi in Impedimentis dirimentibus?

203 Dico quartò: Tres sunt causæ communiter assignatæ, ob quas dispensari potest in impedimentis dirimentibus. Prima est extinctio magnæ litis, vel gravium discordiarum, & scandalorum inter cognatos, ad quam causam etiam reducitur vitatio magni periculi animarum, quod certè incurretur, nisi fiat matrimonium. Secunda est, quando non reperitur in Urbe matrimonium æquale, nisi inter Consanguineos, vel Affines. Tertia est defectus dotis competentis, ex quo fit, ut mulier non possit nubere nisi cum Consanguineo, vel Affini, qui dotem competentem ob Consanguinitatem, vel Affinitatem non exigit. Ita Sanchez cum aliis. *lib. 8. de Matrim. dis. 19. à n. 8.*

204 Dico quintò: Præter dictas causas assignantur etiam sequentes, nimirum conservatio ejusdem Sanguinis illustris, vel ampliſſimarum divitiarum in eadem familia. Merita petentium dispensationem, si nimirum Ecclesiæ servierint, aut strenuè se gesserint contra Infideles. Proles suscepta ex Consanguinea cum bona fide, idest cum matrimonium fuerit bona fide contractum; aliter non esset causa obtinendæ dispensationis proles suscepta ex consanguinea, cumdit crimen incestûs. Ita Sanchez cum Hostiensi, Joanne Andreâ Abbate, Ancharano, & aliis Canonistis *dicto lib. 8. de Matrim. dis. 19. n. 33.* Pi-

rhing *lib. 4. tit. 1. sec. 6. §. 5. n. 171.* Ex quibus qui dispensationem petit, debet aliquam ex dictis causis exponere in supplica, aliter non obtinebit dispensationem.

QUÆSTIO TERTIA.

QUANDO NAM OB RETICENTIAM VERI, vel expressionem falsi, obtenta dispensatio sit surreptitia, & invalida?

205 Dico sextò: Quoties in petitione dispensationis tacetur vera causa, aut circumstantia, quam Jura petunt exprimi; vel quoties veritas, quæ tacetur, aut falsitas, quæ exprimitur, pertinent ad causam finalem, ita ut ob illam datur dispensatio, & sine illa, aut data non fuisset, aut non tali modo fuisset data, toties dispensatio est surreptitia, & invalida. Ratio est, quia tunc deest consensus, & intentio ex parte dispensantis. Ita Conink *de Sacramentis dis. 33. n. 61. dub. 6.* Pirhing *dicto §. 5. n. 172.* & alii, quos refert Sanchez *lib. 8. de Matrim. dis. 21. n. 11.* Verùm, quod attinet ad causam finalem intelligendum est juxta ea, quæ mox dicemus.

206 Dico septimò: quoties autem tacetur veritas, vel exprimitur falsitas, quam Jus non jubet exprimi, aut talis est veritas tacita, & falsitas expressa, ut non pertineat ad causam finalem, ideſt non sit illa, ob quam datur dispensatio, sed solùm ad causam impulsivam, ideſt talis est, ut facilius ob eamdem detur dispensatio, sed non ob eam, quia adhuc data esset ob aliam causam, toties dispensatio est valida. Ratio est, quia adhuc stat, quod non deficiat intentio, & consensus ex parte Dispensantis. Ita Conink *n. 62.* & Pirhing *ibidem.* Sed ut dixi, indiget hoc explicatione, quam mox dabo.

207 Interim do exemplum de taciturnitate causæ,

aut

aut circumstantiæ, quam jus petit exprimi: contraxit Titius scienter in gradu prohibito; deinde petit dispensationem, & tacet se contraxisse scienter cum tali impedimento, sed solùm petit, ut dispensetur in gradu. Hic si dispensationem obtinet, surreptitia est; quia Tridentinum jubet *sess. 24. de Ref. Matr. cap. 5.* ut talis careat spe dispensationis; ideoque debet exprimere se matrimonium contraxisse scientem impedimentum, ad hoc ut valida sit dispensatio. Similiter debet exprimere se consummasse matrimonium, vel non, quia Tridentinum ibidem facit de hoc mentionem. Item si quis habeat plura impedimenta, & non facit mentionem de omnibus in petitione dispensationis, erit dispensatio surreptitia, & invalida; quia Jura jubent omnia impedimenta exprimi debere; ut bene probat Sanchez *de Matr. lib. 8. dis. 23. n. 2. & dis. 24. n. 1.*

208 Item ne surreptitia fit dispensatio, exprimi debet quoto gradu consanguinitatis, vel affinitatis, aut publicæ honestatis ex matrimonio rato, nondum consummato, distent contrahere volentes. Reliqua, quæ nimis longa sunt, videri possunt apud ipsum Sanchez *per totam dictam disp. 24. & disp. 25.*

209 Exemplum autem de causa finali, vel impulsiva dari non potest, quia pendet ab arbitrio Prudentum, ut bene ait Sanchez *dicto lib. 8. disp. 21. n. 19.* Ideoque quoties id, quod tacetur nec à Jure, nec à stylo Curiæ Romanæ petitur exprimi, & Prudentes putant, quod etiamsi expressum fuisset, adhuc Papa concessisset dispensationem, valida ea censeri debet. Et econtra si id, quod tacetur, tale est ut Jura petant exprimi, etiamsi Papa censeatur daturum fuisse dispensationem, si fuisset expressum, adhuc dispensatio est invalida.

210 Brevi igitur tota doctrina tradita reducitur ad hoc, quod si veritas, quæ tacetur, & falsitas, quæ exprimitur, est talis, ut contra Jura, aut stylum Curiæ Roma-

ne factum sit eam tacendo, & hanc exprimendo, etiamsi æstimari possit à Prudentibus, quod Papa concessurus fuisset dispensationem, si veritas aperta fuisset, adhuc dispensatio est surreptitia. Econtra si non sit factum contra Jura, nec contra stylum Curiæ tacendo veritatem; tunc si censeatur à Prudentibus Papam concessurum adhuc fuisse dispensationem, erit dispensatio valida. Atque ita Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. dis.* 21. *n.* 13. & in hoc sensu admittit sententiam, quam refert *n.* 11. & nos diximus *n.* 206. videri etiam potest Van Espen *p.* 2. *tit.* 14. *cap.* 5. *à n.* 21 *usque ad* 8. in quibus exponit, quæ exprimi debent in supplica, ad hoc, ut dispensatio obtenta non sit surreptitia.

QUÆSTIO QUARTA.

QUÆNAM SINT FORMULÆ LITERARUM dispensativarum, & quomodo se gerere debeat Delegatus?

211 SUpponendum, quod dispensationes matrimoniales, sive in Dataria, sive in Pœnitentiaria, non conceduntur nisi in forma commissoria; idest committendo facultatem alicui dispensandi, qui, quoties dispensatio expeditur à Dataria, seu Cancellaria, solet esse Ordinarius loci, aut ejus Vicarius, non quidem alternative, nimirum Episcopus, vel Vicarius, sed unus tantum eorum, ut apparet ex stylo Curiæ Romanæ. Unde est, quod si Rescriptum Pontificium fuerit directum Vicario, non potest expediri per Episcopum. Imò si Vicario sit directum, & Vicarius fuisset factus Episcopus ejusdem Diœcesis, non poterit tunc aperire Rescriptum, sed deberet ille, qui in Vicariatu successit. Ita ex Conrado, Van Espen *p.* 2. *tit.* 14. *cap.* 2. *à n.* 1. *usque ad* 8. in quo

addit,

addit, quod commissio facta Episcopo, aut ejus Vicario, non transit ad Vicarium Capitularem, Sede vacante, cum ut *n. 9.* ait, Vicario Capitulari Sede vacante, non soleant ex stylo Curiæ Romanæ committi dispensationes, sed Episcopo viciniori, aut ejus Vicario, & nos diximus *lib. 2. cap. 4. §. 16. n. 134.* Præterea *n. 10.* addit, quod si supplicantes sint diversæ Diœcesis, utraque Diœcesis exprimi debet in supplica. Literæ autem Papales diriguntur ad Ordinarium Oratricis. Atque hæc de Commissionibus, quæ pro utroque foro expediuntur in Dataria, aut Cancellaria. Quæ verò pro foro conscientiæ tantùm expediuntur in Pœnitentiaria, diriguntur Confessario Magistro in Theologia, vel Doctori in Jure Canonico. Ubi nota, quod Confessarii Societatis Jesu, etiamsi non sint insigniti aliquo gradu, habent ex Privilegio concesso à Gregorio XIII. quod possint aperire literas Pœnitentiariæ destinatas Magistro in Theologia, vel Doctori in Jure Canonico. *In Compend. Privileg. Societ. Jesu. ver. Confessarius. §. 3.* His positis.

212 Dico septimò: Tria continentur in literis dispensationum matrimonialium. Primum est commissio dispensandi authoritate Apostolica in impedimento. Secundum est narrativa, in qua narratur id, quod supplicans, seu Orator exponit. Tertium est dispositiva, in qua conceditur gratia sub conditionibus servandis à Commissario. Conditiones autem sunt, ut Commissarius accipiat informationem de veritate eorum, quæ Pontifici expressa fuerunt in supplica. Secunda, ut non accipiat munera etiam sponte oblata; imò, ut refert Van Espen *p. 2. tit. 14. cap. 3. n. 7.* ex Conradò, habetur Decretum Sacræ Congregationis, quod nec Episcopus, nec Vicarius pro executione harum literarum Apostolicarum quidquam recipere possint, nec pro sigillo, nec pro mercede laboris.

ob 213 Quo ad

213 Quoad Informationē veritatis, debet Commissarius inquirere ea per testes, & non ex dicto supplicantium, & item debet inquirere, num allegata pro obtinenda dispensatione, ita sint, ac in supplica fuerunt posita; & quoties reperiat non ita esse, non potest dispensationem exequi, v. g. si in formula dispensationis sit: *Quod cum dicta Oratrix in dicto loco propter illius angustiam, virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat.* Ubi nota, quod hæc dispensatio dicitur concessa ob angustiam loci, & est una ex variis à nobis supra enumeratis *n.* 203. Vel si fuerit tenoris sequentis: *Quod cum dicta Oratrix dotem habeat minus competentem juxta Status sui Conditionem, eam quo virum sibi non consanguineum, vel affinem paris Conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, & dictus Orator illam cum dicta minus competente dote uxorem ducere intendat.* Ubi nota, quod hæc dispensatio dicitur concessa ob incompetentiam dotis, & fuit à nobis etiam dicto *n.* 203. assignata.

214 Potest autem concedi etiam ob augmentum dotis, & tunc in formula post illa verba: *uxorem ducere intendat*: adduntur hæc alia: *illiusque dotem usque ad quantitatem secundùm dicta oratricis qualitatem competenter augere intendat*. Item potest concedi pro indotata, & tunc est quoties vir intendit dotare, & solet tali formula exprimi. *Eam sic indotatam ducere, ac usque ad quantitatem secundùm dictæ oratricis qualitatem ex integro dotare intendat*.

215 Jam si re vera res non ita se habeant, quia in eo loco reperitur aliquis, qui sit paris conditionis, & eam vellet in uxorem; aut quia re vera dotem competentem habet mulier; aut quia vir nec dotem augere possit, nec ex integro dotare; tunc Commissarius nullo modo poterit exequi dispensationem; imò in dispensatione pro indotata,

dotata, aut pro augmento dotis, quia additur clausula *postquam dicta Oratrix dotata fuerit*, vel *dos competens aucta fuerit*. Non poterit Commissarius exequi dispensationem, nisi prius dotata fuerit illa, vel aucta ejus dos. Videatur Van Espen *dicta p.* 2. *tit.* 14. *cap.* 4. *per totum*.

QUÆSTIO QUINTA.

QUÆNAM SINT DISPENSATIONES IN FORMA PAUPERUM?

216 Dico octavò: aliquoties expediuntur literæ dispensationum in forma Pauperum: eo quia supplicantes ajunt, se esse pauperes, & ex labore suo tantùm vivere. Et quidem ad hanc dispensationem requiritur paupertas tum viri, tum fœminæ, quæ Paupertas probari debet testimonio Parochi, vel alterius fidedigni, & debet verificari non solùm tempore supplicationis, sed etiam quando est exequenda dispensatio.

217 Dico nonò: Dantur etiam dispensationes per pœnitētiariā in foro conscientiæ tantùm pro impedimentis occultis, in quibus literis ita solet scribi: *si ita esse per diligentem Oratoris examinationem, ac post monita, & cautelæ opportunè illi præstita inveneris*: ex quo Confessarius, qui, ut diximus debet esse Doctor in Theologia, vel Jure Canonico, vel aliunde Privilegiatus, debet examinare ipsos Oratores, non verò testes; nam in foro conscientiæ non fit probatio per testes.

218 Sed petes, si Confessarius sciat aliunde, Oratores falsum dicere in examine, poterit ne dispensare? Respond. non posse, quia non est præsumendum Papam velle dispensare, quando causa allegata non subsistit. Ita Van Espen *p.* 2. *tit.* 14. *cap.* 7. *n.* 3. Præterea additur in literis hujusmodi hæc Clausula: *Ita quod hujus-*

modi

modi dispensatio, & absolutio in foro Judiciario nullatenus suffragetur. Ex quo stat, quod si impedimentum publicetur, & in quæstionem apud Judicem ducatur, dispensatio Pœnitentiariæ non prodest; sed discutienda est causa à Judice.

219 Insuper solet addi in talibus literis. *Auditâ priùs Oratoris Sacramentali Confessione eundem hac vice in formâ Ecclesiæ consueta, & injuncta ei pœnitentia absolvas.* Unde certum est, quod debet præmitti Confessio Sacramentalis.

220 Rursus solet apponi. *Dummodo Impedimentum ex præmissis proveniens sit occultum, & separatio inter latorem, & dictam mulierem fieri non possit absque scandalo; ex cohabitatione verò de incontinentia, probabiliter timendum esse tibi visum fuerit, aliudq; impedimentum Canonicum non obstet.* Ex quibus constat, quod si impedimentum tale sit, ut publicè de eo constet, aut sit periculum, quod in foro externo detegatur, non prodest talis dispensatio. Item si non verificantur reliqua, nec dari potest à Confessario dispensatio; & quia etiam solet in dictis literis apponi, quod fiat certior Conjux de nullitate matrimonii, & secretò iterum contrahant, debet Confessarius multâ prudentiâ, & circumspectione uti, ut hoc exequantur Conjuges post datam dispensationem. Atque hæc nobis sufficiant. Legi potest Sanchez *toto lib. 8. de Matrim.* in quo de dispensationibus agit.

§. QUINTUS.

DE DIVORTIIS.

221 Dico primò: Divortium est dissolutio matrimonii, quæ utroque Conjuge vivente, contingit; seu ut ajunt Goffredus, & Hostiensis *in sum-*

tit.

tit. de Divortiis §. 1. est inter virum, & mulierem legitimè facta separatio. Dicitur Divortium à divertendo, seu divortendo; abit enim uterque Conjux in diversam partem, sicut Livius dixit, divortia itinerum: & Cicero, divortia aquarum. Differt Divortium à Repudio, quia divortium solùm inter virum, & uxorem haberi potest; repudium autem etiam inter virum, & Sponsam, cum repudiari possit matrimonium futurum. Ita Vallensis *lib. 4. tit. 19. n. 8. versu. Differt.*

222 Dico secundò: Matrimonium defacto, quanvis non Jure contractum, non potest dissolvi privata authoritate, sed requiritur sententia Judicis Ecclesiastici, posita cognitione causæ. Ideoque ad Titulum *de Divortiis* præmittitur Titulus *Qui Matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari.* Non enim possunt omnes admitti ad impugnandum matrimonium; nam si quis, quando fiebant denunciationes à Parocho, non comparuit, & postquam matrimonium fuit contractum, accusat, repellitur ab accusatione. Quod si probet, se ignorasse Denunciationem Parochi, vel juret, quod post Denunciationes sciverit ea, quæ objicit, etiamsi sciverit ab illis, qui tempore Denunciationum tacuerunt, audiri debet. *Cap. finali. Qui Matrimonium accusare possunt, &c.*

223 Item si matrimonium petatur dissolvi non ob delictum Conjugum, sed quia v. g. Vir sit frigidus, aut mulier arcta, tunc accusatio solùm spectat ad Conjuges. Si tamen habeatur delictum Conjugum, quia v. g. in gradu vetito contraxerunt, tunc quilibet admittitur ad accusandum, & potiori Jure Parentes, & jis deficientibus, Agnati, Cognati, &c. cum ad hos spectet Genealogiam propriam cognoscere. *Cap. Videtur, Qui Matrimonium accusare poss. &c.* Unde quanvis in causis criminalibus non admittatur ad testificandum Pater in causa filii, nec filius in causa Patris; tamen in causis matrimonialibus admittitur.

Digitized by Google

224 Quoties igitur petitur Divortium propter Consanguinitatem, aut Affinitatem, toties debent adhiberi testes ex Consanguineis duo, vel tres, vel totidem ex Senioribus, & melioribus loci, in quo sunt, si non adsint Consanguinei, qui testes personaliter coram Judice compatere debent, & non per literas. *Cap. Ad nostr. Qui Matrim. accus. posit. &c.* & jurare, quod non privato odio, aut inimicitia ducti id testificentur, & quod verum dicant, credantque ita esse. *Cap. Quoties. de Testib. & Attestation.*

225 Denique cum hodie ad solum quartum gradum Consanguinitatis, & Affinitatis extendatur prohibitio, Testes de auditu non admittuntur, nisi sint personæ graves, quibus fides videatur adhibenda, & sciverint à suis majoribus ea, quæ testificantur, ante litem motam, non quidem ab uno, sed adminus à duobus, qui nec fuerint infames, aut suspecti, sed fide digni. Et proprio juramento firment, quod ad ferendum testimonium, non ex odio, amore, vel timore, vel commodo procedant. Et quod clarè distinguant gradus, & sic accepisse concludant à suis majoribus, & ita esse credant, & insuper jurati affirment se vidisse personas, vel saltem in uno prædictorum graduum constitutas, pro Consanguineis se habere. *Cap. Licet ex quadam. de Testib. & Attestation.*

QUÆSTIO PRIMA.

AN, ET QUIBUS EX CAUSIS POSSIT fieri Divortium quo ad Vinculum?

226 SUpponendum Divortium dupliciter sumi. Primò pro dissolutione matrimonii quo ad Vinculum, & hoc est propriè Divortium. Secundò pro dissolutione matrimonii quo ad torum, & cohibitione, du-

Digitized by Google

durante tamen matrimonii Vinculo, quod impropriè dicitur Divortium.

227 Dico tertiò: Quanvis Jure civili matrimonium legitimè contractum potuerit ob certas causas dirimi quo ad Vinculum, ut constat *ex toto Tit. ff. de Divort.* & *Tit. C. de Repudiis*. tamen matrimonium inter Fideles semel legitimè contractum, & consummatum Jure Canonico, nunquam dissolvi potest quo ad Vinculum, nisi per mortem alterius Conjugis. *Cap. Quanto. de Divort.* ibi: *Non credimus, quod in hoc casu is, qui relinquitur, vivente altero, possit ad secundas Nupsias convolare.* & *Can. Dixit Dominus.* 32. *q.* 1. ibi: *Sic priorem dimittere jubetur uxorem, ut secundam, prima vivente, non habeat.* Qui Canones fundantur in Sacra Scriptura dicente: *Quos Deus conjunxit, homo non separet.* & in verbis Apostoli. *Mulier alligata est legi*. supple, *Matrimonii*: *quanto tempore Vir ejus vivit.* Unde etiam Jure positivo divino est indissolubile matrimonium, ut probat Sanchez *lib.* 2. *disp.* 13. *n.* 7. & habetur *in Cap. unico. de Voto. in* 6. & affirmatur à Tridentino *sess.* 24. *de Matrim. initio sessionis.* Hinc si alter Conjugum incidat in hæresim, aut pergat ad Infideles, adhuc durat Vinculum matrimonii. *Cap. Quæsivit. de Divort. §. Verum.* & *dicto Cap. Quanto. eodem tit.*

228 Dixi, matrimonium legitimè contractum, & consummatum inter Fideles, dissolvi non posse, quo ad vinculum: tum quia matrimonium Infidelium potest, ut dicam, in aliquo casu dissolvi; tum quia matrimonium ratum inter Fideles etiam in aliquo casu dissolvi potest, ut dicam. Tum denique quia quoties fuerit contractum cum impedimento perpetuo dirimente, toties non solvitur vinculum, quod non fuit, sed declaratur per Judicis sententiam non fuisse. Necessaria autem est hæc sententia declaratoria, quia quanvis de Jure, illud matrimonium fuerit nullum, tamen de facto fuit contractum, &

Digitized by Google

ideo, Jure Canonico sic statuente, debet de facto dissolvi à Judice Ecclesiastico. *Cap. Porro. de Divortiis. §. Præterea.*

229 Dico quartò: Matrimonium Infidelium in gradu à lege Canonica prohibito non dissolvitur quo ad vinculum, nec quo ad torum post eorum conversionem ad Fidem. Quod si dum erat quis infidelis plures habebat uxores, debet conversus ad Fidem primam retinere, dimissis cæteris *Cap. Gaudemus. de Divortiis.*

230 Dico quintò: Si Infidelis convertitur ad Fidem, & mulier non convertitur, vel econtra, poterit dissolvi illud matrimonium quo ad vinculum, quoties perseverans in Infidelitate, non vult cohabitare cum Fideli, vel cohabitando blasphemat divinum nomen, aut inducit Fidelem ad peccatum. *dicto Cap. Quanto. de Divort.* Et ratio est, quia licet matrimonium Infidelium sit legitimum, non tamen est ratum, neque est Sacramentum repræsentans unionem Christi cum Ecclesia, aut Verbi Divini cum humanitate, & ideo in tali casu dissolvi potest, & Fidelis transire ad Nuptias cum alia Fideli. Cæterum ob solam conversionem unius ad Fidem, non solvitur matrimonium, ut patet *ex prima ad Corinth. cap. 7. & ex Canone. Jam nunc. 28. q. 1.*

231 Dices: Contra indissolubilitatem matrimonii faciunt verba Christi Domini dicentis: *Matth. 19. Quicunque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit mœchatur.* ergo ob fornicationem licitum est dimittere uxorem, & aliam ducere, quia solùm est illicitum ducere eam fornicariam, jam dimissam.

Respondeo: Christum Dominum non locutum esse de dimissione quo ad vinculum, sed de dimissione quo ad torum, de qua mox loquemur. Dixit igitur Christus, quod licitum est separari ab uxore fornicaria, & illicitum conjungi cum illa, quia est consentire in Adulterio, semper

autem

autem illicitum est ducere aliam vivente illa. Atque ita expressè dicitur *in Can. Hi vero. 32. q. 7.* his verbis: *His ergo, qui uxores suas in Adulterio deprehendunt non licebit, nec eum, nec eam, alium uxorem accipere, vel alium virum, quandiu ambo vivunt.*

232 Item de dimissione quo ad torum explicant verba Christi Doctores, ut videre est apud Sanchez. *lib. 10. de Matrim. disp. 2. n. 3.* & apud Pirhing *lib. 4. tit. 1. sect. 5. §. 3. n. 141.* Præterquam quod clarum est ex verbis ipsis Christi Domini Marci. 10. *vers. 11.* quod non dissolvatur matrimonium quo ad vinculum, nam dicit: *Quicunq; dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit Adulterium committit. & ver. 12.* dicitur: *si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.*

Stet igitur matrimonium inter Fideles semel legitimè contractum, & consummatum non dissolvi, quo ad vinculum, nisi per mortem alterius conjugis; unde nec ob hæresim, aut infidelitatem, ut diximus, nec ob infirmitatem, aut amentiam, aut aliam quamcunque causam solvi potest; ut constat *ex Can. Hi, qui matrimonium. 32. q. 7.* & ex Tridentino *de Matrim. Can. 5.*

QUÆSTIO SECUNDA.

AN, ET QUA DE CAUSA POSSIT MATRIMONIUM ratum, non consummatum dissolvi quo ad vinculum?

233 Dico 1. to: Matrimonium ratum nondum consummatum dissolvitur quo ad vinculum per Professionem Religiosam factam ab altero Conjuge, etiam invito alio. *Cap. Commissam. de Sponsal. & Matrim. Cap. Verum. de Conversi. Conjug.* & Tridentinum *de Matrim. Can. 6.* ita quod facta Professione unius, quili-

tene-

tenetur alter Conjux expectare, potest qui manet in sæculo, aliud matrimonium inire. *Cap. Ex publico. de Convers. Conjug.*

234 Nec obstat illud: *quos Deus conjunxit homo non separet.* quia textus loquitur de matrimonio consummato, ut definit Alexander III. *in fine dicti Cap. Ex publico.* & clarè constat ex contextu; nam priùs dixerat Christus *Matth. 19. ver. 4. Erunt duo in carne una.* & postea *ver. 6.* subjunxit: *quos Deus conjunxit &c.* Non sunt autem duo in carne una, nisi consummato matrimonio.

235 Ratio autem cur dissolvi possit matrimonium ratum, non verò consummatum, est, quam assignant Doctores ex Sacris Canonibus, ut videre est apud Pirhing *lib. 4. tit. 1. sec. 5. §. 3. n. 140. ver. Porro.* nimirum quia licèt sit Sacramentum, tamen repræsentat solam unionem Christi cum Ecclesia, per gratiam, & charitatem, idcoq; sicut unio Christi cum Ecclesia per gratiam, & charitatem est solubilis, & solvitur per peccatum mortale, ita matrimonium ratum eam unionem repræsentans est solubile, & solvitur per Professionem Religiosam. At verò matrimonium consummatum etiam repræsentat unionem Christi cum Ecclesia per mysterium Incarnationis, cum jam facti sint Conjuges per consummationem matrimonii una caro, sicut Verbum Divinum cum humanitate factum est unum Suppositum, & dicitur factum caro; & ideo dissolvi non potest tale vinculum, sicut unio Hypostatica non dissolvitur.

236 Huic rationi est alia addenda ex Gonzalez Tellez *in lib. 3. Decretal. cap. Verum. de Convers. Conjug. n. 8.* quæ clarè ostendit, cur per professionem Religiosam dissolvatur matrimonium ratum, non verò dissolvatur consummatum. Ea est: quia per consummationem matrimonii jam tradita est possessio proprii corporis alteri conjugi; ergo cum jam corpus proprium non sit ampliùs in propria po-

testate

testate, non potest Deo offerri in Religione, cum Deo non placeat oblatio rei alienæ. Per matrimonium autem ratum non consummatum nondum est tradita possessio proprii corporis, sed solùm habetur promissio, per quam alter conjux acquirit Jus in corpus alterius ad finem matrimonii; & ideo quilibet ex conjugibus potest Deo se tradere in Religione, cum jam adhuc retineat Dominium proprii corporis: quod exemplo venditionis patet. Nam sicuti venditio, in qua nulla traditio rei intercessit, solvitur per secundam venditionem, in qua secuta est traditio rei; ita matrimonium ratum, in quo nulla est facta traditio proprii corporis, solvitur per traditionem factam Deo in Religione.

237 Similiter habetur differentia cur per Votum solemne, quod est in Ordine Sacro, non solvitur matrimonium ratum, ut constat *ex Extravag. Joannis XXII. unica de Voto* & solvatur per Professionem Religiosam. Nam per Professionem Religiosus amittit proprium velle, & nolle, & sæculo moritur; ideoque sicuti per mortem corporalem solvitur matrimonium consummatum, ita per civilem solvitur ratum. At Sacerdos sæcularis non amittit velle, & nolle, nec moritur civiliter.

238 Nota, quod quamvis vota post biennium in Societate Jesu dirimant matrimonium contractum post ipsa, ut diximus suo loco; tamen non solvunt matrimonium ratum; nec vota Coadiutorum temporalium formatorum, quamvis publicè fiant, quia sunt etiam vota simplicia; solùm igitur in Societate solvitur matrimonium ratum per Professionem solemnem trium, aut quatuor votorum; hæc enim Professio est omnino irrevocabilis. Unde si quis post matrimonium ratum, fiat Jesuita, & emittat vota biennii, adhuc non est solutum matrimonium, nec mulier illa potest transire ad alium virum. Ita Góm. ex Tolet *loc. cit. n. 6.* cum Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 18. n. 6.*

& Sva-

& Svarez *de Relig. tom. 4. lib. 4. cap. 2.*

239 Dico septimò: Potest etiam ex dispensatione Apostolica dissolvi matrimonium ratum inter Fideles non consummatum, ita ut, posita tali dissolutione, possint Conjuges aliud inire matrimonium. Est sententia communior, & verior, quam tenet cum gravissimis Doctoribus Sanchez *lib. 2. de Matrim. dis. 14. n. 2.* Pirhing *lib. 4. tit. 1. sec. 5. §. 4. n. 142.* Navarrus *in Manuali, cap. 22. n. 21.* Vallensis *lib. 4. tit. 19. §. 1. n. 2.* Fagnanus *in 3. lib. Decretal. cap. Ex parte Abbatis. de Conversi. Conjugat. n. 6.* & alii. Probatur autem Summum Pontificem hanc potestatem habere; quia de facto multi Summi Pontifices dispensaverunt; tum quia matrimonium ratum Fidelium non habet indissolubilitatem indispensabilem, quatenus est contractus, quia matrimonia Infidelium sunt solubilia, ut dictum est; nec quatenus Sacramentum, quia ut Sacramentum non causat Characterem indelebilem; neque ex significatione Sacramenti; quia solùm significat unionem Christi cum Ecclesia per gratiam, & charitatem; quæ dissolvi potest, ut etiam diximus; ergo non est cur Papa non possit in tali matrimonio dispensare.

240 Dices: Summus Pontifex non potest dispensare in Jure divino naturali; sed matrimonium etiam ratum non consummatum, est insolubile Jure divino naturali. ergo &c.

Hæc instantia petit solutionem quæstionis, an Summus Pontifex possit in Jure divino dispensare; cujus quæstionis solutio breviter hæc est: quod in iis, quæ ita sunt de Jure divino, ut supponant actum voluntatis humanæ, ut Votum, Juramentum, & Matrimonium ratum, possit Summus Pontifex dispensare; In iis autem, quæ sunt de Jure divino absoluto, idest unicè pendent ab arbitrio divino, ut est de non fornicando, non mentiendo &c. plures tum Theologi, tum Canonistæ sustinent, nunquam posse Papam

Digitized by Google

pam dispensare, & in nulla re cadente sub præcepto divino, sed ad summum declarare, quod in aliquo casu speciali lex divina non obliget. Alii autem volunt, quod in aliqua re, & in aliquo speciali casu, nimirum in re, quæ talis sit, ut recta ratio dictet expedire ad regimen Ecclesiæ, ut obligatio Juris relaxetur ob causam urgentem occurrentem, possit Papa dispensare. Nemo autem dicit, quod universaliter possit summus Pontifex dispensare in iis, quæ sunt de Jure divino absoluto, neque in matrimonio consummato Fidelium, quanvis hoc supponat actum voluntatis humanæ.

241 Ratio, cur in aliqua re, & in aliquo speciali casu possit, hæc assignatur: quia ad regimen Ecclesiæ spectat, ut à Deo concessa fuerit hæc facultas Papæ; sicut ad regimen Ecclesiæ spectat, ut possit Episcopus in aliquo casu, & urgente necessitate dispensare in lege Papæ, & quod hoc sit ab ipso Papa tacitè concessum; non potest autem rationabiliter præsumi, quod Deus concesserit Papæ hanc potestatem in universum, ideoque nemo dicit, posse Papam dispensare in omnibus quæ sunt de Jure divino.

242 Illi autem, qui volunt nunquam Papam dispensare posse in Jure divino, dicunt, ad regendam Ecclesiam Deum dedisse potestatem Papæ declarandi Jus divinum, quia non possumus ad Deum ipsum recurrere pro interpretatione illius in aliquibus casibus, ideoque congruum fuit, ut ejus Vicarius hanc facultatem haberet, non autem dedisse facultatem dispensandi, ideſt relaxandi obligationem ipsius Juris divini, cum sufficiat illa potestas declarandi. Videatur Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 6. *à n.* 2. *usque ad* 8. *& deinceps.* & Fagnanus *in lib.* 1. *Decretal. Cap. Cum pridem. de Pactis. n.* 73. qui *n.* 77. probat, non posse Papam dispensare, sed solùm declarare Jus divinum, & usque *ad n.* 81. hanc opinionem defendit ex variis Juribus, & Doctoribus. His positis,

Digitized by Google

243 Respondeo: Matrimonium ratum esse jure divino naturali insolubile, non omnimode, sed aliqualiter; id est voluit Deus, ut possit solvi causa Religionis vitæ, aut authoritate sui Vicarii, non autem per mutuum consensum contrahentium, sicuti solvuntur cæteri contractus, quia sic sequerentur varia incommoda, & continuo mutarentur matrimonia cum damno Reipublicæ humanæ; Ita Sanchez *lib. 2. de Matrim. dis. 13. n. 7.* & 10. Et quod ita fuerit à Deo institutum matrimonium, ex Sacris Canonibus, Sanctis Patribus, & Doctoribus constat, sicut ex iisdem constat, Institutionem divinam esse, quod matrimonium consummatum inter Fideles non possit dissolvi, quia significat conjunctionem Verbi divini cum carne humana, nec aliunde ea, quæ pendent à voluntate divina nobis constare possunt, nisi ex Sacris Canonibus, Sanctis Patribus, & Doctoribus:

244 Præterea quando Pontifex dispensat in matrimonio rato, non facit contra jus divinum, seu non dispensat in aliquo jure divino, sed in contractu humano. Atq; hæc est ratio cur in iis, quæ ita sunt de Jure divino, ut supponant actum voluntatis humanæ, possit Pontifex dispensare. Nam non facit Pontifex, quod habeatur matrimonium, & non sit perpetuum, quod esset contra Jus divinum; sed facit, quod non habeatur contractus matrimonii, illum annullando. Quod idem accidit quando dispensat Pontifex in voto; non enim facit quod votum sit, & non obliget volentem, sed facit quod votum non sit, tollendo ipsum votum, quod est fundamentum obligationis ex Jure divino; Jus enim divinum non est de habendo voto, sed de servando illo, posito, quod habetur ita Sanchez *lib. 2. de Matrim.* cum pluribus, *dis. 14. n. 5. vers. Vel secundo. & supradicto lib. 8. dis. 6. n. 2.* & S. Thomas 2. 2. *quæst. 88. art. 10. ad 2.*

245 Insuper quando Papa dispensat in matrimonio rato

rato non facit contra Jus naturæ; quia matrimonium non est ex natura sua omnino insolubile, cū Jus naturæ sit semper idem, & tamen ante legem Evangelicam dabatur libellus repudii, & solvebantur etiam consummata, & post legem Evangelicam solvuntur etiam matrimonia cōsummata Infidelium, quoties convertitur unus ad Fidem, & alia non vult cohabitare cum illo sine injuria Creatoris.

246. Neque permutat Papa essentiam matrimonii pro ut Sacramenti, quia de essentia matrimonii quà Sacramenti est ea insolubilitas, quam habet ex Institutione divina; sed hæc insolubilitas consistit, ut dictum est, in hoc, quod non possit fieri authoritate propria contrahentium, sed solùm authoritate Papæ, vel ob Professionem Religiosam. ergo &c. Quod autem ita fuerit, institutio divina colligitur ex Sanctis Patribus, Sacris Canonibus, & Doctoribus, ex quibus solùm potest colligi?

247. Quæres: An requiratur justa causa ad talem dispensationem, non solùm ut sit licita, sed etiam valida.

Respondeo cum communi Theologorum, & Canonistarum, quos affert Sanchez *lib. 2. de Matrim. dis. 15. n. 6.* non tenere dispensationem in matrimonio rato sine justa causa; sicut docent etiam, non tenere dispensationem in voto sine justa causa, quia sine justa causa in his, quæ sunt de Jure divino non potest Papa dispensare, cum in his non sit ipse Dominus, sed dispensator, seu Minister. Justæ autem causæ dispensandi in matrimonio rato sunt notabilis disparitas in statu, & conditione inter Contrahentes, quæ est mater discordiarum, vel gravis timor magni scandali futuri, unde graves rixæ, & neces oriantur, vel lepra supervenies alteri conjugi, vel cessatio belli &c. de quibus videatur Sanchez *dicto lib. 2. dis. 16. per totam.*

QUÆSTIO TERTIA.

AN, ET QUIBUS EX CAUSIS POSSIT fieri divortium quo ad Torum, & Cohabitationem?

248 Dico octavò: Certum est, matrimonium inter Fideles consummatum posse dissolvi, quo ad torum, & cohabitationem, manente inter conjuges vinculo matrimonii. Patet ex toto titulo *de Divort.* & est definitum à Tridentino *sess. 24. de Matrim. Can. 8.*

249 Dico nonò: Potest hæc separatio fieri primò ex mutuo consensu, quoties scilicet uterque conjux vult castitatem vovere, aut in Religionem intrare. *Cap. 1. & 2. de Convers. Conjugat.* & *Cap. Dudum. eodem titulo.*

250 Dico decimò: Potest separatio quo ad torum, & cohabitationem fieri ob hæresim, aut infidelitatem alterius Conjugis, quæ dicitur spiritualis fornicatio, aut si alter Conjux alium inducat ad peccatum. *Cap. Quæsivit. de Divort.*

251 Dico undecimò: Poterit etiam fieri dimissio uxoris, manente vinculo, quoties necessaria judicatur ad ejus correctionem, & emendationem. *Cap. Si vir. de Adult.*

252 Dico duodecimò: Potest fieri dissolutio, quo ad torum, & cohabitationem, quoties alter Conjux in alium sæviat nimis, itaut de vita prudenter timeatur. Sanchez *lib. 10. de Mat. dis. 18. n. 2.* Pirhing *lib. 4. tit. 19. §. 10. de Div. n. 60.* & patet *ex Cap. Ex transmissa. & Cap. Literas.* ibi: *Si verò tanta sit viri sævitia. De Restitut. Spoliator.* Quod si uxor gravia, & atrocia verbera recipiat à Marito, etiam potest ab eo separari; sed non sufficit semel, aut bis verberari, & in aliquo iræ impetu accidentali Mariti; sed requiritur probabilis timor hujusmodi verberationis in posterum

rum. Pirhing *n. 61. ver. Infertur secundò*. Quoties igitur inter virum, & uxorem habentur rixæ frequentes, nec potest mulier cum viro cohabitare sine vitæ, aut alio gravi periculo, toties potest divortium institui, nec tenetur redire ad Maritum, nisi hic det cautionem arbitrio Judicis de eâ non malè ampliùs tractanda, quæ cautio potest esse vel Fidejussoria, vel Pignoratitia, & aliquando sufficiens esse potest Juratoria. Ita Pirhing. *dicto lib. 4. tit. 19. §. 10. n. 62.* cum Sanchez, & Layman.

253 Dico decimotertiò: Non est causa sufficiens divortii amentia Mariti, vel uxoris, si nullum sit periculum vitæ; quia & si molestum sit cohabitare cum amente, tamen tolerandum est. Ita Sanchez *lib. 10. dis. 18. n. 18.* Similiter lepra Mariti, aut alius morbus contagiosus, si talis est, ut uxori immineat periculum vitæ, est sufficiens causa ad divortium, quo ad torum, & cohabitationem; Si verò non sit tale periculum, debet mulier sustinere in patientia. Dicitur enim *L. Si cum dotem. §. Si Maritus. ff. soluto Matrimonio quemadmodum dos petatur. Quid enim tam humanum est, quàm fortuitis casibus mulieris Maritum, vel uxorem Mariti, participem esse.*

254 Nota quod ad divortium ex causa ruinæ animæ, quia nimirum Conjux inducit ad peccatum, non est necessaria sententia Judicis; tum quia non est divortium perpetuum, sed temporale; tum quia ob moram habetur periculum lapsus in peccatum. Ita ex Sanchez Pirhing *lib. 4. tit. 19. §. 10. n. 58.* Verùm securius est, imò necessarium ob scandalum vitandum, ut ex sententia Judicis Ecclesiastici tale divortium fiat, nisi periculum esset in mora, ut paulò antè dixi, vel non esset facilis recursus ad Judicem. Quod ipsum dicitur de divortio ob grave periculum corporis. Pirhing *loco cita. n. 62. ver. Addendum secundò*.

255 Dico decimoquartò: Potissima causa divortii

quo

quo ad torum, & cohabitationem est adulterium Conjugis unius. *Cap. Significasti. & Cap. Exliteris Iuis. de Div.* nomine adulterii venit hic quicumque alius coitus completus cum alia persona, ut docent Sanchez *lib.* 10. *de Matrim. dis.* 4. *n.* 3. *& seq.* Vallensis *lib.* 4. *tit.* 19. *n.* 1. *ver. Sextò si alter*. Pirhing *lib.* 4. *tit.* 19. §. 1. *n.* 5. & alii apud ipsos.

256 Notandum primò: quod separatio, quo ad torum potest fieri propter adulterium alterius à Conjuge innocente propriâ authoritate. At verò quo ad cohabitationem non potest sine Judicis Ecclesiastici sententia fieri; quia est res publica, & sine scandalo esse non potest; unde judicio Ecclesiæ fieri debet. *Cap. Porro. de Divort.* Van Espen. *p.* 2. *tit.* 15. *cap.* 7. *n.* 19. Pirhing *dicto lib.* 4. *tit.* 19. §. 1. *n.* 4. quod si adulterium esset publicum, & notorium posset *ex Cap. Significasti. eodem tit.* sine Judicio Ecclesiæ fieri separatio quo ad cohabitationem, ut communiter docent cum Sanchez.

257 Verùm hæc sententia refutatur à Gonzalez Tellez *in* 4. *lib. Decretal. tit.* 19. *Cap. Porro. n.* 6. quia divortium est pœna adulterii, quæ nisi per Judicem imponi non potest. Sed in causa propria nemo Jus sibi dicit. *L. Unica. C. Ne quis in sua causa*. Igitur Maritus non potest propria authoritate uxorem dimittere ob ejus publicum adulterium.

258 Notandum secundò: quod pendente Judicio de adulterio, non potest fieri separatio tori, nec ante probatam accusationem, debet Accusator privari Jure, quod habet.

259 Notandum tertiò: quod si Adulter, vel Adultera sit pœnitens, nec perseveret in crimine, potest ab innocente reassumi ad cohabitandum; imo cessante scandalo potest vir dimissam uxorem adulteram sibi reconciliare. Quod si vir noluerit eam ampliùs recipere, debet mulier

lier in religioso loco collocari. *Cap. Gaudemus. de Conuers. Conjugat.*

260 Notandum quartò: quod Judex in causa divortii est Episcopus, vel alius Ecclesiasticus, cui fiet delegatio; quia causæ matrimoniales ad Judicem Ecclesiasticum spectant. Ut definit Tridentinum *sess. 24. de Matrim. Can. 12.* Quo ad hæreditates tamen, dotem, & successiones, potest Judex sæcularis cognoscere. Nam causæ matrimoniales, vel sunt omnino civiles, ut de dotibus, hæreditatibus, & successoribus, & hæ pertinent ad Magistratum, vel Judicem sæcularem, quoties causa dotis in Judicium principaliter deducitur, seu quoties causa principalis est de dote &c. vel sunt omnino spirituales, ut de valore Sacramenti &c. & hæ pertinent solùm ad Judicem Ecclesiasticum, vel sunt partim civiles, & partim spirituales, ut de gradibus Cognationis, divortiis, & impedimentis, & hæ possunt quidem pertingere ad Judicem sæcularem, sed cum subordinatione ad Ecclesiasticum juxta Tridentinum *cit.* Ita Pirhing *lib. 4. tit. 18. §. 4. n. 18.* Quando autem agitur de restituenda dote propter nullitatem matrimonii, idem Judex Ecclesiasticus, qui judicat de matrimonio, debet judicare de dote, ut dicemus.

261 Notandum quintò: quod quoties uterq; Conjux pari crimine adulterii tenetur, neutri est licitum petere Divortium. *Cap. Significasti. de Divort.* & *Cap. Intellexi-mus.* & *Cap. finali. De Adult.* Ubi redditur ratio, quia paria crimina, pari compensatione delentur; sed est advertendum cum Glossa *in dictum Cap. Significasti. v. Nisi constaret. de Divortiis.* quod adulterium mariti debet esse notorium, ad hoc, ut possit objici marito volenti dimittere uxorem adulteram; nam si adulterium mariti est occultum, & uxoris notorium, debet uxor priùs probare adulterium mariti, ut sic mutua eorum crimina pari compensatione tollantur. Quod si mariti adulterium probare non

non poteſt, neceſſe eſt, ut divortium patiatur.

262 Similiter quando adulterium fuit materiale, ideſt ſine culpa commiſſum, vel quia mulier ſine ſuo conſenſu vim paſſa eſt, vel putavit invincibiliter illum eſſe ſuum virum, vel quia putans ſuum virum mortuum, bonafide alteri nupſit, non eſt licitum petere Divortium. *Can. Ita ne. 32. q. 1. Can. In lectum. 34. q. 2.* & ratio eſt, quia ubi non eſt culpa, ibi nec pœna eſſe debet.

263 Item ſi vir proſtituerit uxorem, non poteſt petere Divortium. *Cap. Diſcretionem. De eo qui cognovit conſang. uxoris ſuæ.* ibi: *Cum adulterium ei non poſſit objicere, qui eam adulterandam tradidit.* & ratio eſt, quia volenti, & conſentienti non fit injuria; unde non poteſt propter injuriam acceptam dimittere uxorem, & præterea, quia vir conſentiens in adulterio uxoris, eodem crimine implicatur, & perinde eſt, ac ſi ipſe adulterium etiam commiſiſſet.

264 Denique ſi Conjux innocens condonet Adultero injuriam, non poteſt ampliùs inſtituere Divortium. Condonare autem tacitè cenſetur, ſi cum eo rem habet; expreſsè, ſi verbis, aut ſignis animum condonandi injuriam oſtendat. Videatur Pirhing *dicto lib. 4. tit. 19. §. 2. à n. 8. uſque ad finem.*

265 Notandum deniq; quod ſi mulier ſine cauſa divertit à marito, niſi ſtatim redeat, excommunicatur, & marito petenti debet reſtitui, niſi fiat exceptio legitima. *Can. Si qua Mulier. diſt. 30.*

QUÆSTIO QUARTA.

QUID FIERI DEBEAT CIRCA DOTEM, & Filios facto Divortio?

266 Dico decimoquintò: Judex Eccleſiaſticus, datâ ſententiâ de Divortio, ſive ea ſit quo

quo ad declarandum matrimonium nullum, sive quo ad separationem tori, & cohabitationem, quia incidenter movetur quæstio de Dote, ac Donationibus propter nuptias, debet de his quoque pronunciare sententiam, tanquam accessoriis ad matrimonium. Atque ita statutum est *in Cap. de Prudentia vestra. De Donation. inter virum, & uxorem, & Dote post Divort. restituenda.* & docet Pirhing *lib. 4. tit. 20. §. 5. à n. 31. usq; ad 34.* quia de connexis idem est Judicium. *Cap. Translato. de Constitut.* Cum igitur Dos sit connexa cum matrimonio, idem Judex Ecclesiasticus, qui de matrimonii nullitate dedit sententiam, debet judicare de Dote restituenda.

267. Sciendum est autem hìc Dotem esse pecuniam, quæ ab uxore, vel alio ejus nomine datur marito pro sustinendis oneribus matrimonii, quæ proinde, constante matrimonio, reperi non potest, nisi marito propter crimen læsæ Majestatis, vel hæresis, vel alterius magni criminis confiscentur bona, vel ipse dotem dissipet.

268. Talis Dos, vel est Profectitia, vel Adventitia. Profectitia est, quæ à Patre, vel Parente virilis sexus de suis bonis profecta est. Adventitia, quæ vel ab alio, vel ipsius mulieris bonis data est.

269. Sciendum secundò: Donationem propter Nuptias esse eam, quam facit Sponsus, vel alter ejus nomine, Sponsæ in securitatem Dotis. Unde hodie æqualis esse debet Doti, & cum jisdem pactis, & conditionibus fieri, ita ut tantum causâ donationis Maritus det Uxori, quantum ab illa causâ dotis recepit. Hæc videri possunt apud Pirhing *lib. 4. tit. 20. §. 1. n. 1. & deinceps.*

270. Dico decimosextò: Sicut soluto matrimonio ex causa licita, quia nimirum inter Conjuges erat impedimentum dirimens ab eis incognitum, dos debet restitui uxori, ita & donatio propter nuptias debet restitui marito. *Cap. 1. & 2. de Donation. inter Virum, &c.* & *Cap. ult.*

ult. Eodem tit. §. Sunt. Ubi tamen additur, nisi consuetudine, vel pacto de lucranda dote, vel donatione propter nuptias, secus sit inductum. Imò ea bona, quæ constante matrimonio communiter Conjuges acquisiverant, dividi æqualiter debent inter eos. *Eodem. Cap. 2. ejusdem tit.* & docet Pirhing *lib. 4. tit. 20. §. 5. n. 29.* & Vallensis *lib. 4. tit. 20. n. 3.*

271 Dico decimoseptimò: Si scienter cum aliquo impedimento dirimente fuerit matrimonium contractum, non debent dividi inter ipsos, soluto matrimonio, ea, quæ conjuges sibi mutuò dederant, nisi fuerint in minori ætate, aut aliquo errore excusentur, sed Fiscus ea sibi applicare debet. *Cap. Et si necesse. de Donation. inter Virum, & Uxor: &c.* juncta Glossa *Ver: Restitui. ibi: Si autem sciebant se non posse contrahere, tunc non repetunt, quod dederunt, sed Fisco applicentur.* Vallensis *dicto n. 3. ver. Quod si scienter.* Pirhing *lib. 4. tit. 20. §. 5. n. 27. ver. Notandum quartò.*

272 Dico decimo octavò: Si mulier ob adulterium per sententiam Judicis Ecclesiastici separetur à marito, vel propria voluntate ab eodem diverterit, amittit dotem, quæ in lucrum mariti innocentis convertitur. *Cap. Pierunque. de Donation. inter Virum, &c.* & docet Covarruvias *in 4. Decretal. p. 2. cap. 7. §. 6. n. 1.* Sanchez *lib. 10. de Matr. dis. 8. n. 2.* Pirhing *dicto tit. 20. lib. 4. §. 6. n. 36.* cum aliis communiter adductis ab eis.

273 Similiter si ob adulterium viri fiat separatio, mulier recuperat dotem, & lucratur donationem propter nuptias. Quod si ipsa fuerit etiam de adulterio accusata, potest excipere contra virum de adulterio, & sic dotem non amittere. Idem Pirhing *n. 38. ver. Notandum 3.* cum Sanchez *lib. 10. de Matrim. dis. 8. n. 11.* & aliis multis apud ipsum. Quod si uxor adultera habeat filios, vel ex eo, vel ex alio matrimonio, tunc manet habendum

dum

dum vixit, usumfructum dotis, ac ipso mortuo, succedunt in bonis adulteræ filii. Ita de Jure communi esse probat Barbosa adductus à Sanchez *dicto lib.* 10. *de Matrim. dis.* 8. *n.* 12.

274 Quod si mulier adultera revertat ad virũ suum, & ab eo recipitur, quia sic censetur maritus injuriam condonare, mulier dotem non amittit. Colligitur ex eodem *Cap. Plerumque*, ducto argumento à contrario sensu ex illis verbis: *nec reconciliata postea sit eidem.* & docent cum aliis Covarruvias, Sanchez, & Pirhing *n.* 38. *dicto* §. 16.

275 Dico decimononò: Donationes inter virum, & uxorem, quæ constante matrimonio, invalidæ sunt ex utroque Jure (& quidem omnes sunt invalidæ præter donationes causâ dotis, aut propter nuptias) quia tamen morte donantis confirmantur. *Cap. finali, de Donat. inter Virum, & uxorem, &c.* si soluto matrimonio, accidat mors donantis, non confirmantur, quia tacitè revocatæ fuerunt per ipsum Divortium. Ita *ex dicto Cap. finali. de Donat. inter Virum, &c.* Vallensis *dicto n.* 3. *ver. Insuper.*

276 Notandum primò: quod Maritus prostituens uxorem, vel consentiens in ejus adulterio, non lucratur dotem, imò dum accusat uxorem de adulterio, ipsa replicabit contra eum de lenocinio.

277 Notandum secundò: quod mulier non amittit dotem ipso Jure propter adulterium, sed post sententiam Judicis; unde ante talem sententiam non est in conscientia obligata restituere dotem, sed potest uti Jure retentionis. Pirhing. *dicto lib.* 4. *tit.* 20. §. 6. *n.* 38. *ver. Notandum* 7. Sanchez *dicto lib.* 10. *de Matrim. dis.* 8. *n.* 13. cum aliis innumeris.

278 Notandum tertiò: quod vir tenetur dare alimenta uxori adulteræ post divortium, & quanvis aliqui Do-

Digitized by Google

ctores apud Sanchez *dicto lib. 10. de Matrim. dis. 13. n. 17.* velint, quod si ipsa perſistat in adulterio, vir debeat ei negare alimenta neceſſaria, tamen ipſe Sanchez cum aliis dicit, negationem alimentorum eſſe medium acerbiſſimum ad emendationem uxoris, ideoque non debere adhiberi, ac proinde non teneri virum negare adulteræ uxori alimenta.

279 Notandum denique, quod non eſt ſufficiens caput divortii ab uxore, non ſolutio dotis, quia Jus cohabitandi cum uxore oritur ex lege naturali, & divina, & natura contractus matrimonialis, ut bene probat cum Covarruvia, Molina, Sanchez, & aliis, Pirhing *dicto lib. 4. tit. 20. §. 7. n. 41. ver. Notandum ſecundò*. Solùm igitur poteſt vir, dum non eſt ſoluta dos, negare uxori alimenta, non tamen illam expellere à domo. Quod ſi vir ad inopiam vergat, non debet ipſi tradi dos ſine cautione quod eam reſtituerit ſoluto matrimonio, at ſi talis ſit, ut talem cautionem non poſſit præſtare, debet dos in manu Mercatoris poni, ut inde fructus ad ſuſtentanda onera matrimonii percipiat. Ita *ex Cap. Per veſtras. de Donat. inter virum &c.* Pirhing *dicto* §. 7. *à n. 42. uſq; in finem*.

280 Dico vigeſimò: Filii, facto divortio, ali debent apud Conjugem innocentem, adeoque apud Matrem expenſis Patris, ſi hic dedit cauſam divortio; aut apud Patrem expenſis Matris, ſi ea dedit cauſam divortio, niſi Pater minus idoneus ſit ad educandos filios, tunc enim debent apud Matrem manere. Sanchez. *de Matr. lib. 10. dis. 20. n. 2.* Pirhing *lib. 4. tit. 19. §. 10. n. 63.*

281 Limitatur hæc regula primò: quoties Conjux innocens ſit Infidelis, aut Hæreticus, tunc enim favore Fidei debent filii educari apud Conjugem fidelem, quanvis hic dederit cauſam divortio.

282 Limitatur ſecundò: quoties culpâ viri facto divortio quo ad vinculum, mulier tranſiit ad ſecundas Nuptias;

Digitized by Google

tias; tunc enim non apud Matrem, sed apud Patrem debent filii habiti tempore illius matrimonii, quod fuit declaratum nullum, educari.

283 Limitatur denique, quoties qui dedit causam divortio, sit dives, & innocens sit Pauper; tunc enim apud divitem, debent filii educari. Ita ex Sanchez, & Layman, Pirhing *dicto n.63.* Item Gonzalez Tellez *lib.3. Decretal. in Cap. Ex literis. de Convers. Infidel. n.9.* ubi varias leges antiquas de educatione filiorum, facto divortio, narrat.

§. SEXTUS.

DE SECUNDIS NUPTIIS.

284 Dico primò: Secundæ nuptiæ vocantur non solùm quæ sequuntur ad primas, mortuo uno ex Conjugibus, aut facto divortio quo ad vinculum, sed etiam tertiæ, vel quartæ &c. Atque tales nuptiæ sunt licitæ, dicente Apostolo 1. *ad Corinth. Cap. 7. & ad Rom. Cap. 7.* mulierem mortuo viro liberam esse, & nubere posse cui voluerit. Quod idem dicitur *Cap. Super illa. de Secund. Nupt. & Can. Quod si dormierit. 31 q. 1.* unde *Can. Hac ratione. eadem 31. q. 1.* in quo secundæ nuptiæ dicuntur honesta fornicatio, falsò tribuitur Divo Joanni Chrisostomo, ut bene ibi notatur.

285 Dico secundò: Quanvis Jure civili notetur infamiâ illa mulier, quæ infra annum luctus transit ad secundas nuptias, tamen Jure Pontificio à tali infamia absolvitur. *Cap. Super illa. & Cap. Cum secundum. de Secundis Nuptiis.*

286 Dico tertiò: Secundæ nuptiæ non benedicuntur à Parocho, vel Sacerdote, cui sit data licentia ab Ordinario, vel ab ipso Parocho benedicendi nuptias juxta

Tridentinum *sess.* 24. *de Reform. Matrim. Cap.* 1. §. *Præterea*, & *Cap.* 1. *de Secundis Nupt.* Quamvis si viduus ducat virginem, doceant aliqui benedici posse. Vallensis *lib.* 4. *tit.* 21. *n.* 3. Videatur tamen Pirhing *dicto lib.* 4. *tit.* 21. §. 3. *n.* 14. *& deinceps*.

287 Notandum, quod Jure civili non solùm pœna infamiæ, sed etiam multæ aliæ inflictæ sunt mulieri nubenti infra annum à morte Mariti. Verùm Jure Canonico tales pœnæ censentur abrogatæ omnes. Ita Pirhing *lib.* 4. *tit.* 21. §. 2. *n.* 8. Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. dis.* 87. *n.* 23. Pœnæ autem statutæ in favorem filiorum prioris matrimonii contra mulierem transeuntem ad secundas nuptias, non sunt à Jure Canonico revocatæ, sed manet Jus civile in suo robore circa eas. Nam non sunt meræ pœnæ; sed sunt provisio Juris in favorem filiorum, ne à transeunte ad secundas nuptias minus æstimentur, quàm filii posterioris matrimonii. Ita idem Pirhing *n.* 10. De his pœnis videantur Juris civilis Doctores; eas tamen dicam brevissimè quænam sint.

288 Contra nubentem mulierem infra annum luctus statuitur primò pœna infamiæ. *L.* 1. *in principio C. de Secund. Nupt.* & *L. Liberorum ff. de His, quæ notantur infamiâ.* Hæc autem pœna non est statuta viro transeunti ad secundas nuptias intra annum luctus, quia in eo cessat ratio incertitudinis prolis, quæ haberetur in muliere; posset enim dubitari, an filius fuerit prioris, an verò secundi matrimonii, quando mulier statim à morte prioris, conjuncta est cum secundo.

289 Secunda pœna est ut secundo Marito non possit dare mulier in dotem, nec relinquere in sui morte per testamentum, ultra tertiam partem bonorum suorum. *dicta L.* 1. *C. Eodem tit.*

290 Tertia pœna, ut sit incapax hæreditatis, Legati, Fideicommissi &c. *L.* 1. *C. eodem.*

291 Quar-

291 Quarta, ut privetur bonis omnibus relictis à viro suo ei in testamento. Et quinta est, ut det medietatem bonorum suorum filiis prioris matrimonii.

292 Hæ omnes leges correctæ sunt à Jure Canonico, ut diximus, ne privetur mulier libertate nubendi, cui vult, mortuo marito, quam libertatem Deus ei dedit, teste Divo Paulo *supra citato*.

293 Pœnæ autem, quæ potius sunt dispositio Juris in favorem filiorum prioris matrimonii, & nō sunt correctæ per Jus Canonicum, & incurruntur etiamsi post annum luctus transeat mulier ad secundas nuptias sunt sequentes.

294 Prima est, ut amittat proprietatem bonorum sibi relictorum à viro defuncto, solo usufructu retento, & proprietate transeunte in filios prioris matrimonii. *L. Fœminæ. C. de Secund. Nupt.*

295 Secunda est, ut non det in dotem, nec relinquat in morte secundo marito plusquā dederit uni ex filiis prioris matrimonii, cui minus dederit. *L. Hac edictali. C. Eodem.*

296 Tertia, ut amittat tutelam filiorum, & munus Executricis testamenti. An omnes hæ leges sint in usu non constat; ideo standum est pro consuetudine Regionum. Videri potest Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp.* 87. 88. & 89. in quibus de pœnis intra annū luctus, & de aliis in favorem filiorum fusè, & eruditè, ut solet, agit. Atque hæc de matrimonio dicta sint satis. Qui plura desiderat consulat ipsum Sanchez, vel Basilium Pontium, qui plenè de eo scripserunt.

CAPUT QUARTUM.

DE REBUS SACRIS.

POst tractatum de Sacramentis, ad res sacras devenimus, acturi deinde de Rebus Sanctis, Religiosis, ac postremo de Temporalibus, seu Corporalibus.

§. PRI-

§. PRIMUS.

DE VASIS, VESTIBUS, ET ALIIS REBUS SACRIS.

1 DIco primò: Vasa sacra sunt Calices, & Patenæ, & alia vasa ad conservandam Eucharistiam, quæ vocantur Pyxides, vel ad sacrum Oleum conservandum servientia. Linteamina, & vestes ad Eucharistiam cōficiendam, nō sunt propriè sacrata; sed benedicta.

2 Dico secundò: Calix, & Patena, quæ debent esse ex auro, vel argento. *Can. Ut Calix.* & *Can. Vasa. de Consecr. dist.* 1. consecranda sunt ab Episcopo, priusquam ad sacros usus adhibeantur. *Cap. unico.* §. *Ungitur. de Sacra Unctione.* Unde est, quod consecratio Calicis, & Patenæ non potest fieri per simplicem Sacerdotem, nisi ex speciali concessione Summi Pontificis, quæ non fit, nisi Abbatibus usum mitræ, & baculi, & potestatem conferendi Ordines minores habentibus. Barbosa cum pluribus aliis *lib. 3. Jur. Eccles. cap. 2. a n. 8. usque ad* 11.

Pyxis autem, & alia vasa ad conservandum Oleum sacrum, non consecrantur. Utrum autem Pyxis debeat necessariò benedici antequam in eam asservetur corpus Christi, multi affirmant apud Dianam. *p. 2. trac. 15. Miscell. 1. resol. 2.* Verùm ipse cum aliis id negat, & cum eo Tamburinus *de Sacrif. Missæ lib. 1. cap. 1. §. 6. n. 1.*

3 Dico tertiò: Calix, & Patena execrantur, si formam mutant, aut enormiter lædantur per fractionem, aut amittant auream superficiem; unde si denuo deaurantur, indigent nova consecratione, quia consecratio fit propter contactum corporis, & sanguinis Christi Domini; sed habita nova deauratione contactus non fieret in parte consecrata, ergo debet iterum consecrari. Ita cum Svarez,

Emma-

Emmanuele, Reginaldo, & aliis Barbosa *loco citato n.* 14. Non desunt tamen Doctores, qui dicant nō esse opus novā consecratione, quorum sententiam probabilem censet Diana *dicta p.* 2. *trac.* 15. *Miscell.* 1. *resol.* 3. & Tamburinus *de Sacrif. Missæ lib.* 1. *cap.* 1. §. 5. *n.* 6. *& deinceps.* eo quia verè manet idem Calix, sicut manet eadem Ecclesia consecrata quoties denuò dealbatur. Quod si vas sacrum polluatur vel sanguine, vel semine, erit purgandum, & reconciliandum Sacerdotali benedictione, non autem iterum consecrandum. Idem Barbosa *n.* 15.

4 Dico quartò: Sacratæ Pallæ, de quibus in Sacris Canonibus fit mentio, sunt hodie ex prædicto Barbosa, Corporalia, quæ super linteamina Altaris extenduntur, ut super ipsa reponatur corpus Christi, & Calix consecratus. Palla autem dicitur, quæ super ponitur Calici, & vocatur Palla, quia palliat, seu abscondit Sacrificii mysterium, & fit ex ea parte, qua calicem tangit ex materia Corporalis. Debent Corporalia fieri ex pāno lineo albo, non ex panno serico, vel tincto, & sunt consecranda ab Episcopo, vel Abbate habente facultatem. *Can. Consulto, de Consecr. dist.* 1. Consecratio autem hic sumitur non rigorosè, sed pro benedictione, quæ omnino necessaria est, ut docet cum aliis Tamburinus *de Sacrif. Missæ. lib.* 1. *cap.* 1. §. 1. *n.* 5. Benedicuntur etiam mappæ, seu linteamina Altaris.

5 Dico quintò: Omnia vestimenta Sacerdotis benedici debent ab Episcopo. *Can. Vestimenta. de Consec. dist.* 1. Benedici etiam possunt ab Abbate, vel Superioribus Regularibus habentibus ad benedicendum privilegia. Ita Barbosa, qui talia privilegia affert *dicto lib.* 3. *Jur. Eccles. cap.* 2. *à n.* 28. *usque ad* 34. & habetur pro nostris Superioribus *in Compend. Privileg. v. Benedicere.* §. 2. *& 3.*

6 Dico sextò: Vestes sacræ fieri possunt ex profanis, aut etiam ex muliebribus, quāvis aliqui dooverint oppo-

ficum: *ex Can. Ad Nuptiarum, de Consecr. dist. 1.* Ratio est quia per benedictionem Episcopi jam sacrantur. In Canone autem prædicto non dicitur, quod non possint fieri ex vestibus mulierum, sed quod ad ornatum nuptiarum, vel sæcularem ornatum non præstentur vestes jam benedictæ, & sacratæ, est enim meritò prohibitum convertere vestes sacras in profanos usus, & multò pejus esset, si Calices, & Corporalia ad usus profanos destinarentur.

7 Dico septimò: Quoties prædictæ vestes ita fiant, ut ampliùs non sint aptæ ad usum, ad quem fuerunt destinatæ, debent consumi igne, & cineres in sacrarium mitti. *Can. Altaris Palla, de Consecr. dist. 1.* Insuper si formam mutent, ut si ex parte Planetæ fiat Stola, vel Manipulum, toties indigent nova benedictione; si verò solùm reficiantur in aliqua parte, non est opus nova benedictione. Barbosa *loco cit. à n. 36. usque ad 42.*

§. SECUNDUS.

QUID SIT SACRARE, QUID CONSECRARE, quid benedicere, & quænam consecrari dicantur?

8 Dico octavò: Sacrare est aliquid Deo dicare. Consecrare autem est simul sacrare, idest cum interventu plurium personarum, & concordi animo rem Deo dicare. *Can. Pudenda, 34. q. 1.* ibi: *Consecrare enim est simul sacrare* nihilominus per Titulum *de Consecr. Eccl. vel Altar.* qualibet simplex sacratio dicitur Consecratio. Consecrantur autem Loca, Res, & Personæ, quæ ideo sacræ, seu sacratæ dicuntur. Et quoties Res sacra convertitur in profanam, dicitur execrari, seu desecrari, seu profanari. Quoties autem persona sacra privatur effectibus sacrationis, dicitur degradari.

9 Personæ, quæ consecrantur, sunt Episcopi, Presbyteri, Clerici, & Virgines; quamvis quilibet Christianus in Baptismate sacro Chrismate perunctus, dici possit consecratus. *Can. Quod quidquam.* 1. *q.* 1. Similiter Imperatores, & Reges, qui inunguntur, qui sunt Rex Galliæ, Rex Angliæ, Rex Siciliæ, & Rex Jerusalem, hi modo dicuntur consecrari. Quod ni solum quatuor Reges unguntur, refert Conradus *in Templo omnium Judicum. lib.* 1. *cap.* 1. *fer. Judex. num.* 2. *propè finem.* & Vallensis ex Joanne Honorio *lib.* 1. *tit.* 15. §. 1. *n.* 5. Quod autem Imperator inungatur, dicitur *in Cap. Venerabilem. de Electione. & Elect. potestat.* Proprie tamen Episcopi, & Sacerdotes dicuntur consecrari; Abbates verò, & reliqui dicuntur benedici.

10 Loca, quæ consecrantur, sunt Ecclesiæ, Altaria, & Cœmeteria. Res verò, quæ consecrantur, sunt Vasa sacra, Corporalia, Aqua Baptismalis, Oleum vel pro Chrismate, vel pro Unctione extrema; Campanæ, Vestes Sacerdotales; sed propriè Vasa sacra, idem Calix, & Patena, Aqua Baptismalis, Oleum, Ecclesiæ, & Altaria, seu Altariola, ut diximus, dicuntur consecrari.

11 Adhibetur Unctio in consecratione, sed non semper Chrisma; nam hoc adhibetur principaliter in Sacramento Confirmationis, & præterea ad consecrandum Episcopum, Ecclesiam, Altare, Calicem, & Patenam. *Cap. unico. de Sacra Unctione.* Et præterea ad inungendos eos, qui baptizantur. *Can. Presbyteris.* & *Can. Si quis de alio.* & *Can. Omni tempore. de Consecr. dist.* 4. & ad ipsius aquæ baptismalis consecrationem. *Can. In Sabbato. dist.* 4. Ad inungendos tamen Imperatores, & Reges, non Chrisma, sed Oleum sacrum adhibetur, ut probat Azorius *p.* 2. *Inst. Moral. lib.* 10. *Cap.* 5. *q.* 2. Item Oleum sacrum adhibetur in extrema Unctione, & in consecrandis Campanis.

12 Rursus non omnis Consecratio recipit Olei Sacri Unctionem; nam Diaconus, & Subdiaconus suæ personæ

sacratæ; sicut & Corporalia dicuntur Res sacratæ, quamvis non ungantur; quia tamen Corporalia sacrantur per contactum Corporis Christi, & Diaconus, & Subdiaconus per manuum impositionem ab Episcopo, & per contactum Calicis, & Patenæ, ideo dicuntur sacrari. Clerici verò in minoribus non dicuntur personæ sacræ, nec collatio eorum Ordinum est Consecratio, nec Virgines, quæ Deo dicantur, dicuntur propriè consecrari, sicuti nec aliæ Res, quæ sacræ dicuntur, cum potiùs benedictæ dici debeant, quàm sacratæ.

13 Dico nonò: Effectus consecrationis in genere, est facere personam, vel locum, vel rem cultui divino deputatam. Effectus autem consecrationis in specie, est in personis sacratis: spiritualis potestas ad exercendum suum Ordinem, vel Dignitatem, & quod ab aliis sine sacrilegio lædi non possint: in locis autem sacratis ne violari possint sine sacrilegio; in rebus denique propriè sacratis, ne tangi possint nisi à personis sacris.

14 Dico decimò: Differentia inter Consecrationem, & Benedictionem est ex dictis, quod Benedictio sit veluti exclusio profanitatis, & exterioris sanctitatis infusio. Consecratio verò addit præterea perpetuitatem dedicationis Rei, vel Personæ ad divinum cultum, ac propterea graviorem pœnam merentur, qui Res, vel Personas sacratas violant; quàm qui solùm benedictas.

15 Benedicuntur autem, & Personæ, & Res, & Aqua, & Cineres, & Palmæ, & Candelæ, & Olivæ, & Vestimenta, ac Linteamina, seu Tobaliæ Altaris, & Cibi, & Vexilla, & Naves &c. de quibus benedictionibus videatur Rituale Romanum. Quæcumque diximus videri possunt apud Barbosam *lib. 3. Jur. Eccles. cap. 3. per totum*.

16 Est autem hic addendum, quod sacra Unctio fit per Oleum, quod benedicitur, & consecratur, & aliud est Catechumenorum, & Infirmorũ, quod est oleum olivarum; aliud

aliud est Chrisma, quod fit ex oleo olivarum, & balsamo. Chrismate ungitur Episcopus in capite, & in manibus. *Cap. unico. de Sacra Unctione*. Sacerdotes autem unguntur in manibus oleo Infirmorum. Reges eodem oleo in brachio, sive humero, vel armo. Summus Pontifex ungitur in capite Sacro Chrismate. *dicto Cap. unico. de Sacr. Unctione.* denique qui baptizantur, bis ante Baptismum unguntur Oleo Catechumenorum, primùm in pectore, deinde inter scapulas; & post Baptismum, Chrismate, primùm in vertice, deinde in fronte cum Confirmantur. *dicto Cap. unico. de Sacra Unctione.*

CAPUT QUINTUM.

DE ECCLESIIS.

ANtequam ad consecrationem Ecclesiæ, vel Altaris veniamus, præmittere oportet, quid sit Ecclesia, & quomodo extruenda, & reparanda sit.

§. PRIMUS.

QUID, ET QUOTUPLEX SIT ECCLESIA.

1 DIco primò: Nomine Ecclesiæ generaliter sumptæ venit Conventus, Congregatio, seu Cœtus vocatorum, & quia Christi Fideles ab eodem Spiritu vocantur sub uno capite, ideo collectio Fidelium, dicitur Ecclesia. *Cap. Ecclesia. de Consecr. dist.* 1. Ecclesia verò materialiter sumpta est Ædes publica divino cultui exercendo, & præcipuè Sacrificio Missæ, authoritate Episcopi, deputata, quæ vocatur etiam Templum, & Basilica, idest Domus Regia. Barbosa *lib.* 2. *Jur. Eccl. cap.* 1. *à n.* 1. *usq; ad* 14. *& deinceps.* Vallensis *lib.* 3. *tit.* 48. §. 1. *n.* 1.

2 Di-

Digitized by Google

2 Dico secundò: Ecclesia alia est Episcopalis, seu Cathedralis, alia Collegiata, alia Matrix, alia Baptismalis, alia Parochialis.

3 Episcopalis Ecclesia, seu Cathedralis est illa, quæ est Sedes Episcopi, & totius Civitatis Parochia. Ecclesia Matrix propriè est eadem Ecclesia Cathedralis. *Cap. Venerabili. de Verbor. signific.* ibi: *Per Matricem Ecclesiam, Cathedralem intelligi volumus*. Sed potest etiam vocari Matrix, quæ alias Ecclesias sibi subjectas habet, ut docet Suarez, Rebuffus, Azorius, quos sequitur Barbosa *loco citato n.* 22.

4 Ecclesia Collegiata est illa, in qua sunt Canonnici ad Chorum destinati. In quo tamen differunt Canonici Cathedralis à Canonicis Collegiatæ, dictum est *lib.* 1. *cap.* 4. §. 9. *n.* 35. & §. 11. *n.* 46.

5 Ecclesia Baptismalis est, in qua habetur fons Baptismi, & Parochiani baptizantur; non possunt tamen in una Parochia haberi plures Ecclesiæ baptismales, sed una tantùm. *Can. Plures baptismales.* 16. *q.* 1.

6 Ecclesia denique Parochialis est illa, in qua constituitur unus Rector, seu Parochus, qui omnibus Fidelibus sibi assignatis intra certos limites Sacramenta ministrat. Non est tamen signum infallibile Ecclesiæ Parochialis fons baptismalis; quia sicut non desinit esse Parochia, per hoc quod Ecclesia non habeat fontem baptismalem, qui potest haberi in alia Ecclesia intra limites Parochiæ; ita nec sequitur necessariò esse Parochiam, per hoc quod habeat fontem baptismalem. Solet autem fons baptismalis esse in eadem Parochiali Ecclesia. Ita Gonzalez *Regul.* 8. *Cancell. glos.* 6. *n.* 48. quem sequitur Barbosa *n.* 26.

§. SE-

Digitized by Google

§. SECUNDUS.

DE ÆDIFICANDIS ECCLESIIS.

7 Dico tertiò: Nemini licet novam Ecclesiam construere nisi adsit Superioris authoritas, idest Papæ in locis exemptis à Jurisdictione Episcopi, & Episcopi in locis sibi subjectis. *Can. Nemo Ecclesiam. de Consecr. dist.* 1. & *Cap. Ad hæc de Religios. domib.* & docent communiter. Notam autem Doctores, quos refert Barbosa *lib.* 1. *Jur. Eccles. cap.* 2. *n.* 13. quod sufficiat consensus tacitus Episcopi, nimirum si sciens Ecclesiam ædificari, non contradixerit; aut etiam consensus post jam ædificatam Ecclesiam. Quodipsum docet Vallensis *lib.* 3. *tit.* 48. *n.* 3. Quod si sine justa causa Episcopus neget consensum, debet ab eo, qui vult Ecclesiam ædificare, nuntiari Romano Pontifici. *Cap. Nullus de Jur. Patronat.* Imò posse compelli ab Archiepiscopo, vel Primate, docet Azorius *p.* 2. *Instit. Moral. lib.* 9. *cap.* 3. *q.* 22.

8 Dico quartò: Non potest Ecclesia nova ædificari cum præjudicio alterius Ecclesiæ. *Can. Si quis Basilicam. de Consecr. dist.* 1. & *Cap.* 1. & 2. *de Novi operis Nuntiat.* Est autem præjudicium alterius Ecclesiæ, si inferant damnum ejus parietibus, vel si cogatur ad expensas novæ constructionis, aut ad sustentandum novum Rectorem, vel si patiatur damnum in Jurisdictione, vel in Oblationibus, quæ solent Ecclesiis tribui. Hinc si cum aliquo præjudicio alterius Ecclesiæ sit novum aliquod erectum, debet demoliri, si probetur, quod fuerit erecta post rite factam novi operis nuntiationem. *dicto Cap.* 1. *de Novi operis Nuntiat.* Est autem nuntiatio novi operis, prohibitio legaliter facta illi, qui de novo ædificat in præjudicium alterius. Videatur Pirhing *lib.* 5. *tit.* 32. *n.* 30. *per totum.*

9 Potest tamen Episcopus dare licentiam ædificandi novam Ecclesiam cum aliquo præjudicio alterius, quoties justa causa adest, v. g. si Parochiani excreverint, & non possint in una Ecclesia Parochiali commodè Sacramenta recipere, tunc potest Episcopus aliam Ecclesiam construere ad commoditatem Parochianorum juxta *Can. Præcipimus. 16. q. 1.* & *Cap. Ad audientiam. il primo. de Eccles. ædifican. vel reparand.* assignata portione Rectori novæ Ecclesiæ ex redditibus antiquæ. *Cap. Tua nos. eodem tit.* Quod ipsum habetur ex Trident. *sess. 21. de Refor. cap. 4.* Cæterum quoties nullum præjudicium Ecclesiæ antiquæ habetur, poterit quicunque cum cõsensu Episcopi in proprio solo Ecclesiam construere. *Can. Quicunq; 16. q. 1.*

10 Dico quintò: Non potest ædificari Ecclesia in alieno solo, sine consensu Domini. Quod si ædificetur, debet Dominus, si est Laicus servari indemnis ab eo, qui ædificavit, & Ecclesia libera remanere. Si verò Dominus est persona Ecclesiastica, aut alia Ecclesia, debet nova Ecclesia esse de Jure Patronatus illius. *Can. Questi nobis sunt. 17. q. 4.* Barbosa *lib. 2. Jur. Eccles. Cap. 2. n. 16.*

11 Dico sextò: Potest Leprosis simul congregatis construi propria Ecclesia cum Cœmeterio, & Presbyterio. *Cap. Cum dicat. de Eccles. ædificand.*

12 Dico septimò: Potest Episcopus ex bonis Ecclesiæ, cui præest, dotare Monasterium, vel Ecclesiam, quam pro Sepultura propria ædificare voluerit; cum hoc quod Monasterio, non nisi quinquagesimam partem, Ecclesiæ autem centesimam partem census conferre possit, dummodo Ecclesia, cui præest, non patiatur grave detrimentum ex hac assignatione, nam si patitur, potest revocari. *Cap. Apostolicæ Sedis. de Donation.*

13 Dico octavò: Quando nova Ecclesia ædificatur, debet Episcopus ad locum accedere, & atrium, & Cœmete-

Digitized by Google

meterium designare, Crucem figere, & primum lapidem ponere. *Can. Nemo Ecclesiam. de Consecr. dist.* 1. Quæ omnia posse facere sive per se, sive per alium, docent Barbosa *dicto lib.* 2. *Jur. Eccles. cap.* 2. *n.* 18. & Vallensis *lib.* 3. *tit.* 48. *n.* 3. cum Azorio *p.* 2. *Instit. Moral. lib.* 9. *cap.* 3. *q.* 4.

14 Dico nonò: Debet præterea Episcopus ab eo, qui vult Ecclesiam ædificare, exigere dotem pro luminaribus, & Ministris Ecclesiæ, & oneribus Episcopalibus persolvendis. *dicto Can. Nemo Ecclesiam*; & notatur etiam *in Cap.* 1. *de Censib.* Quod si Episcopus permitteret Ecclesiam ædificari sine dote, teneretur eam dotare de proprio. *Cap. Cum sicut.* juncta Glossa *v. Consecranda ver. Sed quid si Episcopus. de Consecr. Eccles. vel Altaris.* Dos autem *in dicto Cap.* 1. *de Censib.* dicitur Mansus, & sufficit unus, idest tanta quantitas terræ fertilis, quantam par boum colere potest. Videatur Azorius *p.* 2. *Instit. Moral. lib.* 6. *cap.* 1. *q.* 2. *prope finem.*

§. TERTIUS.

DE REPARANDIS ECCLESIIS.

15 Dico decimò: Ad Ecclesiarum reparationem tenentur primò quicunque damnum intulerunt tum ex lege naturali divina, tum ex civili, vel Canonica. Secundò illi, ad quos consuetudo hoc onus transmisit. Tertiò illi, quibus ex specialibus statutis, & conventionibus incumbit. Quartò cessantibus statutis, & consuetudinibus, reparatio Ecclesiæ fieri debet ex ea portione, quæ fabricæ deputata est; quod si nulla portio sit deputata fabricæ, debet Prælatus, qui decimas percipit, reparare Ecclesiam, si enim lucrum habet, debet & onus suscipere. Quintò tenetur Episcopus, Canonici, &

Digitized by Google

alii Beneficiati, vel Rectores Ecclesiarum, deducto eo, quod ad victum, & vestitum est necessarium, reparare Ecclesias suas. *Cap. de His. de Eccles. Ædificand. vel Reparand.* Sextò, si prædicta non sufficiant ad Ecclesiam reparandam, recurri debet ad populū, qui Sacramenta suscipit in ea Ecclesia. Septimò potest Episcopus fructus cappellarum existentium in Ecclesia deputare ad ejus reparationem, assignata congrua sustentatione Cappellanis. Tridentinum *Sess. 21. cap. 7. de Reform.* Item potest Episcopus ex jis, quæ accipit ab aliquo Testatore pro malè acquisitis incertis, applicare ad reparationem Ecclesiæ, sicut etiam Concubinarios condemnare ad aliquam summam pro reparatione Ecclesiæ dirutæ. Tridentinum *sess. 25. de Reform. cap. 14.* Videatur Petrus Peckius *in trac. de Reparand. Eccles.* Zipæus *in tit. de Eccles. Ædificand. vel Reparand. à n. 12.* & Van Espen *p. 2. tit. 16. cap. 5.*

§. QUARTUS.

DE CONSECRATIONE, ET RECONCILIATIONE ECCLESIÆ.

16 Dico undecimò: Extructa legitimè Ecclesia debet, cum primùm potest, consecrari ab Episcopo. *Can. Ecclesias, 16. q. 3. cap. 1. de Religios. domib. Cap. finali. in fine. de Consecra. Eccles. vel Altaris.* Non est tamen necessarium, ad hoc ut possint in Ecclesia celebrari divina, ut ipsa sit consecrata; cum gaudeat iisdem privilegiis, ut constat *ex Cap. Ecclesiæ. de Immun. Eccles.* Ecclesia non consecrata, sed divino cultui dicata per benedictionem a Sacerdote authoritate Episcopi, vel Prælato Regulari habente ad proprias Ecclesias benedicendas Privilegium, quale habent nostri Præpositi, & Rectores, ut videre est *in Compen. Privil. Societ. v. Benedicere. §. 1.*

17 Dico duodecimò: Ecclesiam consecrare non potest,

test, nisi solus Episcopus Diœcesanus, vel alius de licentia Diœcesani. *Can. Nemo. il primo. de Consecr. dist. 1. Cap. Tua fraternitas. de Consecr. Eccles. vel Altar.* Nec potest Episcopus simplici Sacerdoti dare facultatem consecrandi Ecclesiam. *Cap. Aqua. de Consecr. Eccles. vel Altar.* Quod si Episcopus Diœcesanus distulerit ultra quatuor menses consecrare Ecclesias Jesuitarum, possunt hi eas facere, consecrare ab alio Episcopo. *In Compend. Privileg. Societ. v. Ecclesia. §. 1.* Habent idem Privilegium alii Religiosi. Barbosa *lib. 2. Jur. Eccles. cap. 2. n. 33.* Ludovicus Miranda *in Man. Prælat. to. 2. q. 39. art. 1. Conclus. 3.*

18 Ab Episcopo consecratur etiam altare lapideum in Ecclesia fixum, & Altaria mobilia, quæ dicimus Altariola, simul cum ipsa Ecclesia, sed non est necesse, ut simul cum Ecclesia consecrentur, cum possint Altaria lapidea seorsim consecrari. *Cap. 1. de Consecr. Eccles. vel Altar.* Videatur Barbosa. *lib. 2. Jur. Eccles. cap. 7.* ubi agit de Consecratione Altarium.

19 Dico decimotertiò: In consecrandis Ecclesiis servandus est Ritus in Pontificali Romano præscriptus. Solùm est nobis notandum, quod Episcopus non debet Ecclesiam consecrare, nisi prius sit assignata competens dos à petente consecrationem. *Can. Placuit, ut quoties. 1. q. 2.* Ita ut si Episcopus consecret Ecclesiam sine dote assignata, ipse teneatur dotare. Barbosa *lib. 2. Jur. Eccles. cap. 2. n. 34.* cum aliis, & Pirhing *lib. 3. tit. 40. §. 1. n. 5.*

20 Dico decimoquartò: Debet Consecratio Ecclesiæ fieri inter Missarum solemnia. *Can. Omnes Basilicæ. de Consecr. dist. 1.* Verùm consecratio facta sine Missa, est valida. Quolibet die fieri potest consecratio Ecclesiæ, quamvis decens sit, ut fiat die festo. *Cap. Tua fraternitas. de Consecr. Eccles. vel Altar.* Barbosa citatus *n. 39.* Vallensis *tit. 40. lib. 3. n. 1. ver. Debet.* aliique apud ipsos.

21 Dico decimoquintò: Semel consecrata Ecclesia,

Digitized by Google

non potest iterum consecrari. *Can. Ecclesiis. de Consecr. dist.* 1. Nec si tectū deciderit, manentibus integris parietibus. *Cap. Ligneis. de Consec. Eccl. vel Alt.* Barbosa cum aliis *n.* 48. Quod si parietes diruti, vel cōbusti sint, vel Ecclesia sit in totum renovata, itaut parietes, qui fuerunt uncti, non habeantur, debet iterum consecrari. *dicto Can. Ecclesiis.* & *Can. de Fabrica. de Consecr. dist.* 1. Barbosa *n.* 50. Vallensis. *n.* 4. Pirhing. *lib.* 3. *tit.* 40. §. 2. *n.* 8. & 9. Quod si Altare lapideum confractum fuerit, aut amotum, consecrabitur Altare, & non Ecclesia iterum.

22 Dico decimosextò: Si dubitetur, num Ecclesia sit consecrata, & nulli Testes, vel scriptura appareant, poterit consecrari. Sed si habeatur unus testis vel de visu, vel de auditu, dicens fuisse consecratam, creditur. Vel si appareant Cruces in parietibus, vel aliqua tabula marmorea, vel si habeatur contractus dotationis, judicatur fuisse consecrata. Pirhing. *n.* 7. Vallensis *n.* 3.

23 Dico decimoseptimò: Si Ecclesia consecrata, fuerit violata per effusionem humani sanguinis injuriosam, etiam Martyris: aut per effusionem seminis humani, sive licitam per actum conjugalem, sive illicitam: aut per sepulturam Hæretici, aut Excommunicati, aut Pagani, iterum non est consecranda, sed reconcilianda (exhumato priùs cadavere illo) aspersione aquæ benedictæ ab Episcopo, cum vino, sale, & cinere, quæ aspersio facienda est ab Episcopo, & non à simplici Sacerdote; quod si non fuerit Ecclesia consecrata, sed tantùm benedicta, tunc poterit per simplicem Sacerdotem reconciliari aspersione aquæ etiam non benedictæ ab Episcopo, sed à Sacerdote. *Cap. Proposuisti.* & *Cap. Aqua. de Consecr. Eccles. vel Altar.* & *Cap. Si Ecclesia. eodem tit.* Videantur Diana *p.* 2. *trac.* 15. *Miscell.* 1. *Resol.* 6. ubi quærens, an de licentia Episcopi possit simplex Sacerdos reconciliare Ecclesiam consecratam pollutam, affert sententiam aliquorum

rum id concedentium, quanvis ipse relinquat judicio Doctorum decernendum, an talis opinio sit probabilis.

24 Dixi, *Effusionem sanguinis injuriosam*. quia si quis casu occidatur, v. g. quia decidit trabs è tecto, aut ipse decidit ex alto, vel si occisio sit ob inculpatam tutelam, non polluitur Ecclesia. Polluitur verò, si quis occidatur sine sanguinis effusione, v. g. si laqueo suffocetur, vel si quis sanæ mentis seipsum occidat.

25 Item dixi, *Etiam sanguine Martyris*. ideſt occisi in in odium Fidei, pollui Ecclesiam, quia licèt sanguis Martyris Ecclesiam ornet, tamen actio injuriosa persecutoris illam violat; unde non passio Martyris, sed actio injuriosa effusiva humani sanguinis est, quæ polluit Ecclesiam.

26 Nota primò: quod pauca effusio sanguinis e naribus alicujus ab alio percussi nõ polluit Ecclesiam. Videatur Diana *p.* 11. *trac.* 2. *Resol.* 58. Item effusio seminis occulta sive licita, sive illicita nec violat, sicut nec actus conjugalis factus ob necessitatem, quia nimirum Conjuges longo tempore inclusi fuerunt in Ecclesia, & ad vitandam incontinentiam, & servandam spiritualem vitam, matrimonio usi sunt, quanvis de hoc jam constiterit, & publicatum fuerit. Dixi, *etiamsi hoc innotuerit*, quia ex quo effusio seminis incipit innotescere per facti evidentiam, aut confessionem Reorum judicialem, habetur Ecclesia pro polluta.

27 Nota secundò: quod ex aliquorum opinione, quos refert Diana *p.* 2. *trac.* 14. *Resol.* 69. si in ea Ecclesia polluta celebretur bona fide Missa, non indiget reconciliatione; indiget tamen, si post consecrationem Hostiæ, & Calicis accidat pollutio; quanvis in tali casu teneatur Sacerdos prosequi Sacrificium inceptum. Videatur Tamburinus *lib.* 1. *de Sacrific. Missæ. cap.* 1. §. 4. *n.* 5. *& seq.*

28 Nota tertiò: quod si quis extra Ecclesiam vulneretur, & confugiens ad illam, moriatur in ea, non violatur

tur Ecclesia; at si intra Ecclesiam est vulneratus, & extra eam moriatur, violatur: quia non sola occisio hominis, seu homicidium, sed etiam injuriosa effusio sanguinis violat Ecclesiam. *Cap. Proposuisti.* ibi: *& aliquando vulnera inferuntur.* & *Cap. finali.* ibi: *Sanguinis effusione. de Consc. Eccles. vel Altar.* Videatur Pirhing *lib. 3. tit. 40. §. 3. per tot.*

29 Nota quartò: quod quoties Ecclesia Clericorum Societatis Jesu consecrata, aliquo ex dictis modis fuerit polluta, & non poterit haberi Episcopus, qui eam benedicat, possunt Præpositi, aut Rectores aquâ ab eis benedictâ reconciliare Ecclesiam. Habetur *in Compend. Privil. v. Ecclesia. §. 2.*

30 Dico decimo octavò: Pollutâ Ecclesiâ, censetur etiam pollatum Cœmeterium contiguum. Est Cœmeterium locus deputatus authoritate Episcopi ad sepulturam Fidelium. Jam consecratâ Ecclesiâ, censetur consecratum Cœmeterium, quia solet simul cum Ecclesia consecrari, vel benedici. Polluto tamen Cœmeterio, non polluitur Ecclesia contigua, nec polluto uno Cœmeterio, censetur pollutum, & aliud, quanvis per portam de uno in aliud detur ingressus. *Cap. unico. de Consecr. Eccles. vel Altar. in 6.* Reconciliatur Cœmeterium eodem modo, quo Ecclesia, cui est conjunctum. Videatur Pirhing *loco cit. §. 5.*

31 Dico decimononò: Sicut Ecclesia polluta debet iterum reconciliari, ita & pollutum Altare lapideum, debet reconciliari, & si perdat Consecrationem, consecrari. Pollutâ Ecclesiâ, omnia polluntur Altaria fixa existentia in illa, sicut polluto uno Altari fixo, polluitur Ecclesia tota. Non autem amittente Consecrationem Ecclesia, eam amittit Altare fixum, aut viceversa. Ratio est, quia sunt Consecrationes separabiles, & potest Altare integrum remanere, destructâ Ecclesiâ, vel viceversa. At in quocunque loco Ecclesiæ accidat pollutio,

totam

Digitized by Google

totam Ecclesiam inficit; ergo si unum Altare polluatur, tota Ecclesia erit polluta. Polluitur autem Altare jisdem modis, quibus polluitur Ecclesia. Pirhing *lib. 3. tit.* 40. §. 4. *n.* 28.

32 Hinc quoties reconciliatur Ecclesia polluta, debent omnia Altaria fixa intra illam existentia, reconciliari. Dixi, *fixa*, quia si sit in Ecclesia aliquod Altare lapideum mobile, non polluitur, pollutâ Ecclesiâ. Est autem Altare fixum illud, quod non potest asportari, & consecratur quatenus affixum basi, cujus ara superior est lapidea. Altare autem mobile est, quod asportatur, & per se consecratur, & sit ex uno lapide integro tantæ magnitudinis, ut pedem Calicis cum Patena capere possit. Pirhing *dicto lib. 3. tit.* 40. §. 4. *n.* 22. cum Abbate, Silvestro, Layman, & aliis.

33 Denique amittit Altare lapideum sive fixum, sive mobile Consecrationem, quoties lapis ille superpositus, qui dicitur Sigillum, vel ipse lapis portatilis, aut ara superior Altaris fixi confringitur, aut diminuitur enormiter, seu notabiliter. Dicitur autem notabiliter confringi, si ineptum fiat Altare ad usum suum, nimirum si non remaneat pars integra, in qua possit Calix cum Patena poni. Videatur idem Pirhing *loco cit. à n.* 23. *usque ad* §. 5.

34 Unum est hic notandum, quod ubi agitur de pollutione Ecclesiæ, nomen Ecclesiæ sumitur strictè, ita ut si effusio sanguinis, vel humani seminis fiat supra tectum, aut in Sacristia, aut in Atrio, & cæteris, non censetur Ecclesia polluta; at verò, ubi agitur de Immunitate, sumitur largè, ut dicemus.

§. QUIN-

Digitized by Google

§. QUINTUS.

DE IMMUNITATE ECCLESIARUM.

35 IMmunitas genericè sumpta est vacatio, seu libertas, seu exemptio à muneribus publicis, quæ alioqui sunt communia. Munus autem præter donum, nunc officium, nunc onus significat. Unde Immunitas duplex est, alia Personarum, alia Locorum, addunt alii tertiam, ideſt Bonorum; sed hæc, vel ad Personas, vel ad Loca, ideſt Ecclesias, quorum sunt bona, reducitur.

36 Immunitas Personarum, est exemptio, quam habent Personæ Ecclesiasticæ ab aliquibus oneribus, vel officiis communibus reliquis Personis; de qua Immunitate jam locuti sumus *in primo libro cap.* 12. ubi de privilegiis Clericorum. Immunitas Locorum est exemptio, quam habent Ecclesiæ, seu loca sacra, de qua est nunc agendum.

37 Dico vigesimò: Immunitas Ecclesiarum, & Cœmeteriorum consistit primò in hoc, quod in ipsis fieri non possint Emptiones, aut Venditiones, Nundinæ, Concilia Universitatum, publica Parlamenta, & multò minus fœda, & profana colloquia, nec Judicia sæcularia, præsertim criminalia. *Cap.* 1. & *Cap. Cum Ecclesia. de Immun. Ecclesiar. Cœmeter. & rerum ad eas pertinentium.* & *Cap. Decet Domum. §. Cessent in locis illis. eodem tit. in.* 6. Barbosa *lib.* 2. *Jur. Eccles. cap.* 3. *à n.* 5. *& deinceps.* Pirhing *lib.* 3. *tit.* 49. *sec.* 1. §. 2. *&* 3. Vallensis *lib.* 3. *tit.* 49. *n.* 3. Præterea videatur Bulla Pii V. quæ incipit. *Cum Primum. Kalen. Aprilis* 1566. in qua statuuntur pœnæ contra illicita in Ecclesiis facientes, & explicantur, quæ sint illicita; quam Bullam refert Barbosa *loco cit. n.* 36.

38 Di-

Digitized by Google

38 Dico vigesimoprimò: Immunitas Ecclesiarum consistit secundò in hoc, quod non possint servire ad hospites recipiendos, & nec Domus ipsarum Ecclesiarum, nec illæ, quas Clerici habitant, nisi vel antequam essent sub dominio Ecclesiæ, fuerint subjectæ ad recipiendos hospites, vel repentinus adventus Principis id exigat. *dicto Cap. 1. de Immun. Ecclesiar. &c.* Vallensis *dicto n. 3.*

39 Dico vigesimosecundò: Immunitas Ecclesiarum consistit tertiò in hoc, quod in illis non possint servari supellectilia Privatorum, nisi propter hostiles incursus, aut aliam urgentem necessitatem, qua cessante, debent statim ad sua loca reportari. *Cap. Relinqui. de Custod. Euchar. Chrism. & alior. Sacrament.* Barbosa *loco cit. n.* 25. Vallensis *eodem numero 3.*

40 Dico vigesimotertiò: Consistit quartò in hoc, quod non possint Ecclesiæ incastellari, seu non possint fieri in ipsis propugnacula tempore belli, nisi maxima urgeat necessitas, & cum licentia Summi Pontificis; nec possint Ecclesiæ in servitutem Laicorum redigi. *Can. Sanctorum. 10. q. 1.* & Doctores communiter. *in Cap. Cum Ecclesia. de Immun. Eccles. &c.* Barbosa *n. 26.* Vallensis autem *dicto n. 3.* ait, quod urgente necessitate, possit Episcopus permittere Ecclesiam incastellari, dummodo cessante necessitate, cesset Incastellatio.

41 Dico vigesimoquartò. Omnis violentia facta Ecclesiæ sive per incendium, sive per destructionem alicujus partis ejus v. g. infringendo januas illius, vel spoliando eam suis bonis &c. est sacrilegium, & sub pœna Excommunicationis prohibita. *Cap. Super eo. & Cap. In literis. de Raptorib. & Incendiariis, & Violatorib. Eccles.* Barbosa *n.* 34. Pirhing *dicto lib. 3. tit. 49. sec. 1. §. 3. n. 14. vers. Postremò.*

42 Dico vigesimoquintò: Immunitas Ecclesiæ cõsistit

Digitized by Google

etiam in hoc, quod quilibet Reus ad eam confugiens, exceptis aliquibus casibus, non possit ab ea invitus extrahi ad mortem, vel ad pœnam. Atque hæc dicitur Immunitas Asyli, quod interpretatur Templum Misericordiæ. Jam hæc Immunitas non Jure divino naturali, aut positivo, sed Jure Canonico, & Civili inducta est Ecclesiis, & meritò, ne scilicet in minori honore haberentur Ecclesiæ Fidelium, quàm olim Gentilium Aræ, & Statuæ. Videatur Pirhing *lib. 3. tit. 49. sec. 2. §. 1.* Barbosa *lib. 2. Jur. Eccles. cap. 3. n. 37.*

§. SEXTUS.

DE IMMUNITE ASYLI.

43 Dico vigesimosextò: Omnis Ecclesia, sive sit consecrata, sive non, dummodo authoritate, seu licentia tacita, vel expressa Episcopi fuerit erecta, & divino cultui deputata, etiamsi in ea non sint adhuc celebrata divina, aut sit polluta, aut interdicta, gaudet tali Immunitate. *Cap. Ecclesiæ. de Immun. Eccl. &c.* Vallensis *n. 4. ver. hac porrò.* Pirhing cum pluribus aliis *lib. 3. tit. 49. sec. 1. §. 1. n. 2. & 3.* Fagnanus *in lib. 3. Cap. Ecclesiæ. de Immun. Eccles. &c. n. 5. 8. 11. & 13.* Barbosa *lib. 2. Jur. Eccles. cap. 3. à n. 59. usque ad 63.* Pignatelli *to. 5. consult. 91. n. 3. & 35.*

44 Dico vigesimoseptimò: Omnia loca adhærentia Ecclesiæ gaudent eadem Immunitate, nimirum Sacristia, Porticus, Atrium, & Campanile, quia omnia ista constant Ecclesiam, & hìc sumus in favorabilibus, quæ debent ampliari. Unde non valet dicere, quod non polluatur Ecclesia si supra tectum illius, aut in aliquo ex dictis locis, fiat effusio sanguinis; ergo neque in talibus locis haberur Immunitas Asyli: nam violatio est odiosa, &

ideo

ideo restringenda. Ita *ex Can. Si quis contumax.* 17. q. 4. Pirhing *dicto* §. 1. *n.* 3. Fagnanus ibidem *n.* 15. Barbosa *n.* 64. 65. & 66. ubi etiam scalas Ecclesiæ gaudere, refert decisum à Sacra Congregatione.

245 Dico vigesimo octavò; Ex antiquis Canonibus extendebatur Immunitas Ecclesiarum per 40. passus, si fuerint Cathedrales, & per 30. si non Cathedrales, seu ut dicuntur, Minores. *Can. Sicut.* & *Can. Definivit.* 17. q. 4. Ex consuetudine docent quamplurimi Doctores non servari talem Immunitatem; citantur hi Doctores ab eruditissimo Viro æquè, ac integerrimo U. J. D. olim Magnæ Regiæ Curiæ Judice in hoc Siciliæ Regno Francisco Gastone *in sua Dissertatione Canonica de Spatio Asyli Ecclesiæ edita Panormi 1699. art. 2. n. 29.* Fagnanus autem *loco sit. n.* 20. ait, Sacram Congregationem Innocentii decidisse, quod in Cathedralibus Ecclesiis, & Collegiatis debet servari Immunitas passuum.

246 Placet in hac controversia opinio prædicti Doctoris D. Francisci Gastone cum Doctoribus ab ipso relatis *art. 4. n.* 89. nimirum, quod quoties in spatio dictorum passuum habetur Cœmeterium, & Claustrum, vel Domus Clericorum servientium Ecclesiæ, toties in eo habetur Immunitas, imò si spatium sit muris circumdatum, ita ut videatur esse adjacens Ecclesiæ, tanquam atrium illius, etiamsi fuerit majus passibus assignatis, adhuc gaudet Immunitate. Si verò Ecclesia non habet septa juxta ipsam, intra quæ sit illud spatium, sed vel juxta eam fuerit Domus Laicorum, vel spatium vacuum nullis muris circumdatum, non gaudet Immunitate passuum. Sit exemplum in nostra Cathedrali Panormitana, quæ spatium habet amplissimum à parte qua respicit viam Toletanam, vulgò (Cassero) in toto tali spatio habetur Immunitas Asyli; quia non solùm in eo habetur Cœmeterium, sed est muris circumdatum, & Statuis ornatum,

& ideo verè adjacens Ecclesiæ, & Atrium illius. A parte verò, quà respicit Palatium Archiepiscopale solùm illi spatio illo à gradibus, quibus ascenditur ad Januam majorem, quod spatium est etiam Cœmeterium, habetur Immunitas, non verò in via, quà itur ad Papyretum, vel quæ est inter ipsam Matricem, & Monasterium; quod dicitur Novum.

47 Talis sententia probatur tum ex consuetudine, vel generali, vel locali, tum ex Bulla Gregorii XIV. qui Immunitatem restringit ad loca sacra, aut religiosa, qualia non sunt spatia vacua juxta Ecclesias, tum etiam ex rectâ intelligentia Sacrorum Canonum antiquorum, tum denique ex inconvenientibus, quæ sequuntur, si in spatio vacuo, quod est juxta Ecclesias, haberetur Immunitas per 40. aut 30. passus; sic enim tota Civitas esset Asylum, & nullus Reus capi posset. Videatur dictus Gastone *in præcitata dissertatione.*

48 Dico vigesimonono: Ecclesiâ destructa sine Superioris authoritate, dummodo sit spes reparationis, retinet Privilegium Immunitatis, quia adhuc est locus sacer. Ita Pirhing *lib. 3. tit. 49. sec. 1. §. 1. n. 3. vers. Imò.* Fagnanus *in dictum Cap. Ecclesiâ de Immun. Eccles.* Ov. *n.* 14. cum aliis citatis ab ipsis.

49 Dico trigesimò: Gaudent hoc Privilegio præter Ecclesias etiam loca sacra, vel religiosa, nimirum Cœmeteria. *Cap. finali. de Immun. Eccles.* & Oratoria authoritate Episcopi ad divinum cultum dicata, seu publica; de quibus infra. Item Hospitalia authoritate Episcopi erecta. *Cap. Ad hæc. de Relig. Domib.* & Domus Religiosorum cum toto ambitu Claustri, & Viridariorum, seu hortus eorundem circumdatus muris, & præcipuè si habeat aditum per ipsum Monasterium, vel Sacristiam. Pignatelli *to. 9. cons. 30. n. 1.* necnon Palatium Episcopale, etiamsi sit sejunctum ab Ecclesia, & distans pluspiam 40. passibus;

hus; ac præterea Palatium Cardinalium extra Romam, nam Romæ, ut testatur Fagnanus *n.* 34. non servatur.

50 Hæc omnia possunt videri apud Pirhing *loco cit. n.* 4. & Barbosam *n.* 68. 70. 71. & 72. & ipsum Fagnanum *à n.* 22. *usque ad* 35. ubi ait, quod Domus inferioris Prælati habentis Jurisdictionem quasi Episcopalem, ut est Archimandrita Messanensis, gaudeat etiam Immunitate, dummodo non habeatur consuetudo in contrarium. Similiter Domus Parochi, etiamsi non sit contigua Ecclesiæ, gaudet Immunitate, & decisum esse refert Pignatelli *to.* 1. *consul.* 364.

51 Denique Sacerdos portans Sanctissimam Eucharistiam gaudet Immunitate Asyli; ita ut qui eum, aut hastam Baldachini tangeret, non posset capi à Ministris. Ita Barbosa cum pluribus Doctoribus *n.* 69. Addit Diana *p.* 1. *tract.* 1. *resol.* 18. quod etiamsi non tangeret Sacerdotem, sed se immiscerent cum illis, qui Sacramentum associant, non posset capi.

§. SEPTIMUS.

QUI GAUDEANT IMMUNITATE ASYLI?

52 Die vigesimo primo Nullus Reus confugiens ad Ecclesiam, vel loca sacra, aut religiosa prædicta, potest invitus extrahi, nisi in casibus in Jure expressis. Hæc est conclusio certa apud Doctores, ut ait Pirhing *libr.* 5. *tit.* 49. *sect.* 2. §. 11. *n.* 18. & statuitur à Gregorio XIV. in Bulla, de qua mox; ut, qui extra eos casus ausus fuerit extrahere Reum ab Ecclesia, aut in ea illum ligare, non possit, nisi à Summo Pontifice absolvi ab excommunicatione. Videatur Pignatelli *to.* 1. *consul.* 127. *in edit. Coloniæ Allobrogum.* & *to.* 2. *consult.* 37. *à n.* 28. *usque in finem.* & *to.* 6. *consult.* 41. *n.* 1. *consult.*

confirm. 1. 21. à num. 15. usque in finem. & Fagnanus *in Cap. Cum propositum de Sententia excom. à n. 15. usque in finem.*

Exprimuntur ii in Sacris Canonibus, tum in dicta Bulla Gregorii XIV. incipiente. *Cum alias nonnulli. de Immun. Eccles. sub die 24. Maii* 1591. casus, in quibus extrahi potest Reus invitus ex Ecclesia, ideo de his casibus in sequentibus conclusionibus.

53 Dico igitur primo secundò. Publicus latro, & nocturnus depopulator agrorum, non gaudent Immunitate Asyli. *Cap. Inter alia. de Immun. Eccles. &c.* & Gregorius XIV. *in dicta Bulla.* Pirhing *laco citato n. 19.* cum aliis. Fagnanus *in Cap. Inter alia. de Immun. Eccles. n. 22. &* 27.

54 Dico tertio conclusio. Qui homicidium, vel mutilationem membrorum in ipsa Ecclesia, vel Coemeterio committit, non gaudet Immunitate. *Cap. Immunitatem de Immun. Eccles.* & dictus Gregorius XIV. *in sua Constitutione.*

55 Controvertitur hic à Doctoribus, an etiam committentes alia delicta, nimirum adulteria, stupra, furta in ipsa Ecclesia, gaudeant Immunitate; & plurimi docent non gaudere propter identitatem rationis assignatæ *in Decretali citata. Immunitatem.* nimirum *in eo, in quo delinquio, puniri debet.* & ideo qui in Ecclesia contra reverentiam debitam Ecclesiæ delinquit, puniri debet in hoc, quod Ecclesiæ immunitate non gaudeat; non enim debet quis gaudere privilegio, quo fecit se indignum, ut etiam dicitur *in citata Decretali.* Videantur Doctores, & rationes pro hac opinione apud Pirhing *citato n. 21. &* alios citatos. Barbosam *n. 105.* & Fagnanum *in dictum Cap. Immunitatem a n. & usque ad 27. de Immun. Eccles. &c.*

56 Verum mihi placet sententia ipsius Fagnani *n. 28.* quod scilicet hodie ex vi Constitutionis Gregorianæ omnes quæstiones sunt sublatæ, cum statuatur, quod nunquam

quam possint extrahi Rei ab Ecclesiis, vel locis sacris, ac Religiosis, nisi in casibus in tali Constitutione exceptis; ergo cum solum homicidium, vel mutilatio, si patrentur in Ecclesia, excipiantur, restat quod non gaudeant Immunitate, qui homicidium, vel mutilationem in Ecclesia committunt; reliqui autem committentes in Ecclesia alia crimina, gaudent. Legatur ipse Fagnanus *dicto n. 28. usque in finem.*

57 Quæres hic: an qui in Ecclesia existens occidit aliquem extra Ecclesiam, vel extra Ecclesiam existens occidit eum, qui est in Ecclesia, gaudeat Immunitate. Respond. in neutro ex casibus prædictis juvat Immunitas Ecclesiæ. Ratio in primo casu est, quia in delictis respicitur initium, & qui in Ecclesia occidit existentem extra Ecclesiam, jam Ecclesiam offendit. Atque ita docent Abbas, Azebedus, Gutierrez, Decianus, Megala, Azorius, & alii plures, quos sequitur, & citat Barbosa *dicto lib. 2. Jur. Eccles. cap. 3. n. 111.* qui temperat hanc sententiam, dicendo, quod si quis fugit in Ecclesiam, ut se defenderet à volente ipsum occidere, & in ipso actu defensionis ex Ecclesia occidat eum insequentem, non debet privari Immunitate. Ratio autem in secundo casu est, quia verè homicidium patratur in Ecclesia. Atque ita cum multis docet idem Barbosa *n. 113.* Pirhing *n. 25.* Suarez *tom. 1. de Relig. trac. 2. lib. 3. cap. 11. n. 7. in fine.*

Ratio itaque pro utroque casu est, quia tam de eo, qui in Ecclesia existens occidit existentem extra Ecclesiam, quàm de eo, qui existens extra occidit existentem in Ecclesia, verificatur verè, & propriè, quod committat delictum occisionis in Ecclesia, quia occidens in ea existentem extra, exercet actionem suam, quæ est grave peccatum, in Ecclesia; existens autem extra occidens existentem in Ecclesia, committit delictum in ea,

quan-

quamvis non sit in ea; sicuti Sol illuminat aulam, quamvis non sit in ea.

58 Nec valet dicere contra primum, quod leges punientes delicta, non extenduntur ad delicta inchoata, ut in materia de censuris est certum. Nam hoc est verum secundùm exigentiam verborum legis, & ideo in casu præsenti non amittit Immunitatem, nisi qui defactò occidit, vel mutilat in Ecclesia, non autem qui solùm tentat occisionem, vel mutilationem. Cum autem dex dicat: *Non gaudeant Immunitate, qui occidunt in Ecclesia*, sequitur, quod ille, de quo verificatur, quod occiderit in Ecclesia, non gaudeat. Et quia, ut ostensum est, jam id verificatur in casu nostro, ideo dicendum cum Doctoribus, quos affert Barbosa, & cum ipso Suarez *loco citato n.* 7. quod iste talis non gaudeat. Imò addit ipse Suarez, quod etiam qui existens in Ecclesia mandat famulo, ut occidat aliquem extra Ecclesiam, amittat Immunitatem.

59 Non reticeam, Bonacinam, quem citat, & sequitur Diana *p. 1. tract. 1. resol. 9.* defendere, quod occidens ex Ecclesia existentem extra, non debeat privari Immunitate, quia actus completus occisionis non est in Ecclesia.

60 Sed hæc ratio me non convincit; nam ad hoc ut amittat quis Immunitatem ex verbis legis, nihil aliud requiritur, nisi ut defacto occidat in Ecclesia, neque *ly actus completus* aliud importat, nisi quod occisio defacto sequatur; sed qui ex Ecclesia hominem existentem extra Sclopeti ictu defacto occidit, verè in Ecclesia defacto occidit; ergo &c. Probo minorem; occidere nihil aliud est, nisi ponere actionem occisivam; sed ille defacto ponit actionem occisivam in Ecclesia; ergo occidit defacto in Ecclesia.

61 Quæres secundò: An occidens, vel mutilans in

Por-

Porticu, vel Atrio Ecclesiæ, & cæteris, amittat Immunitatem? Et an committens homicidium in una Ecclesia, si confugiat ad aliam gaudeat Immunitate? Et an occidens prope Ecclesiam animo confugiendi ad eam, gaudeat etiam Immunitate?

62 Respond. ad primum: non amittere Immunitatem, nisi ibi fuerit Cœmeterium. Ratio est quia quanvis in illis locis habeatur Immunitas, quia in favorabilibus extenditur nomen *Ecclesia* ad ea loca, tamen dicta loca non veniunt sub nomine Ecclesiæ in odiosis, in quibus nomen Ecclesiæ restringi debet ad ipsammet Ecclesiam tantùm. Atque ita cum aliis Pirhing *n.* 27. & Barbosa *dicto lib.* 2. *Jur. Eccles. cap.* 3. *n.* 127. Dixi, *nisi fuerit Cœmeterium*; quia Gregorius XIV. statuit non gaudere Immunitate eos, qui in ipsis Ecclesiis, earunque Cœmeteriis homicidia, & mutilationes membrorum committere non verentur. Hinc cum lex distinctè loquatur de Ecclesia, & Cœmeterio, virtualiter ponit exclusivum, ut tantùm de illis loqui intelligatur, dum vult coarctare Immunitatem Ecclesiasticam.

63 Respond. ad secundum: non gaudere, quia offendens unam Ecclesiam, omnes offendit, cum una sit Ecclesia, unum Baptisma, & uno eodenque Spiritu regatur. Ita cum pluribus Barbosa *citatus n.* 110.

64 Respond. ad tertium: quod quanvis multi apud Fagnanum *in Cap. Immunitatem. n.* 24. *de Imm. Eccl. &c.* doceant talem non gaudere, tamen hodie dicendum cum eodem Fagnano, & aliis. *n.* 28. quod gaudeat. Non enim committit homicidium in ipsa Ecclesia, quod est crimen exceptum à Gregorio XIV. Id ipsum docet Suarez cum aliis supra citatus *n.* 9.

65 Dico trigesimoquartò: Qui proditoriè proximum occidit, non gaudet Immunitate Ecclesiæ. *Cap.* 1. *de Homicid.* & Gregorius XIV. *in sua Constitut.* Occidere autem

Digitized by Google

proditorie est in universum, quoties quis alium non præcaventem occidit, quia nimirum inter occisum, & occidentem nullus præcedebat fœdus, & potius simulabatur amicitia dum eodem in itinere erant, aut simul comederant, &c. Ita cum multis idem Barbosa *dicto lib. 2. Jur. Eccles. cap. 3. n. 91. & 92.* *Numero autem 93.* addit quod quoties Pater, vel Frater, aut Amicus vulnerat à tergo alium rixantem cum Filio, Fratre, vel Amico, non dicitur proditorie vulnerare, quia non ex proposito, & consultò, sed casu, & animo coadjuvandi Consanguineum, vel Amicum, id facit. *N. verò 94.* cum multis Doctoribus defendit, quod qui veneno alium occidit, proditorie, & infidiosè occidit, ideoque non gaudet Immunitate; sicuti nec si Filius occidat Patrem extra rixam, aut Socius in itinere Socium assumptum. Ita *n. 95. & 96.* Videri potest Pater Suarez *dicto to. 1. de Relig. trac. 2. lib. 3. cap. 11. n. 10. pagina 313.* & Pignatelli *to. 9. consult. 18. n. 13.* ubi plures citat.

66 Dico trigesimoquinto: Assassini non gaudent Immunitate Ecclesiæ. Gregorius XIV. *in dicta Constitut.* Sunt autem Assassini, qui pecuniâ conducti incautum occidunt; & comprehenduntur tum mandantes, tum mandatarii occidentes. Pirhing *supra cit. n. 28. ver. Secundum crimen.* Barbosa cum multis aliis *n. 97.* ubi notat, quod qui accepit pecuniam pro aliquo stigiando, vel verberando sine animo occidendi, non est Assassinus, ideoque gaudet Immunitate.

67 Dico trigesimosextò: Hæretici ob crimen hæresis, non gaudent Immunitate. Gregorius XIV. *in dicta Constit.* Ratio est, quia cum peccent contra Ecclesiam, non merentur ab Ecclesia defendi. Pirhing *dicto n. 28. ver. Tertium crimen.* & §. 2. *n. 40.* ubi ait, quod ob alia crimina non excepta, gaudeant. Item Fagnanus *in Cap. Inter alia. de Imm. Eccles. n. 32.*

68 Di-

68 Dico trigesimoseptimò: Rei læsæ Majestatis in personam ipsius met Principis, non gaudent Immunitate. Idem Gregorius XIV.

69 Dico trigesimo octavò: Fures, Blasphemi, Sacrilegi, Excommunicati, Banniti, Condemnati ad mortem fugientes è carcere, vel à manibus Ministrorum, dum ducuntur ad supplicium, & qui fuerunt detenti, & jurarunt se redituros, qui deliberato animo, & non casu aliū occiderunt, dummodo non proditoriè, & similes, qui non commiserunt crimen ex exceptis à Gregorio XIV. si confugiunt ad Ecclesias, vel Cœmeteria, &c. gaudent Immunitate. Ita Fagnanus *in Cap. Inter alia, de Immun. Eccles. &c. à n. 39. usque ad 56.* Pirhing *n.* 30. cum aliis citatis ab ipsis.

70 Dico trigesimononò: Servi ob delictum puniendum à Judice, gaudent Immunitate si ad Ecclesiam confugiunt. Ob delictum autem puniendum à Domino, possunt extrahi ab Ecclesia cum præmissa impunitate à Domino. Pirhing cum aliis. §. 2. *n.* 31.

71 Dico quadragesimò: Pagani, seu Infideles, & Judæi, quanvis per multos Doctores non gaudeant Immunitate Asyli fugientes ad Ecclesiam, nisi velint verè effici Christiani; tamen longè probabilius est, quod absolutè gaudeant Immunitate, ita ut ob delictum non possint inviti extrahi, quia privilegium est concessum ipsi Ecclesiæ, non personis; ergo non debet haberi ratio de personis, sed solùm de loco ipso sacro. Ita Fagnanus ex pluribus Juribus, & Doctoribus loco citato *à n. 59. usque ad 65.* & Diana *p. 1. trac. 1. Resol. 22.* cum pluribus aliis.

72 Nota primò: quod quoties quis est in Ecclesia, & commisit casum non exceptum, non solùm non potest extrahi ex Ecclesia à Judice laico, sed nec ab Episcopo, nec à Legato Apostolico. Atque ita decisum refert Piguatelli *to. 2. consult. 37. n. 34. & 37.* In casibus autem ex-

exceptis extrahitur de licentia Episcopi, vel ejus Officialis, cum interventu Personæ Ecclesiasticæ. Ita ex variis rationibus, & Juribus Fagnanus *in dictum Cap. Inter alia. à n. 65. usque ad 70. de Immun. Eccles. &c.* & *à n. 97. usque ad 100. inclusive.* in quo Bullam Gregorii XIV. refert. Hinc si sine licentia Episcopi, & interventu Personæ Ecclesiasticæ extraheretur Reus ab Ecclesia, qui cõmisit casum exceptum, deberet restitui Ecclesiæ. Ita decisum refert Pignatelli *to. 9. consult. 30. n. 4.* quoties autem habetur Minister Ecclesiasticus, possunt, imò tenentur Regulares, & omnes alii Ecclesiastici sine ullo periculo irregularitatis, aut censuræ, tradere eum, qui commisit casum exceptum, Curiæ sæculari requirenti talem Reum. Ita in Bulla Gregorii XIV. §. 3. & 4.

73 Nota secundò: Quod Rei extracti ab Ecclesia de licentia Episcopi modo dicto, dum discutitur Articulus, ex §. 5. ejusdem Bullæ Gregorianæ, debent custodiri in carcere Curiæ ecclesiasticæ; extat etiam decretum Sacræ Congregationis Immunitatis, quod refert idem Pignatelli *to. 2. Consult. 37. n. 28.* unde ut detineantur in carceribus laicis nomine Ecclesiæ, requiritur licentia Sacræ Congregationis Immunitatis ex ejusdem decreto relato ab eodem Pignatelli *n. 41.* Nec potest tradi Curiæ sæculari, nisi priùs per Episcopum, vel alium ab eo deputatum, cognita fuerit causa, qua cognita, si semel decidatur, quod Immunitate non gaudeant, consignari debent Curiæ sæculari, quacunque appellatione postposita. Ita *ex eadem Constit.* Gregorii XIV. Fagnanus *à dicto n. 97. usque ad 100.* & Barbosa supra citatus *à n. 154. usque ad 159.* ubi, quod Judex Ecclesiasticus debeat cognoscere de causa Immunitatis, ostendit. Hinc, ut extrahatur de licentia Episcopi Reus, qui commisit casum exceptum ad finem custodiendi eum in carcere, non requiritur probatio judicialis delicti, sed sufficit notitia extra-

Digitized by Google

extrajudicialis, vel quæ resultat ex processu Judicis laici; at verò ad consignandum ipsum Reum Curiæ sæcularì requiritur plena probatio facta in Curia Episcopali. Ita ex variis declarationibus Sacræ Congregationis Immunitatis. Pignatelli *to.* 2. *dicta consult.* 37. *n.* 12.

74 Nota terriò: Quod qui dolo extractus fuit ab Ecclesia, nimirum blandis, & subdolis verbis, debet restitui eidem Ecclesiæ in quam confugerat; atque ita decisum refert Pignatelli *to.* 2. *dicta Consult.* 37. *n.* 38.

75 Dico quadragesimoprimò: Clerici, & Religiosi, in casibus, in quibus gaudent Laici Immunitate Ecclesiæ, gaudent etiam eadem; ita ut per Judicem eorum Ecclesiasticum extrahi non possint ex Ecclesia. Hæc assertio variis rationibus, & Juribus firmatur à Fagnano *à n.* 80. & argumentis oppositæ sententiæ respondet *à n.* 84. Eandem defendit Pirhing *dicto lib.* 3. *tit.* 49. *sec.* 2. §. 2. *à n.* 35. *usque ad* 38. & reponsiones ad contraria argumenta affert *n.* 36. *&* 37. Eidem sententiæ tanquam probabiliori adhæret Barbosa *dicto lib.* 2. *Jur. Eccles. cap.* 3. *n.* 137. & soluit oppositas rationes *à n.* 146. *usque ad* 153. Eandemque defendunt Diana *p.* 1. *trac.* 1. *resol.* 24. *&* 25. Romanus *Consilio* 227. *per totum &* 234. Joannes de Vischis. *de Immun. n.* 3. Remigius de Gonni. *de Immun. Eccles. fallentia* 21. & alii multi gravissimi Doctores relati à Barbosa, & à Diana, qui apud ipsos videri possunt. Item à Sacra Congregatione Episcoporum, & Regulari approbata fuit talis sententia, ut refert Pignatelli *to.* 6. *consult.* 4. *n.* 101. eanque fusè defendit idem Pignatelli *to.* 9. *consul.* 2. *à n.* 15.

76 Ratio autem potissima pro tali sententia est, quia secus Clerici essent deterioris conditionis, quàm Laici. Præterea cum Immunitas sit loco sacro concessa, suffragari debet cuicunque intra illam existenti, dummodo non sit propter atrocitatem criminis ea Immunitate privatus

à Sum-

à Summo Pontifice. Rursus Ecclesia potiori Jure debet tueri suos Ministros, quàm Laicos, nec Clericus per assumptum Clericatum debet amittere quod sibi ut Laico competebat.

77 Dices cum Authoribus contrariæ sententiæ, qui sunt non pauci, & citantur à Barbosa *n.* 135. Clerici, & Religiosi semper sunt in Ecclesia, ideoque ferè delinquunt in ipsa; ergo fere nunquam possent puniri; sed de facto Religiosi puniuntur, & incarcerantur à suis Prælatis; ergo non gaudent Immunitate. Item Constitutio Gregoriana *de Immun. Eccl.* solùm facit mentionem de Laicis confugientibus ad Ecclesias; ergo Laicis tantùm concedit Immunitatem.

Respondeo quod sicuti Laici si committant homicidia, vel mutilationes in Ecclesia, non gaudent Immunitate, & ea gaudent patrantes alia delicta; ita etiam Clerici, & Religiosi, qui non debent esse pejoris conditionis. Bene autem puniri possunt à Prælato Regulari per incarcerationem intra Claustra, cum sic non extrahantur ab Ecclesia, ideoque non violatur Jus Ecclesiæ consistens in hoc, quod Reus ad eam confugiens, ab ipsa non extrahatur. Quod si de uno Monasterio in aliud arctius asportentur Religiosi delinquentes, adhuc non violatur Immunitas, quia de loco immuni ad aliud immune mittuntur. Nec minuitur Immunitas Ecclesiastica per hoc, quod etiam Clerici sæculares ex Ecclesia, in quam confugerunt, incarcerentur ab Episcopo in Monasterio, vel intra septa alterius loci sacri; sic enim Reus non extrahitur ex Ecclesia, sed in Ecclesia manet continuè. Ita ex Vitalino *in Clement. 1. n. 71. de Pœniten. & Remission.* Fagnanus citatus *n.* 92. & 93.

Ad id, quod addebant Adversarii de Constitutione Gregoriana, dico, quod, ut patet ex ipso Proœmio fuit Constitutio illa edita contra Principes sæculares, qui ra-

ratione Privilegiorum, quibus abutebantur, extrahebant Laicos subditos ex Ecclesiis, & ideo de Laicis, non verò de Clericis, in quos nullam exercebant Jurisdictionem Principes, fecit mentionem Constitutio. At ex hoc non sequitur, quod Clerici non gaudeant in illis casibus, in quibus Laici gaudent.

78 Dico tandem: Si Reus vivus poterat gaudere Immunitate, debet & mortuus illâ gaudere; unde non potest Judex extrahere Cadaver Rei morientis in Ecclesia, ut illud puniat suspendendo, vel alio modo. Ratio est, quia Immunitas est concessa Ecclesiæ ratione reverentiæ debitæ ipsi; cum ergo illud Cadaver sit in Ecclesia, extrahi non potest ad punitionem à Judice recipiendam.

79 Addo quod etiamsi Reus vivus gaudere non poterat Immunitate, tamen mortuus debet illâ gaudere, quia morte illius jam est extinctum delictum, & qualitas ex eo resultans; unde quanvis verificetur Reum fuisse publicum latronem, tamen tempore, quo ejus Cadaver est in Ecclesia, non est amplius latro; atque adeo debet is gaudere, etiamsi vivus non poterat gaudere. Ita ex Variis Vargas *decis. 1. à n. 89. usque ad 94. inclusivè.*

80 Præterea ex eodem Vargas, gaudet Immunitate Cadaver puniti, quod sublatum è furca Amici, vel Parentes in Ecclesiam asportaverint, itaut non possit amplius Judex illud Cadaver extrahere, & suspendere. Hanc sententiam firmat multis rationibus prædictus Doctor, & soluit argumenta contraria per totam decisionem primam citatam. Unam affero, quam *à n. 153.* promovet, nimirum si vivi Rei ab aliis in Ecclesiam adducti etiam è manibus Lictorum, gaudent Immunitate, multò magis mortui, quia vivi adducuntur criminosi, mortui autem non sunt amplius criminosi. Præterea non potest

fieri

fieri injuria vivis in Ecclesia existentibus sine violatione Immunitatis Ecclesiæ; ergo neque mortuis; & fieret maxima injuria Cadaveri si ex Ecclesia extraheretur, cum sic privaretur sepultura debita. Quod autem negatio sepulturæ sit ignominia, manifestum est. Qui plura desiderat, legat prædictum Doctorem Vargas.

81 Plures decisiones in casibus particularibus de jis, qui gaudent, vel non gaudent Immunitate Asyli, refert Pignatelli *to. 6. consult. 4. à n. 75. usque in finem.* & secundùm eas dicendum est, quod qui ligati catenis, & ferris, aut cum armis prohibitis, aut dum ducuntur ad supplicium, confugiunt ad Ecclesiam, gaudent Immunitate. Item innixi stipiti portæ Ecclesiæ, vel adhærentes muro Ecclesiæ, vel evadentes è manibus Birruariorum, & adhærentes valuis Ecclesiæ, vel qui in actu carcerationis cohærebant unico pede valuis Ecclesiæ, & unica manu, vel tenentes anulum valuarum Ecclesiæ, vel in januis Conventus, seu Monasterii à Birruariis capti sunt, gaudent Immunitate.

82 Item gaudent, qui capti sunt in platea Cathedralis Ecclesiæ; & qui sequuntur manu tenentes fimbriam vestis Sacerdotis redeuntis ad Ecclesiam cum SS. Sacramento Eucharistiæ, vel associantes processionem ejusdem Venerabilis Sacramenti, ut supra diximus.

83 Item gaudent condemnati ad mortem effringentes carcerem, non autem compedes, si confugiant ad Ecclesiam. Damnati ad triremes aufugientes è carcere ad Ecclesiam. Qui os, vel vultum cuipiam vulnerant in Ecclesia, aut attentant mutilare, vel occidere in Ecclesia, non secuto effectu; & Religiosi, & Clerici confugientes ad Ecclesiam post patrata delicta extra casus Bullæ Gregorianæ, ut etiam diximus.

84 E contra non gaudet Immunitate confugiens ad Ec-

Digitized by Google

Ecclesiam ligatus cum Birretario; nec Mater occidens filium infantem; nec quæ malis artibus, & medicamentis procurat abortum.

85 Non privatur Immunitate qui semel, aut bis aliquem spoliavit, vel sæpius in viis privatis occultè, vel in locis sacris, dummodo non publicè furari consueverit. Nec privantur Immunitate Monetarii; quamvis soleat Summus Pontifex dispensare, ut extrahantur ab Ecclesia, & detineantur in Carceribus Episcopalibus. Hos, & alios casus particulares cum decisione Sacræ Congregationis legere quisque poterit apud prædictum Pignatelli.

86 Item idem Pignatelli *to. 2. consult.* 38. movet quæstionem: an ille qui in subita rixa in Ecclesia occidit, vel mutilat, debeat privari Immunitate? & relatis hinc inde Authoribus, & rationibus defendit, afferens etiam declarationes Sacræ Congregationis Immunitatis, quod si occisio, vel mutilatio fuerit ex subita iracundia, & casu aliquo, in quo absorbetur judicium rationis, ita ut tollatur voluntarium liberum, non debet occidens, vel mutilans privari Immunitate.

CAPUT SEXTUM.

DE REBUS SANCTIS.

§. UNICUS.

DE RELIQUIIS, SANCTIS, ET FESTIS.

POstquam de Ecclesiis sermonem fecimus, de Sanctorum Reliquiis, quæ in Ecclesiis servantur, & de celebratione Festorum, est agendum.

1 Dico primò: Sunt in Ecclesiis servandæ Reliquiæ

Digitized by Google

Sanctorum, cum nullum Altare erigi possit, in quo non sit aliquid Reliquiarum alicujus Sancti repositum. *Can. Placuit. 26. de Consecr. dist. 1.* Nomine Altaris, in quo debent esse Reliquiæ, venit Altare lapideum fixum, vel illud, quod dicimus Altariolum. Nomine autem Reliquiarum venit quælibet pars corporis alicujus Sancti.

2 Dico secundò: Reliquiæ Sanctorum antiquæ, quales sunt non solùm ossa, carnes, dentes, cineres, pulveres, sed etiam vestes, vela, & panni, quæ Sanctos tetigerint juxta Azorium *p. 1. Instit. Moral. cap. 8. n. 9.* & Vallensem *lib. 3. tit. 45. n. 1. ver. Nomine*. non possunt vendi, nec exponi extra Capsam. *Cap. Cum ex eo. de Reliq. & Venerat. Sanct.* Reliquiæ autem de novo inuentæ non possunt ad publicam venerationem exponi, nisi de licentia Summi Pontificis. *eodem Cap. Cum ex eo. de Reliq. & Venerat. Sanct.* Verùm nunc Reliquiæ alicujus Sancti jam canonizati, quæ de novo inveniuntur, recipi possunt, & coli, approbante, & recognoscente Episcopo cum consilio Theologorum, & piorum Virorum ex Tridentino *sess. 25. de Invocat. Venerat. & Reliq. Sanctorum*, prope finem.

3 Dico tertiò: Quanvis invocandi sint Sancti, & eorum Reliquiæ, ac Imagines venerandæ, neque hæc est Idololatria, ut est definitum à Tridentino *sess. 25. de Invocat. Venerat. &c.* tamen nullus pro Sancto publicè venerari potest, etiamsi miraculis clarus sit, absque authoritate Summi Pontificis cum in numero Sanctorum ascribentis. *Cap. 1. de Reliq. & Veneratione Sanctorum.*

4 Item nulla Imago insolita exponi potest in Ecclesia, nisi eam approbante Episcopo. Tridentinum *ibidem.* nec cum radiis, aut laureolis potest depingi Imago alicujus Defuncti, nisi fuerit à Sede Apostolica canonizatus, aut beatificatus. Urbanus VIII. *in Constit. quæ incipit. Cælestis Jerusalem. dit. 5. Septemb. 1634.* Nec possunt

Ima-

Imagines Sanctorum pingi, aut vestiri, nisi habitu, & forma consuetis. Idem Urbanus VIII. *in Constit. quæ incipit: Sacrosancta Tridentina Synodus. die 26. Junii 1642.* Denique Reliquiæ Sanctorum jam approbatæ quoties publicæ venerationi exponuntur, debent ante eas ardere, & super Altare saltem duo lumina; aliàs non sunt exponendæ. Sacra Congregatio Rituum. 22. Januari 1701. *In Decretis variis impressis Monteregali. 1707. Jussu Eminentissimi Card. Judice Archiepiscopi. n. 30.*

5. Dico quartò: Sunt in Ecclesia dies ad divinum cultum destinati, qui vocantur dies festi, & solemnes, & numerantur *in Cap. 1. de Feriis. & in Cap. Conquestus. eodem tit.* Verùm quia per Episcopos pluribus in Provinciis, & Civitatibus multi erant dies festi sub præcepto, & Populus laborare non poterat ad vivendum, statuit Urbanus VIII. *in Constit. quæ incipit: Universa. die 22. Decembris 1642.* quod solùm essent de præcepto Dies Dominici totius anni. Itẽ Dies Natalis Domini, Circũcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis cum duobus sequentibus, Ascensionis, Pentecostes cum duobus sequentibus, Sanctissimæ Trinitatis, Solemnitatis Corporis Christi, & Inventionis S. Crucis; nec non festivitatum Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, & Nativitatis Deiparæ Virginis: quibus nunc addita est Festivitas Immaculatæ Conceptionis ex Decreto sub die 6. Decembris 1708. SS. Domini nostri Clementis Papæ XI. quẽ Deus ad plures annos cõservet. Itẽ Dies Dedicationis S. Michaëlis Archangeli, Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, Sanctorum Petri, & Pauli, & reliquorum Apostolorum, S. Stephani Protomartyris, Sanctorum Innocentium, S. Laurentii Martyris, Sancti Silvestri Papæ, Sancti Josephi, & Sanctæ Annæ, Solemnitatis omnium Sanctorum, atque unius Principalis Patroni in quocunque Regno, vel Provincia, ut est in nostro Siciliæ Regno festum

stum Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ, & alterius item principalis Patroni, in quacunque Civitate, Oppido, vel Pago, ut est festum Sanctæ Agatæ hic Panormi, quanvis hic alii habeantur dies festi sub præcepto, ut est festum S. Christinæ die 24. Julii, & S. Rosaliæ Virginis die quarta Septembris, & 15. Julii, vel ex concessione Apostolica, vel ex præcepto Archiepiscopi, qui cum consensu Cleri, & Populi Festos dies indicere potest, *ex Cap. Conquestus. de Feriis.* Nec est adempta talis facultas per Decretum supradictum Urbani VIII. 1642. in quo dicitur: *Ordinarios in Domino monemus, ut de cætera ab indictione sub præcepto novorum festorum studeant abstinere.* Nam per hæc verba solùm commendatur Episcopis, ut non plures, & sine causa statuant dies festivos. Ita Gonzalez Tellez *loco mox citando n. 15. prope medium.* ubi defendit non requiri consensum Cleri, & Populi ad indicendum festum, sed ad recipiendum præceptum.

6 In his itaque Festis, de quibus eruditè agit Gonzalez Tellez in suis notis *ad Cap. Conquestus. de Feriis.* debent Fideles abstinere à Mercatu, Placito, seu Judicio, & à Præstitione juramenti. *Cap. 1. de Feriis.* & ab Operibus servilibus, *Cap. Licet. & Cap. Conquestus eodem tit.* Quænam autem sint hæc opera servilia nelinquo examinanda Theologis. Videri potest Azorius *p. 2. Instit. Moral. lib. 1. cap. 27. per totum.* aut Busembaum *lib. 3. tract. 5. cap. 2. dub. 1.* ubi breviter ea distinguit. Quid autem sit Mercatus, & Placitum, seu Judicium, juvat mox explicare; ideo

7 Dico; Mercatus nomine veniunt Contractus Emptionum, Venditionum, Locationum, Conductionum, & similium publicè solemnitate, & publicè facti. Idem nundinæ, quanvis in variis locis ex consuetudine, & fiant nundinæ diebus festivis ob commoditatem majorem, & varii contractus.

8 Nomine Placiti, venit omnis strepitus judicialis, ideſt Inchoatio cauſæ per Citationem Rei, Proceſſus qui fit per examinationem teſtium, & Terminus ejusdem cauſæ, qui eſt ſententia Judicis. Hæ omnes actiones ſi fiant diebus feſtis, de quibus loquimur, ſunt irritæ. *Cap. ultimo. de Feriis.* Dixi, *de quibus loquimur*, quia in feriis civilibus, quæ inſtitutæ ſunt non ad Dei cultum, ſed ad hominum commoditatem, poteſt ſi partes velint, fieri judicium. *Eodem Cap. ult. de Feriis.* Similiter ex caſus neceſſitatis, aut pietatis adſit, poſſunt etiam in diebus feſtis inſtitui judicia, ut dicemus *in 3. libro.*

9 Juramenta, quæ prohibentur diebus feſtis, ſunt quæ fiunt in judiciis. Unde extra judicialia non prohibentur, ſicut nec actus extra judiciales, ut eſt informare Judicem de cauſa, aut ſi quis ut amicabilis compoſitor ſententiam ferat. Videatur Layman *lib. 4. trac. 7. cap. 2. n. 8. uſque in finem*, aut Tamburinus *in Decal. lib. 4. cap. 4. §. 1. per totum.*

CAPUT SEPTIMUM.

DE REBUS RELIGIOSIS.

POſtquam de Rebus Sacris, & Sanctis, quales ſunt, ut ait Lancellottus *lib. 2. Inſtit. Jur. Canon. tit. 13.* Eccleſiæ, Altaria, Sanctorum Reliquiæ, Vaſa, Veſtes, & ſimilia ad divinum cultum principaliter comparata ad Res Religioſas venimus, quales ſunt, ut ait idem Lancellottus, Domus Religioſæ, Xenodochia, Cœmeteria, & Sepulturæ. Religioſæ autem Domus propriè ſunt Monaſteria, & Cappellæ Monachorum, hinc Confraternitates, & alia loca pia. Unde quamvis omnes Eccleſiæ ſint Religioſæ Domus, tamen non omnes Domus Religioſæ ſunt Sacræ, ut adverſus Rebuffum *tit. de Sacr. Eccl. n. 1.*

Q. 1. Juvat igitur prius agere de Oratoriis, & Cappellis, deinde de Hospitalibus &c.

§. PRIMUS.

DE ORATORIIS, ET CAPPELLIS.

1 Dico primò: Oratorium quandoque sumitur pro ipsa Ecclesia, quoties est publicum, ut dicemus, sed propriè non est Ecclesia, sed locus aptus ad preces Deo offerendas, quem quisque in domo sua habere potest. *Can. Unicuique. de Consecr. distinc.* 1. Hoc autem dicitur Oratorium privatum, quod quo ad effectum furti, & copulæ, nomine Ecclesiæ, aut loci Sacri non venit; ideoque non mutat speciem peccati, seu non facit, ut illud furtum, & copula sint sacrilegia, si in eo patreatur. Ita Barbosa *lib.* 2. *Jur. Eccles. cap.* 8. *n.* 16. Et ratio est, quia non est locus Deo dicatus, ita ut non possit converti ad usum profanum, nam quod hodie est Oratorium, cras potest fieri Camera. In hoc Oratorio privato non potest celebrari Missa. *dicto Can. Unicuique.* Nec haberi potest pro Ecclesia, ideoque non debet consecrari, nec in eo haberi possunt Campanæ. *Cap. Petentib. de Privileg.*

2 Quod si quis obtineat à Summo Pontifice Privilegium, ut in ejus privato Oratorio celebretur Missa, debent servari omnia, quæ in concessione exprimuntur. Dixi à *Summo Pontifice*, quia Episcopus hanc licentiam concedere non potest ex Decreto Pauli V. quod refert Fagnanus *in Cap. Authoritate. de Censib. n.* 18. Quod ipsum probat *n.* 17. ex Decreto Concilii Tridentini *sess.* 22. *in Decreto. de Observandis, & evitandis. in Celebr. Miss.* ubi dicitur Episcopis: *Nove patiantur privatis in domibus, & omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantùm cul-*

cultum dicata Oratoria ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda, Sanctum hoc Sacrificium à quibuscumque Sæcularibus, aut Regularibus peragi.

3 Quænam autem conditiones solent apponi in concessione Privilegii de celebranda Missa in Oratoriis privatis, referuntur ab eodem Fagnano *n.* 2. ut illorum Oratorium sit in loco decenti, & clauso: ut approbetur ab Episcopo, ut in die Paschatis is, cui conceditur Privilegium teneatur adire Parochialem Ecclesiam: ut is, cui conceditur sit vir, vel fœmina nobilis: ut audita Missæ ibi fiat sine præjudicio jurium Parochialium: ut ibi non satisfaciant præcepto de audiendo Missam, nisi qui servitio Domini, cui concessum est Privilegium, sunt necessarii.

4 Solent etiam aliquando excipi non solùm dies Paschatis, sed etiam Pentecostes, Natalis Domini, & solemniorum festorum, nimirum Annunciationis, & Assumptionis Beatæ Virginis, & Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, & festi omnium Sanctorum, in quibus teneatur habens Privilegium adire Ecclesiam. Videatur Thomas Tamburinus *de Sacrif. Miss. lib.* 1. *cap.* 4. §. 4. *per totum*, in quo explicat Breve Pontificium, quo solet concedi licentia celebrandi Missam in Oratorio privato: & *n.* 38. ait, ex vi Bullæ Cruciatæ posse ibi celebrari etiam in festis exceptis, & satisfieri præcepto audiendi Missam ab omnibus dictam Bullam Cruciatæ habentibus.

5 Dico secundò: Dantur Oratoria publica, quæ scilicet authoritate Episcopi erigantur, & habent Campanulas, & in his Episcopus dat licentiam, ut celebretur Missa, & gaudent Immunitate, ut dictum fuit suo loco. Unde differentia inter Oratorium publicum, & privatum, seu domesticum est, quòd publicum non possit erigi sine authoritate Episcopi, ut Ecclesia parochialis, id est non possit converti in usum profanum, & sine tan-

nium

quam fidelium usui destinatum, & ut habeat Campanam. Privatum verò non sit hujusmodi. Ita ex multis Pagnanus citatus *à n.* 11. *& deinceps.*

6 Hinc censentur Oratoria publica, quoties habent ostium, quod immediatè respicit viam publicam, & nullum habent aditum, vel prospectum à loco privato, quamvis in privato solo sint constructa, aut habeant parietes cum domibus Privatorum communes. Ita Pagnanus refert, declaratum fuisse à Sacra Congregatione *in dicto Cap. Authoritate. de Censib. n.* 24. *&* 25. addit Oratoridum publicum etiam esse, quod est in locis publicis constructum, ut in Monasteriis, & Hospitalibus Ecclesiasticis.

7 Eandem declarationem affert Pignatelli *tom.* 1. *consult.* 90. *n.* 24. *in fine. n. autem* 27. *&* 28. addit, & probat cum aliis Doctoribus, quod Oratorium annexum domui privatæ, per quam patet ingressus in ipsum, dummodo habeat alterum ingressum correspondentem publicæ viæ, per quem quilibet ingredi possit, censendum est publicum, ideoque gaudet Immunitate; quia ingressus privatus, remanente publico, non tollit formam Oratorii publici; cum adhuc sit omnium usui destinatum; nec aliam declaratio Sacræ Congregationis aliud vult, nisi quod Oratorium ita sit separatum à domo privata, ut non debeat in illud per ipsam domum ingredi, nec à cubiculo domus immediatè pateat ingressus.

8 Dico tertiò: Differre Oratorium, ut Oratorium ab Ecclesia, quia Ecclesia consecratur ab Episcopo, & principaliter erigitur, ut in ea celebretur Sacrificium Missæ, & ei assignatur Dos pro Clericis. Oratorium autem non consecratur, nec ei assignatur Dos, nec principaliter erigitur pro Sacrificio Missæ, sed pro orando, nec in eo potest publicè teneri, aut pulsari Campana. Unde est quod Oratoria, quæ dicimus publica, quoties habent Dotem,

& Cam-

& Campanulam, censentur Ecclesiæ, & veniunt ejus appellatione, ut docet cum aliis Barbosa *lib. 2. Jur. Eccl. cap. 8. n. 11.*

9 Dico quartò: Nomen Cappellæ aliqui ex Caprarum pellibus derivatum putant, eo quia tuguria quædam erigebantur cooperta pellibus Caprarum ad Sacrificium faciendum, alii à voce Gallica, Chapelle, quæ significat tectum. Videatur Azorius *p. 2. Instit. Moral. lib. 3. cap. 8.* & Vallensis *lib. 3. tit. 37. n. 1.*

10 In Sacris Canonibus Cappellæ nomine, aliquando venit Altare in sacra æde extructum, aliquando Oratorium, sive Ædicula sejuncta ab Ecclesia, vel ipsi Ecclesiæ adhærens, aliquando verò sacra Ædicula intra templum extructa ferreis, aut ligneis cancellis clausa, unum Altare, aut plura continens, prout à nobis hodie sumitur vocabulum Cappellæ. Aliquando nomine Cappellæ venit Ecclesia, quæ non est Collegiata, & aliquando denique venit Domus aliqua cum Ecclesia dependens à Monasterio, seu Conventu Religiosorum. Et ideo extat Titulus *de Cappellis Monachorum, & aliorum Religiosorum*, in quo hæc statuuntur, ut si Cappella habeat Populum subditum, & curam animarum, non à Monachis, sed à Cappellano sæculari instituto ab Episcopo cum consilio Monachorum regatur. *Cap. 1. de Cappel. Monach.* Item statuitur, ne Monachi singuli habitent in talibus Cappellis. *Cap. Ex parte. eodem tit.* Et potest Episcopus cogere Monachum solitarium habitantem in Cappella, ut redeat ad Monasterium. *Cap. Ad audientiam, eodem tit.*

11 Nunc autem ex Constit. Innocentii X. *quæ incipit: Instauranda. sub die 22. Octobris 1652.* & ex Decreto ejusdem, quod incipit: *Ut in parvis, sub die 10. Febr. 1654.* in Cappellis dependentibus ab aliquo Monasterio principali, habitare debent adminus sex Religiosi, quorum quatuor sint Sacerdotes. De his enim Cappellis, de qui-

Digitized by Google

bus loquitur textus prædictus *in Cap. Ad audientiam*, loquitur Constitutio prædicta Innocentii X. agens de parvis Conventibus, ut bene advertit Fagnanus *lib. 3. Cap. Authoritatem. de Censib. in disceptat. de Grangiis, & eorum Oratoriis n. 2. & n. 18. ver. Respondetur.*

12 Insuper usque dum non habitent duodecim Religiosi in talibus Cappellis, seu parvis Conventibus, subjiciuntur visitationi Episcopi, & ejus Jurisdictioni. Deinde Alexander VII. varia dubia declaravit super subjectione talium Conventuum Jurisdictioni Ordinarii loci, quæ videri possunt apud Fagnanum *citatum n. 31.*

13 Sunt autem & aliæ Grangiæ Regularium, in quibus non consueverunt habitare Monachi, seu Religiosi, sed solùm Conversi, seu Laici pro agris colendis, & nihil aliud sunt, nisi Domus rurales sub proprietate, & dominio Monasterii, seu Conventus, aut Collegii, & in istis non dicitur haberi Cappella, sed tantùm Oratorium privatum, ideoque nec sunt loca sacra, nec religiosa, ut bene probat Fagnanus *ibidem à n. 8. & deinceps*. ac proinde non gaudent Immunitate, nec privilegiis Conventus, ut decisum refert Pignatelli *to. 10. consul. 95. n. 45.* nec possunt visitari ab Episcopo, ut probat idem Fagnanus *à n. 4.* etiamsi fuerint unitæ tales Grangiæ, seu Domus rurales Conventui subjecto Jurisdictioni Episcopi, ex vi Decreti Innocentii X. prælegati.

De Cappellania prout importat Beneficium, loquemur, cum de Beneficiis agemus. Hìc verò quæstionem valde utilem de privatis Oratoriis resolvere oportet.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO UNICA.

UTRUM IN ORATORIO PRIVATO POSSIT virtute Bullæ Cruciatæ celebrari Missa, postquam mortuus est, aut in aliam Domum abiit ille, cui fuerat concessum?

14 SÆpe interrogatus fui, an licitum putarem id, quod non pauci hìc Panormi cum consilio, & approbatione suorum Confessariorum faciunt; nimirum quod in ea Domo, in qua fuit semel Oratorium privatum recognitum ab Ordinario, quanvis mortua sit, vel in aliam Domum translata Persona, cui fuit illud Oratorium à Papa concessum, virtute Bullæ Cruciatæ celebrant, aut celebrari Missam faciunt.

Respondeo ad quæsitum negativè cum P. Matthæo Moya *trac. 2. de Religione. disp. 3. quæst. 2. de Oratoriis* §. 2. *n.* 9. qui ait, communem esse Theologorum opinionem, quod mortuo illo, cui fuit concessum privilegium habendi in Domo sua Oratorium privatum, aut finito tempore, pro quo fuit concessum, non possit alius virtute Bullæ Cruciatæ celebrare in eo Oratorio, aut facere celebrari.

15 Probatur primò quia praxis Fidelium timoratorum est contraria, & defacto, ut dicebam, sæpe interrogatus fui à piis Viris utrum id esset licitum. Secundò, quia Bulla Cruciatæ non concedit Oratorium privatum, ut certum supponitur, teste Francisco Bardi *in Explicatione Bullæ Cruciatæ p. 2. trac. 2. cap. 6. sec. 1. n. 2.* sed solùm concedit, ut in Oratorio privato aliunde concesso, & approbato possit ab habente Cruciatæ Bullam audiri Missa, & satisfieri præcepto; sicut pariter concedit, ut

Digitized by Google

probat cum aliis Thomas Tamburinus *de Sacrificio Missæ. lib. 1. cap. 4. §. 4. n. 38.* ut dixi *n. 4.* quod etiam in diebus exceptis per Breve concessionis Oratorii, possit celebrari Missa; & item quod eodē die possint plures Missæ celebrari. Concedit igitur Bulla Cruciatæ nō Oratorium privatum, sed quod in Oratorio privato aliunde concesso, & approbato, possit celebrare, aut celebrari facere qui Bullam habet; sed quoties ille, cui fuit concessum Oratorium privatum, mortuus est, aut in aliam Domum transiit ad habitandum, non existit in Domo relicta Oratorium aliunde approbatum; ergo virtute Bullæ Cruciatæ in eo celebrari non potest.

Sola minor est probanda, eamque sic probo: privilegium Oratorii est personale respiciens personam, & non locale respiciens locum, nisi relatè ad ipsam personam, quatenus locus ille est habitationis Domus talis personæ; ergo tale privilegium spirat morte personæ, aut mutatione Domus talis personæ in aliam Domum; ergo in ea Domo relicta non potest manere Oratorium aliunde approbatum.

Prædictas propositiones probo ex verbis ipsius Privilegii; & primò quod privilegium sit personale, patet ex verbo illo: *Tibi*. Quod locum respiciat solùm relatè ad ipsam personam, patet etiam ex illis verbis: *Domus tuæ solitæ habitationis*. Et confirmatur, quia si persona, cui fuit concessum, transit in aliam Domum, secum portat privilegium, ita ut non indigeat alio privilegio ad erigendum Oratorium in hac alia Domo, ut est communis sententia, & videri potest Tamburinus *l. c. n. 6.* ergo manifestum est, quod privilegium sit personale, & non locale, nisi quatenus locus refertur ad ipsam personam. Si igitur personale est, sequitur personam, & finitur cum morte ejusdem juxta *Can. Petisti 7. quæst. 1. & cap. Mandata. de Præsumption.*

16 Probatur tertiò conclusio: quia alienum est à mente Pontificis summi concedentis Oratorium privatum alicui ob ejus nobilitatem, & infirmitatem, ut ipso moriente, vel in aliam Domum transeunte, maneat in Domo relicta Oratorium approbatum; adeo ut quisque ignobilis, & sanus possit cum Bulla Cruciatæ in eo celebrare, aut facere celebrari; sic enim omnes Domus Civitatis fieri possent Oratoria approbata; quia multi sunt in Civitate habentes privilegium Oratorii privati, & hi omnes mutare possunt Domum habitationis propriæ ad libitum, adeoque in illis pluribus Domibus relictis Oratorium approbatum haberetur in perpetuum, in quo reliqui Cives habentes Bullam Cruciatæ (qui sunt quamplurimi, & fere omnes) possent audire Missam, & satisfacere præcepto. Hoc autem non videtur posse esse menti Summi Pontificis conforme. Quod sic ulterius probo: quia ex Decreto Clementis XI. regnantis, die 15. Decembris 1703. *Non licet Episcopis, & majoribus Prælatis etiam Cardinalibus extra Domum propriæ habitationis in Domibus laicis, etiam in propria Diœcesi, & fortiùs in aliena, etiam cum consensu Diœcesani erigere Altare, ibique celebrare, aut celebrari facere*; ergo alienum est à mente Papæ, quod qui habet privilegium erigendi Oratorium privatum, erigat illud in Domo non propriæ habitationis; ergo à fortiori erit alienum à mente Papæ, quod in Domo relicta ab habente privilegium Oratorii privati, duret Oratorium approbatum. Si enim non vult Papa, ut Episcopus potens erigere in Domo sua Oratorium, possit hospitans in aliena laica Domo erigere Altare; quomodo poterit velle, ut duret Oratorium approbatum in Domo laica relicta ab eo, qui privilegium personale habet in Domo suæ propriæ habitationis erigendi Oratorium?

17 Non desunt tamen aliqui Doctores, qui sustineant

neant licitum esse virtute Bullæ Cruciatæ celebrare, aut facere celebrari in Oratorio privato semel approbato, dummodo post discessum personæ habentis privilegium, aut post elapsum tempus, pro quo fuit privilegium concessum, non fuerit illud Oratorium conversum in usum profanum. Ita Thomas Hurtado Clericus Minorita *to.* 2. *Resol. Moral. trac.* 12. *cap.* 1. *in digressione Bullæ. n.* 2177. *& n.* 2243. §. 1. & *Mascareñas to.* 1. *de Sacram. trac.* 5. *de Sacrificio Missæ. disp.* 5. apud supracitatum Moya. Item Jacobus de Corella Cappuccinus *in praxi Confession. trac.* 12. *cap.* 4. *par.* 1. *n.* 113. qui liber est in idiomate hispanico.

18 Moventur hi Doctores ex eo, quia verè manet Oratorium approbatum illud, quod relinquit persona privilegiata discedens, vel è vita, vel è domo propriæ habitationis; & ideo sicuti transacto tempore, pro quo fuit Confessarius approbatus ad audiendas Confessiones, eligi potest per Bullam Cruciatæ; ita Oratorium illud virtute ejusdem Bullæ eligi potest pro celebranda Missa, quia in utroque casu habetur id, quod Bulla Cruciatæ requirit, nimirum approbatio Confessarii, & Oratorii; quod enim semel est approbatum, semper verificatur, quod sit approbatum. Ita ipsi.

19 Præterea addunt, quod sicut Papa in privilegio Oratorii privati excludit dies aliquos Festos, & multiplicitatem Missarum pro eodem die, & tamen virtute Bullæ Cruciatæ celebrari potest in Oratorio approbato, etiam in illis diebus exceptis, & plures Missæ dici possunt eodem die; ita similiter quamvis excludat tempus sequens ad habitationem illius personæ in ea Domo, tamen virtute Cruciatæ celebrari in eo Oratorio potest in tali tempore sequenti. Antecedens est doctrina plurium Doctorum recepta, quos citat, & sequitur Tambutinus *l. c. n.* 38. consequentia prædictis Authoribus videtur bona.

20 Ve-

20 Verùm prædictæ rationes non videntur sufficientes; nam primum fundamentum est hodie nullum, quia extat Decretum Innocentii XII. *sub die 19. Aprilis 1700.* de quo mentionem feci *lib. 1. cap. 5. n. 49.* statuentis nullas esse, & prorsus irritas Confessiones factas ab habentibus Bullam Cruciatæ cum Confessariis, qui fuerunt semel, aut pluries approbati, sed non sunt approbati in eo loco, in quo pœnitens, qui eligit Confessarium, reperitur, & petit absolutionem. Unde falsum est hodie, quod Confessarius, qui fuit approbatus, finito tempore, pro quo fuit approbatus, possit virtute Cruciatæ eligi; & ideo prima ratio Adversariorum non subsistit; imò retorquetur contra ipsos, quia sicut non est eligibilis virtute Cruciatæ Confessarius, qui fuit aliquando approbatus; ita virtute Cruciatæ non potest dici Missa in Oratorio privato, quod fuit aliquo tempore approbatum.

21 Falsum præterea est, quod maneat Oratorium approbatum post discessum è Domo illius, qui privilegium obtinuit. Quia approbatio Episcopi est omnino dependens ab ipso privilegio personæ, ita ut nullo modo possit Episcopus Oratoria privata approbare, nisi pro personis privilegium habentibus, ideoque approbatio hæc supponit tamquam quid principale privilegium, & est illi accessoria; ergo finito tempore, pro quo privilegium durat, finitur etiam approbatio, ut pote illi inhærens, pro ut omne accessorium, & alteri adhærens, cessat cessante principali.

22 Denique quod possint virtute Bullæ Cruciatæ celebrari plures Missæ in eodem die, & in festis exceptis, sufficienter probatur ab Authoribus, quos sequitur Tamburinus supra relatus, quia concedit Bulla Cruciatæ utrumque fieri in Oratorio privato approbato. Quod autem verificetur esse approbatum Oratorium, non solùm

lùm pro tempore, quo in tali Domo existit, & habitat persona privilegiata, sed etiam pro tempore, quo talis persona, vel est mortua, vel in aliam Domum translata, gratis asseritur, & à me jam probatum est oppositum, & iterum probo hac ratione; certum est quod supremus Princeps possit reprobare, quod est semel approbatum; sed supremus Princeps, nimirum Papa, reprobat illud Oratorium, quod fuit approbatum ab Episcopo, quoties persona, cui concessum fuit, discedit vel è vita, vel ex illa Domo, in qua fuit erectum; ergo non verificatur in tali Domo relicta haberi illud, quod requirit Bulla Cruciatæ, nimirum Oratorium approbatum. Probo minorem: quia qui concedit approbationem faciendam ab alio, suppositâ aliqua conditione, & pro tempore limitato, reprobat approbationem factam absolutè, & in perpetuum; sed Papa concedit Episcopo facultatem approbandi Oratorium erectum à tali persona in Domo suæ propriæ habitationis, ut patet ex verbis Privilegii, seu Brevis Apostolici directi ad ipsam personam; ergo reprobat approbationem absolutam, & in perpetuum, nimirum quæ duret post mortem illius personæ, & pro tempore, quo illa Domus non est amplius Domus habitationis propriæ illius. Quod ipsum confirmatur ex dictis de approbatione Confessarii, qui quanvis fuerit ab Episcopo approbatus aliquando; tamen reprobatur à Papa, transacto tempore, & mutato loco approbationis, ita ut non possit virtute Cruciatæ eligi.

§. SECUNDUS.

DE HOSPITALIBUS.

93 DIco primò: Hospitalia ab Hospitibus piè excipiendis, & tractandis dicta, vel sunt Xenodo-

nodochia, in quibus Peregrini, vel Pauperes ſuſcipiuntur, & gratis aluntur: vel ſunt Noſocomia, in quibus curantur ægroti: vel Orphanotrophia, in quibus pueri, & puellæ educantur, vel ſunt aliis nominibus appellata, quibus exprimitur genus pauperum, qui aluntur, de quibus videatur Barboſa *lib. 2. Jur. Eccleſ. cap. 11. à n. 1. uſque ad 13.* & Vallenſis *lib. 3. tit. 36. §. 1. n. 1.*

24 Dico ſecundò: Hoſpitalia, quædam ſunt Religioſæ Domus, & ſunt illa, quæ authoritate Epiſcopi erecta ſunt. *Cap. Ad hæc. de Relig. Domib.* Barboſa cum multis *lib. 2. Jur. Eccl. dicto cap. 11. n. 13.* Pirhing *lib. 3. tit. 36. §. 4. n. 20.* Quædam autem non ſunt Religioſæ Domus, ſed Seculares, ea nimirum, quæ ſine authoritate Epiſcopi fundata ſunt.

25 Dico tertiò: Hoſpitalia religioſa ſubjecta ſunt Epiſcopo, in cujus Diœceſi ſita ſunt. *Cap. De Xenodochiis. de Relig. Domib. ut Epiſcopo ſint ſubjectæ.* & ad eum pertinet videre, ne in alios uſus, quàm in eos, ad quos deputata ſunt, convertantur, & ne res eorum diſſipentur, nec in Beneficium Clerico ſæculari committantur, niſi fortè in fundatione aliter ſit conſtitutum, aut per electionem ſit conſtituendus Rector. Item debet Epiſcopus providere, ut per viros bonos gubernentur Hoſpitalia, qui juramentum præſtent, & repertorium, ſeu inventarium bonorum faciant, atque Ordinario ipſi, vel aliis, quibus conſuevit, reddantur quotannis rationes adminiſtrationis. *Clem. 2. Quia Contingit. de Relig. Domib. &c.* & Tridentinum *ſeſſ. 7. de Reform. cap. 15.* ubi Conſtitutio prædicta: *Quia Contingit.* innovatur, & declaratur, quod hanc curam debeant Epiſcopi habere, etiam de Hoſpitalibus exemptis. *& ſeſſ. 22. de Reform. cap. 8.* vult idem Tridentinum, ut poſſint Epiſcopi tanquam Delegati Sedis Apoſtolicæ viſitare omnia Loca pia, & Hoſpitalia, exceptis illis, quæ ſub immediata

Digitized by Google

Regum protectione sunt. Cum hoc tamen stat, ut possint prædicta Hospitalia visitari ab aliis, quibus Jus visitandi legitimè competit. Ita Pirging *cit. n.* 24. *in fine.* & Barbosa *n.* 47. Videantur plures Decisiones de visitandis Hospitalibus apud Pignatelli. *to.* 7. *consult.* 15. *à n.* 29.

26 Dico quartò: Hospitalia Ordinum Militarium, qualia sunt Hospitalia Equitum Melitensium, & Hospitalia Religiosorum, qualia sunt ea, quæ habent ex instituto Religiosi S. Joannis de Deo dicti: *Fate ben Fratelli*, non subsunt Episcopis. *Eadem Clem. Quia Contingit.* §. *Præmissa verò.* Affert tamen Barbosa citatus *n.* 51. declarationem Sacræ Congregationis Concilii, quod Hospitalia administrata à Fratribus S. Joannis de Deo, solùm quo ad regularem observantiam sunt exempta à Jurisdictione Ordinarii. Verùm Pirhing absolutè docet non posse ea visitari ab Episcopo. *dicto n.* 24. *ver. Excipiuntur.*

27 Dico quintò: Hospitalia quæ sunt sine authoritate Episcopi erecta, non sunt Loca religiosa, sed tantùm pia, ideoque differunt à Religiosis in hoc, quod Religiosa habent annexam Ecclesiam, aut Cappellam habentem Altare, & Campanam, & in ea celebratur Missa. Hospitale verò non religiosum non habet Cappellam, aut Ecclesiam, nec Campanam, quanvis habere possit Oratorium, in quo tamen celebrari non potest sine licentia Episcopi. Pirhing *dicto* §. 4. *lib.* 3. *tit.* 36. *n.* 20. *in fine*, cum Innocentio, Joan. Andrea, & Abbate. Præterea Hospitale Religiosum non potest amplius in usus profanos converti, Hospitale autem non Religiosum potest. *Cap. Ad hæc. de Relig. Domib. &c.* Hinc nullus Locus fit sacer, & Religiosus, nisi authoritate Episcopi ad pios usus fuerit deputatus. Pirhing cum aliis *n.* 21. *in fine*. ac proinde solùm Hospitalia authoritate Episcopi erecta, gaudent Immunitate. Barbosa *n.* 19.

28 Di-

Digitized by Google

28 Dico sextò: Rectores Hospitalium non possunt esse Regulares, nisi sint Hospitalia Religiosorum. Clerici verò Sæculares possunt fieri Rectores, quanvis non possint ipsis concedi in titulum Beneficii Hospitalia. *Clemen. 2. Per literas. de Præbend.* nisi in fundatione fuerit aliter constitutum, aut Hospitale esset annexum, & accessorium Ecclesiæ, quæ habet titulum Beneficii *Clement. 2. Quia Contingit. §. Ut autem. de Relig. Domib.* Pirhing *dicto §. 4. lib. 3. tit. 36. n. 16. & 17.* Deniq; Laici possunt esse Rectores Hospitalium, dummodo sint Viri providi, idonei, & boni testimonii. *eadem Clement. Quia Contingit. §. Ut autem.* Non possunt autem Rectores Hospitalium esse eædem Personæ ultra triennium, nisi aliter in fundatione cautum reperiatur. Tridentinum *sess. 25. de Reform. cap. 8. prope finem.*

29 Dico septimò: Hospitalia non Religiosa non subduntur Episcopo, dum vivit Fundator, quia non sunt Loca religiosa, seu Ecclesiastica; nec à Tridentino conceditur ipsi talis potestas; ut probat Pirhing *dicto §. 4. n. 25.* Et quanvis habeant Oratorium, tamen illud censetur privatum, quod non subest Episcopo. Idem docet Barbosa cum aliis *n. 50.* & Vallensis *lib. 3. tit. 36. §. 2. numero 2.*

30 Mortuo autem Fundatore, spectat ad Episcopum videre, num executioni detur ejus ultima voluntas ex Tridentino *sess. 22. de Reform. cap. 8.* Idem Pirhing *n. 25.* & Vallensis *n. 3.* Ideoque potest Episcopus se intromittere in exigenda ratione Hospitalis non Religiosi, sicut potest omnia loca pia, etiamsi sint privata, Laicorum visitare, & corrigere in casibus à Jure permissis, nimirum ob negligentiam Rectorum, vel ob dilapidationem bonorum ad opera Misericordiæ destinatorum. Barbosa *n. 54. & 55.* cum aliis. Quod si in fundatione Hospitalis fuerit cautum, ne Episcopus se intromittat, debet talis

Digitized by Google

conditio servari. Idem Vallensis *dicto lib. 3. tit. 36. §. 3. n. 3. in fine* cum aliis, & Barbosa *n.* 38. afferens decisionem Rotæ, & Sacræ Congregationis.

§. TERTIUS.

DE CONFRATERNITATIBUS.

31 Dico primò: Confraternitates, quæ sunt Congregationes plurium Personarum devotionis causâ, non possunt erigi, nisi de licentia Ordinarii loci, & nisi Confratum statuta ab eodem Ordinario examinentur, & approbentur. *In Constit. Clementis VIII. die 24. Decembris* 1604. quam refert Piasecius relatus à Vallensi. *lib. 3. tit. 36. §. 2. n. 4.* & Barbosa *lib. 2. Jur. Eccles. cap. 11. n. 76.* Item Confratres non possunt Indulgentias promulgare, nisi prius Ordinarius eas cognoscat. Item eleemosynas, & collectas in usus pios ejusdem Ordinarii arbitrio erogare debent Confratres. Denique Confessarium habere non possunt, nisi approbatum ab Ordinario. *In eadem Constit. Clementis VIII.* nec possunt à Cappellano suo Sacramenta recipere, quæ spectant ad Parochum, nisi de licentia ejusdem Parochi, aut Ordinarii. Ita Sacra Congregatio, quam refert Barbosa *dicto cap. 11. n. 105. ver. Confraternitates.*

32 Dico secundò: Confraternitates debent in Processionibus antecedere Regulares, qui post ipsos debent venire, & post Regulares debent sequi Clerici seculares ex decisione Sacræ Congregationis, quam refert Barbosa *dicto lib. 2. Jur. Eccl. cap. 11. n. 105.* In controversia de præcedentia in Processionibus publicis orta inter Confraternitates, Episcopus est Judex. Barbosa *n.* 85.

33 Dico tertiò: Omnes Confraternitates, Episcopi authoritate institutæ modo prædicto, sunt Ecclesiasti-

cæ,

Digitized by Google

eæ, & Religioſæ. Illæ verò, quæ ſine tali authoritate fuerint inſtitutæ non ſunt Eccleſiaſticæ, nec Religioſæ, quia ſolus Epiſcopus hanc qualitatem tribuere poteſt, ut conſtat *ex Cap. Ad hæc. de Relig. Domib.* & notant communiter Doctores. Hinc Bona Confraternitatum ſunt Bona Eccleſiaſtica, & ideo alienari non poſſunt. Barboſa cum aliis *n.* 82. & fuſiùs *n.* 88. & gaudent omnibus privilegiis Bonorum Eccleſiaſticorum, ut infert idem Barboſa *à n.* 89. *uſque ad* 100. Perſonæ verò Confratrum non efficiuntur Sacræ, ſed manent Laici, cum non tradant ſe cultui divino, ſed manent *in* propriis Domibus uxorati. Idem Barboſa cum aliis pluribus *n.* 83. Unde Confraternitas in communi eſt res Eccleſiaſtica, ſinguli verò Confratres, ſi Laici ſint, ut Laici tractandi ſunt.

§. QUARTUS.

DE SEPULTURIS, ET FUNERIBUS.

34 Dico primò: Sepulchrum eſt locus concavus, in quo hominis defuncti corpus ſervatur. Sepultura quandoque ipſum Sepulcrum ſignificat. *Can. Aurum.* 12. *q.* 2. & *Cap. Abolendæ. de Sepult.* Quandoque verò ipſum actum ſepeliendi, ſeu officium, quod impenditur in ſepeliendis corporibus defunctorum. *Can. Præcipiendum.* 13. *q.* 2. & *Cap. Non ſatis. de Simonia.* ubi prohibetur venditio Sepulturæ, ideſt acceptio pretii pro hominibus ſepeliendis, ut ait Gloſſa *in dictum Can. Præcipiendum.*

35 Dico ſecundò: Olim Sepulcra in Civitatibus fieri non permittebatur, ut conſtat ex l. *duodecim Tabularum.* Videatur Barboſa *lib.* 2. *Jur. Eccleſ. cap.* 10. *n.* 4. *ver. Quo ad ſecundum.* & Van Eſpen *p.* 2. *tit.* 38. *cap.* 2. *n.* 1. Verùm apud nos Chriſtianos datur locus prope Eccle-

Digitized by Google

cleſias in Civitatibus pro ſepeliendis mortuis, qui locus, Cœmeterium appellatur à græco vocabulo *Chimao*, quod eſt, *Dormio*, unde Cœmeterium idem eſt, ac Dormitorium, quia Fideles mortui dormire dicuntur, donec in Reſurrectione excitentur. *Can. Habent forſitan. 13. q. 2.* ubi citantur verba Apoſtoli 1. *ad Theſſalonicenſes 4. Nolumus vos ignorare de Dormientibus.* Sunt autem Cœmeteria, ut dictum fuit, loca ſacra per Epiſcopum à locis profanis dividenda, & conſecranda prope Eccleſiam, vel confinia ipſius. Nam intra Eccleſiam nemo ſepeliri poterat. *Can. Præcipiendum. 13. q. 2. §. Prohibendum eſt.* Fuit autem inſtitutum, ut prope Eccleſias ſepelirentur mortui, ad hoc ut defunctorum proximi venientes ad Eccleſias orarent pro illis. *Can. Cum gravia. 13. q. 2.* deinde conceſſum fuit, ut intra Eccleſiam mortui ſepelirentur, ſi fuiſſent Epiſcopi, Abbates, Presbyteri, vel Fideles laici. *Can. Nullus. Eadem cauſa, & quæſtione.* Ubi pro Fidelibus laicis intelliguntur omnes Chriſtiani juxta Gloſſam *in dictum Can.* ibi: *vel dic quod omnis Chriſtianus poſſit in Eccleſia ſepeliri juxta duos Can. Eccleſiam in qua. de Conſecr. diſt. 1.* In quibus dicitur, quod Eccleſia, in qua fuerit Fidelis ſepultus, conſecrari poteſt, non autem ea, in qua ſepulti fuerint Infideles.

36 Dico tertiò: Locus Sepulturæ debet eſſe in Eccleſia Parochiali, vel ejus Cœmeterio. *Cap. In noſtra. de Sepult.* & *Cap. Is qui habet. eodem tit. in 6.* quod ſi quis duo domicilia in diverſis Parochiis habuerit, datur locus prævention: & ſi ille eligat Sepulturam in tertia alia Eccleſia, dividenda eſt Canonica portio duabus Parochiis. *Cap. Cum quis. juncta Gloſſa de Sepult.* quid autem ſit Canonica portio, dicam inferiùs. Item ſi quis domicilium habens in Civitate, moriatur in Villa, ubi eſt Eccleſia Parochialis, non in tali Eccleſia rurali, ſed in Eccleſia Parochiali Civitatis ſepeliri debet, dummodo

ab-

Digitized by Google

absque periculo asportari possit. *Cap. Is qui. de Sepult. in 6.* Denique Peregrini, Advenæ, Scholares morientes debent in Ecclesia Parochiali sepeliri, per cujus Presbyterum receperunt Sacramenta. Riccius *in Praxi Decis.* 659. Vallensis *lib. 3. tit. 28. §. 2. n. 4.*

37 Dico quartò: Religiosi debent in suis Ecclesiis sepeliri. *Can. 1. 16. q. 1.* & *Cap. Religiosi. de Sepult. in 6.* nisi moriantur in loco remoto à propria Ecclesia, tunc enim sepeliri possunt in Parochia, in qua decedunt.

38 Dico quintò: Supradictæ Assertiones habent locum in Religiosis, qui eoquia non habent velle, & nolle, eligere non possunt Sepulturam, & in jis, qui nullam sibi Sepulturam elegerunt. Cæterùm cuique liberum est sepeliri relictâ propriâ Parochiâ in quacunque alia Ecclesia, aut ubi est Sepultura Majorum suorum. *Cap. 1. de Sepult.* ibi: *Nulli tamen negamus propriam eligere Sepulturam, & etiam alienam.* Debet tamen Parocho solvere Canonicam portionem. *Eodem Cap. 1. de Sepult.*

39 Hanc libertatem eligendi Sepulturam habet etiã uxor inconsulto marito. *Cap. De Uxore. de Sepult.* & Filius familias sine consensu Patris, dummodo sit Pubes. *Cap. Licet. de Sepult. in 6.* quod si filius sit Impubes, Pater eliget illi Sepulturam, si ita est consuetudo; quod si talis non sit consuetudo, debet in Parochia, vel Sepulcro Majorum, si habetur, sepeliri. *eodem Cap. Licet.* Vallensis §. *3. n. 2.* Barbosa *lib. 2. Jur. Eccl. cap. 10. n. 28.* Van Espen *p. 2. tit. 38. cap. 3. n. 28. & 29.* Denique etiã Servi eligere possunt sibi Sepulturam, quia in spiritualibus cessat potestas Dominica. Ita Joannes Andreas *in Cap. De Uxore. de Sepult.* & Vallensis *ibidem.* Damnati tamen ad mortem per Judicis sententiam eligere non possunt sibi locum Sepulturæ. Zechius *de Repub. Christ. cap. 28. ver. Secundò fallit.* Vallensis *n. 3. ver. Similiter.*

40 Dico sextò: Potest quis, electo loco Sepulturæ, mu-

mutare voluntatem, & eligere alium locum, etiamsi promiserit Clericis, aut Religiosis alicujus Ecclesiæ se aliũ non electurum. *Cap. 1. de Sepult. in 6.* Imò Clericis, aut Religiosis est interdictum, ut quenquam inducant ad promittendum, & jurandum, quod in eorum Ecclesiis velit se sepeliri, & ad non mutandum ulteriùs voluntatem. *Eodem cap. 1. de Sepult. in 6.* quod si fecerint, ut sic ille promiserit, & juraverit, debet in eo loco sepeliri, ubi si non fuisset facta talis promissio, debebat tumulari; & Clerici, aut Religiosi tenentur restituere Corpus, & omnia, quæ perceperunt, si eum in sua Ecclesia sepelierunt. Barbosa cum pluribus *n.* 24. quæ restitutio à quocunque sepeliente Parochianum alienum fieri etiam debet. *Cap. Ex parte.* & *Cap. Cum liberum. de Sepult.* Imò si post decennium facta non fuerit talis restitutio, ipsa Ecclesia, & Cœmeterium Interdicto Ecclesiastico subjacent, donec ab eis restitutio plenaria omnium prædictorum facta fuerit. *Cap. 1. de Sepult. in 6. §. Si verò.*

41 Dico septimò: Non potest Parochus proprius excludi ab associando cadavere, etiamsi soli Regulares vocati sint, ut decisum fuisse refert Barbosa *n.* 62. & Pius V. *in Constit.* quam refert Vallensis *lib. 3. tit.* 28. §. 5. *n. 3.* declaravit, quod quoties Parochiani sepeliuntur in Ecclesiis Mendicantium, debent Parochi esse præsentes, ac propterea consequi quartam partem eorum, quæ pro Funeralibus dantur. Officia autem mortuorum, & alia munia non à Parochis, sed ab ipsis Fratribus peragi debent.

42 Nec levari possunt Cadavera è propria Domo à Regularibus, aut Presbyteris sæcularibus, non requisito Parocho. Idem Barbosa afferens decisiones *n.* 66. & Pignatelli *tom. 3. consult.* 48. *prope finem.* & *tom.* 4. *consult.* 199. *numero.* 10. ubi Decretum Sacræ Congregationis affert. Imò si quis non Religiosus, nec Familiaris ejusdem Conventus moriatur intra Claustra, aut

in

Digitized by Google

in Ecclesia Religiosorum; adhuc debet peti licentia à Parocho, ut possit defunctus ab jisdem Religiosis sepeliri in propria Ecclesia. Ita Sacra Congregatio Concilii *die* 27. *Septembris* 1670. *in Decretis variis impressis jussu Eminentissimi Cardinalis Judice Archiepiscopi Monregalensis. n.* 8. & Pignatelli ex alia declaratione Sacræ Congregationis *to.* 1. *consult.* 306.

43 Præterea Regulares ex vi Sacrorum Canonum, & variarum Decisionum, debent accedere ad Parochiam Defuncti, ut inde cum Parocho eant ad levandum Cadaver è Domo sua, ut ostendit Pignatelli *tom.* 3. *consult.* 49. *à n.* 1. *usq; ad* 8. Verùm ubi adest consuetudo in contrarium, videtur toleranda.

44 Dixi, quod officia mortuorum in Ecclesiis Regularium exemptorum, non à Parochis, sed ab ipsis Fratribus peragi debent; ideoque non debent Parochi cum cocta, & stola, & Cruce elata intrare in Ecclesias prædictas, ut ex Privilegiis Regularium, & variis declarationibus Sacræ Rituum Congregationis, quas affert Pignatelli *tom.* 3. *consult.* 48. *à n.* 3. *usque ad* 20. colligitur. Et quidem quod non possint in Ecclesiis Regularium officium super Cadaver peragere, est omnino certum, tum quia, aliter everterentur privilegia Regularibus concessa, dum Parochi in eorum Ecclesiis Jurisdictionem exercerent: tum quia extant quindecim declarationes Sacræ Rituum Congregationis relatę ab eodem Pignatelli *dicta consult.* 48. *à n.* 26. *usque ad* 40. in quibus decernitur, non posse Parochos super Cadaver sui Parochiani intra Ecclesias Regularium exemptorum ullum officium exercere. Si igitur certum est, quod non possit Parochus ullum actum exercere super Cadaver in Ecclesiis Regularium, sequitur quod inutilis sit prætensio aliquorum Parochorum intrandi in Ecclesias Regularium cum Cruce elata, cocta, & stola; quia etiamsi per-

Digitized by Google

mitteretur talis ingressus ex ea ratione, qua aliqui utuntur, nimirum quod Crux elata, cocta, & stola non important actum Jurisdictionalem, ideoque Parochus intrans cum tali vestitu, & Cruce, non facit contra privilegia Regularium, cum nullam Jurisdictionem exerceat per talem ingressum; etiamsi, inquam, talis doctrina permitteretur, adhuc semper est verum, quod inutilis sit prædicta prætensio, cum ad nihil inserviret ingressus ille cum cocta, & stola, & Cruce elata, nisi ad agendam personam mutam. Dixi (etiamsi permitteretur talis doctrina) quia non desunt Authores in contrarium, qui probant ingressum cum Cruce elata, & cocta, & stola esse exercitium Jurisdictionis, ut videre est apud Pignatelli *dicta Consult.* 48. *to.* 3. *n.* 2. *&* 3. Prudentissimè igitur faciunt nostri Parochi, ut praxis ostendit, qui Cadaver sui Parochiani ante Januam Ecclesiæ Regularium deponunt, & abeunt. Quod dictum est de Parocho, militat etiam pro Clero sæculari, & Capitulo Cathedralis, aut Ecclesiæ Collegiatæ, neque enim potest Capitulum officium peragere super Cadaver defuncti intra Ecclesias Regularium, ut bene probat idem Pignatelli *dicta to.* 3. *consult.* 48. *à n.* 45.

45 Notandum est hic, quod Parochi præsentia requiritur, quoties Defunctus est ex Parochianis; nam si Regularis moriatur extra Claustra, vel Tertiarius ex illis, qui foro gaudent Ecclesiastico, moriatur, non debet vocari Parochus, sed etiam ipso invito, deferri potest Cadaver ad Ecclesiam sui Ordinis; & ita decisum refert Barbosa *n.* 68. *&* 69. & habetur declaratio Sacræ Congregationis Concilii in Bononiensi *die* 2. *Julii* 1620. quam refert Pignatelli *to.* 4. *Consult.* 199. *n.* 1. ubi citat pro hac assertione Peyrinum, Lezana, Dianam, & Bordonum, præter Barbosam à nobis citatum. Verùm ipse Pignatelli *à n.* 4. curat defendere oppositum. Dicendum

dum tamen est, quod ex jis, quæ dictus Pignatelli affert, solùm non possint Regulares, non requisito Parocho, processionaliter efferre per vias publicas Cadaver sui Religiosi extra Conventum defuncti; privatim autem sine licentia Parochi possint.

46 Notandum præterea, quod quoties in Funere intervenit Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, vel Collegiatæ, debet Curatus, vel Archipresbyter ejusdem Cathedralis, vel Collegiatæ præcedere supra proprium Parochum Defuncti, ut refert decisum Pignatelli *to. 3. consult. 52. à n. 2. usque ad finem.*

47 Tria remanent inquirenda, nimirum quid sit Canonica portio Parochialis, seu ut dicitur, quarta Funeralis, & quid sit Sepulcrum Majorum, in quo quisque sepeliri debet, si Sepulturam non eligit, ac demum quibus deneganda sit Sepultura Ecclesiastica. Sit itaque.

§. QUINTUS.

DE CANONICA PORTIONE PAROCHIALI.

48 Dico octavò: Quoties quis sepelitur extra suam Ecclesiam Parochialem, vel quia alibi eligit Sepulturam, vel quia alibi est Sepulcrum suorum Majorum; toties solvi debet Parocho suo portio quædam de relictis Ecclesiæ illi, in qua sepelitur, & dicitur talis portio Canonica, quia à Sacris Canonibus inducta est propter onus, quod Parochus habet in administrandis Sacramentis. *Cap. 1. Cap. Relatum.* & *Cap. De his. de Sepult.*

49 Hæc autem portio quandoque est Quarta, & ideo dicitur Quarta Parochialis. *Cap. Cum super. de Sepul. & Clement. Dudum. eodem tit.* quandoque Tertia, ut *in*

Cap. 1. de Sepult. quandoque est Media, ut *in Cap. Relatum. eodem. tit.* ideoque spectanda est loci consuetudo, eique standum. *Cap. Certificari. eodem tit.* ubi nota, quod consuetudo sufficit si sit 10. annorum, quoties portio non est minor quarta parte, aut non major medietate, quia sic non fit contra Jus. Si verò sit minor quarta parte, aut major medietate, requiritur præscriptio 40. annorum. Barbosa cum aliis *lib. 3. Jur. Eccl. cap. 24. n. 2.* Vallensis *lib. 3. tit. 28. §. 5. n. 2.*

50 Dico nonò: Debet solvi talis portio ab Ecclesia illa, in qua Cadaver sepelitur, Parocho, in cujus Territorio Defunctus habebat Domicilium. Zechius *de Reputh. Ecclesiast. Cap. 28. de Parochis. n. 18.* & alii multi, quos sequitur Barbosa *n. 3.* Si quis in ægritudine se, & sua tradit Monasterio, & moritur ex ea infirmitate, debetur Quarta Parocho. *Cap. De his. de Sepult.* secus si sanus sua bona dederit, & obeat Religiosus etiam in anno Novitiatus.

51 Item tenentur Mendicantes, & cæteri Religiosi solvere talem portionem, quoties quis in eorum Ecclesiis sepelitur. *Clement. Dudum. §. Verùm. de Sepult.* & stante Tridentino *sess. 25. de Reform. cap. 13.* etiamsi habuerint privilegium non solvendi dictam portionem, si per 40. annos ante dictum Tridentinum soliti fuerant persolvere, debent in posterum persolvere. Quoties autem privilegium obtinuerint Regulares non solvendi quartam Funeralem, & post Concilium Tridentinum fuerit eorum Ecclesia fundata, aut etiamsi ante Concilium, tamen per 40. annos ante dictum Concilium solvere non consueverant, toties eam non debent solvere ex Constit. Pii V. quæ incipit: *Et si Mendicantium. 17. Kalend. Julii 1567.* nec officit Constitutio Gregorii XIII. *sub. die 10. Octobris 1586.* quia per hanc non fuit revocata Constitutio Pii V. sed redacta ad terminos Concilii; ergo.

Digitized by Google

ergo cum Concilium solùm loquatur de Ecclesiis Regularium privilegiatorum, quæ per 40. annos ante dictum Concilium solitæ erant solvere quartam Funeralem, sequitur, quod si post Concilium sint fundatæ, & privilegium obtinuerint, aut si non erant per 40. annos solitæ persolvere ante Concilium, solvere non debent. Atque ita declaratum fuisse refert Archangelus Carraccia *in fine trac. de quarta Funer.* & Emmanuel Rodericus *to. 1. quæstion. regul. Canonicar. q. 11. art. 2.* & citatus Barbosa *n. 14.*

52 Cæterùm in hoc consuetudini standum esse censeo cum Van Espen *p. 2. tit. 38. cap. 5. n. 37.* Nam ex Tridentino, ut bene ait prædictus Doctor, clarè insinuatur posse tolli per consuetudinem longi temporis usum portionis Parochialis, quemadmodum in Gallia non est in usu, nec in Belgio in Ecclesiis, quæ Jus celebrandi primas exequias habent.

53 Dico decimò: Dicta portio est facienda de bonis jis, quæ relicta sunt Ecclesiæ illi, in qua quis sepelitur, non autem de bonis relictis alteri Ecclesiæ, seu loco pio. Bonis illis, inquam, quæ obveniunt ratione Funeris, non autem de Legatis pro Ornamentis, aut Fabrica, aut anniversario, septimo, aut trigesimo die, aut relictis in perpetuum ad cultum divinum. Vallensis *n. 4.* Barbosa cum aliis, & ex variis Juribus *dicto lib. 3. Jur. Eccl. cap. 24. n. 36. & 37.* Item non debet solvi de donatis Ecclesiæ inter vivos, nec de equis, aut armis, quæ relicta sunt Equitibus Jerosolimitanis, seu Hospitalariis. *Cap. In nostra. de Sepult.* ibi: *De quibus quartam deducere non tenentur.* Denique neque de bonis relictis pro incertis malè ablatis. Vallensis *lib. 3. tit. 28. §. 5. n. 4.* Si quis autem reliquerit Ecclesiæ Parochiali legatum aliquod, sed alibi eligit Sepulturam, adhuc Ecclesiæ Parochiali debetur quarta Funeralis, quia non ab ipso testatore, sed ab

Ec-

Ecclesia, in qua sepelitur, debetur Quarta prædicta.

54 Dico undecimò: De Candelis, quas Religiosi, vel Confratres, aut alii Presbyteri præ manibus habent in associando Cadavere, non debetur Quarta, sed ipsis acquiruntur tales Candelæ, ut docent quamplures, quos citat Barbosa *n.* 39. & 40. & decisum esse testatur à Sacra Congregatione Cardinalium Præpositorum negotiis Episcoporum, & Regularium. De Candelis autem, & Intorcitiis, quæ accenduntur circa Cadaver, & deferuntur per viam circa ipsum Cadaver, & circa Crucem, debetur quarta Funeralis Parocho ex Decreto Sacræ Congregationis approbato ab Urbano VIII. *die* 21. *Martii* 1629. quod refert Barbosa *n.* 42. sicut & de culcitra, quæ in feretro est, & banderiis, quæ deferuntur, ajunt plures alii Doctores relati ab ipso Barbosa *n.* 44.

§. SEXTUS.

DE SEPULCRO MAJORUM.

55 Dico duodecimò: Si quis Sepulcrum Majorum habet, & Sepulturam non eligit, est in eo sepeliendus juxta *cap.* 1. *de Sepult.* Est autem Sepulcrum Majorum locus electus à Majoribus pro se, & suis sepeliendis, & aliud est Familiare, aliud Hæreditarium. Familiare est, quod quis sibi, & familiæ suæ constituit, ideoque non transit ad Cognatos, vel Affines, nisi instituantur hæredes; transit autem ad hæredes, etiamsi sint extranei. Hæreditarium autem est, quod quis sibi, & suis hæredibus constituit, vel quod quis Jure hæreditario acquisivit. Vallensis ex variis Juribus *dicto lib.* 3. *tit.* 28. §. 4. *n.* 2.

56 Dico decimotertiò: Quælibet Ecclesia, quæ vel de

Digitized by Google

de Jure, ut est Parochialis, vel privilegio, ut est Ecclesia Regularium, vel ex tacita Episcopi licentia, aut consuetudine habet Jus sepeliendi, potest concedere alicui Patri familias pro se, & suis locum Sepulturæ, & quanvis vendi non possit Sepultura, ut supradictum fuit, tamen ratione situs, vel dignioris loci, vel ad reparandam Ecclesiam, aut Cappellam, vel ratione usus illius loci, qui conceditur tali familiæ, ita ut non possit amplius concedi aliis, accipi potest ab Ecclesia pretium; atque hæc est praxis Fidelium. Item quod pro expensis, quæ factæ sunt ad fundandum Sepulcrum, possit deinde alteri vendi ipsum Sepulcrum, non videtur Simonia, cum non spirituale, sed temporale pro temporali detur. Videantur Doctores relati à Barbosa *lib. 2. Jur. Eccl. cap. 10. à n. 16. usque ad 19.*

57 Dico decimoquartò: Majores sunt Pater, & Avus propriè, quanvis etiam Proavus, & alii Superiores dicantur Majores. Hinc si Pater, & Avus sunt in uno loco sepulti, & Proavus, & Tritavus in alio, debet filius sepeliri cum Patre, & Avo, non cum Proavo, & Tritavo; e contra si Pater sit sepultus in uno loco, Avus, & Proavus, aliique Majores in alio, debet sepeliri cum Avo, atque hoc importat sepeliri in Sepulcro Majorum, ait Valensis *lib. 3. tit. 28. §. 4. n. 4.*

58 Frater, & Soror sunt in eodem Sepulcro ponendi. *C. in. Unaquaque. 13. q. 2.* Filii naturales in Sepulcro Patris, nisi hic fuerit in Dignitate constitutus. Spurii legitimati à Principe sepeliuntur cum Matre, nisi hic fuerit illustris, aut aliud voluerit Pater. Filii autem legitimi, & naturales cum Patre. *Cum Ebnn. 13. q. 2.* Uxor est sepeliendа in Sepulcro Viri. *dicto Can. Unaquaque. 13. q. 2.* quod si plures viros habuerit, debet sepeliri cum ultimo viro. *Cap. Is qui. de Sepult. in 6. §. Si mulier.* Si vero decedat ante mortem Viri, sepeliri potest in Se-

pul-

pulcro Majorum Mariti sui, vel Majorum suorum. Hæc, & alia videri possunt apud Vallensem. *lib. 3. tit. 28. §. 4. per totum.* & apud Barbosam *dicto Cap. 10. lib. 2. Jur. Eccles. n. 28. 29. 31. & 32.*

59 Dico decimoquintò. Jus quod habet Sepulturæ, qui sibi, & suis Sepulcrum constituit, aut habet à Majoribus constitutum, amittitur pluribus modis, nimirum per Simoniam, per Occisionem Rectoris Ecclesiæ, per Hæresim, per Crimen læsæ Majestatis, per hoc, quod ujuus in eo Sepulcro sepeliatur aliquis. Tunc autem Ecclesia manet libera, quoties Dominus Sepulcri, qui aliquod ex dictis criminibus committit, est unus; si verò Sepulcrum est Familiare, & plures sunt Domini, retinent Innocentes Jus Sepulturæ. Barbosa cũ aliis *n. 39.*

§. SEPTIMUS.

QUIBUS DENEGETUR ECCLESIASTICA SEPULTURA?

60 Dico decimosextò: Sepultura Ecclesiastica ex Juris dispositione negatur Paganis *Can. Ecclesiam. cum seq. de Consecr. dist. 1.* Judæis, & Hæreticis, eorunque Fautoribus, & Receptatoribus. *Cap. Excommunicamus. §. Credentes. de Hæret.* & *Cap. Quicunque. eodem tit. in 6.* & omnibus excommunicatis; cum non possimus communicare cum eis mortuis, cum quibus viventibus non communicabamus. *Cap. Sacris. de Sepult. Clement. 1. eodem tit.*

61 Quod si excommunicati dederint in morte Signa pœnitentiæ, sed non fuerunt absoluti, possunt nihilominus sepeliri, juxta *Cap. A nobis. il secondo. de Sent. Excommun.* in quo dicitur, quod post mortem absolvatur excommunicatus ab eo, à quo vivus absolvi poterat, com-

Digitized by Google

compulsis hæredibus ad satisfactionem, ad quam ille tenebatur. Videatur P. Suarez. *de Censur. disp.* 12. *sec.* 4. Dixi, *Sed non fuerunt absoluti*, quia si absolutionem in articulo mortis acceperunt à quocunque Sacerdote, sepeliri debent.

62 Refert Barbosa *dicto Cap.* 10. *lib.* 2. *Jur. Eccl. n.* 40. quod decisum fuit à Sacra Congregatione Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium Præpositorum, quod quidam Joannes Baptista Mastrillus, qui fuit in excommunicatione occisus, eo quia dixit in mortis articulo: *Confessione; Madonna Santissima ajutami.* traderetur Sepulturæ Ecclesiasticæ.

63 Varias Decisiones affert Pignatelli *to.* 2. *consul.* 59. *n.* 44. per quas dicitur, quod constito de signis pœnitentiæ datis, & præstito ab hæredibus juramento de parendo mandatis Ecclesiæ, debeat mortuus absolvi, & sepeliri, juxta *dictum Cap. A nobis. il Secondo.* Quod autem, si fuerit absolutus à quocunque Sacerdote in mortis articulo, debeat sepeliri, docet Suarez *cit. n.* 3. *in medio*, & dicitur *in Cap. finali. de Sepult.*

64 Item denegatur Ecclesiastica Sepultura Interdictis Notoriis, & Denunciatis. *dicta Clement.* 1. *de Sepult.* & *Cap. Is cui.* §. *Talis quoque. de Sentent. Excomm. in* 6. Usurariis publicis, nisi alienum restituerint, vel cautionem dederint de restituendo. *Cap. Quia in omnibus. de Usuris. Cap. Quanquam. eodem tit. in* 6. & *Clement.* 1. *eodem tit.*

65 Insuper denegatur Sepultura Ecclesiastica jis, qui sibi mortem intulerunt. *Can. Placuit, ut qui.* 23. *q.* 5. qui verò casu, aut fatuitate sibi mortem dederint, non privantur Sepultura. *Cap. Ex parte parentum. de Sepult.* Nec privatur si non constat, an quis se occiderit, quanvis inveniatur in puteo, vel laqueo suspensus. Ita Barbosa *numero* 49.

Digitized by Google

66 Præterea mortuis in Duello, vel Torneamentis negatur Sepultura. Tridentinum *sess. 25. de Reform. cap. 19. Cap. 1. & 2. de Torneamentis.* quod si quis non moriatur in ipso duello, sed ob vulnus in duello acceptum, non debet privari Sepulturâ, ut docet Diana *p. 2. trac. 16. miscel. 2. resol. 54.* quanvis alii contrarium doceant.

67 Rursus negatur Sepultura Blasphemis impœnitentibus. *Cap. Statuimus. de Maledicis.* Raptoribus manifestis non satisfacientibus, aut nisi alius promittat restituere pro eis. *Cap. Super eo. de Raptorib.* Furibus, & latronibus in flagranti crimine occisis, secus qui vulnerati pœnitentiam egerint, aut confessi fuerint Sacerdoti. *Can. Jures, & Latrones. 13. q. 2.* & *Cap. Fures, & Latrones. de Furtis.* Item Religiosis omnibus utriusque sexus proprietariis, qui sine pœnitentia sunt mortui. *Cap. Monachi. §. Qui verò. Cap. Super quodam. Cap. Cum ad Monasterium. §. Quod si proprietas. de Statu Monach.* Item omnibus illis, qui in Paschate non communicarunt. *Cap. Omnis utriusque sexus. de Pœnit. & Remiss.* nisi in morte egerint pœnitentiam, & absoluti fuerint. Item Corpori illius, qui exenterari voluit, aut ejus ossa nudata à carne, aut in frusta carnes concisæ fuerint. *Cap. 1. de Sepult. In extravag. commun.* ibi: *Et nihilominus illi, cujus Corpus sic inhumanè tractatum fuerit; Ecclesiastica careat Sepultura.* Denique omnibus peccatoribus, qui moriuntur impœnitentes, neganda est Sepultura. *Can. Quibus. & Can. Pro obeuntibus. 13. q. 2.* nisi signa contritionis dederint; ad quod probandum sufficit unus testis, ut volunt Zechius *de Repub. Christia. Cap. 28. n. 26.* & Vallensis *lib. 3. tit. 28. §. 7. n. 4.*

68 Illis verò, qui ultimo supplicio damnati moriuntur, non negatur Sepultura, si pœnitentes decedunt. *Can. Quæsitum. 13. q. 2.* Accedente tamen Principis, aut Judicis authoritate, possunt privari Sepultura, & exponi

Digitized by Google

ni ad aliorum exemplum eorum corpora *l. 2. ff. de Cadaverib. Punitorum.*

69 Dico decimoseptimò: Tempore Interdicti generalis negatur Sepultura omnibus, qui degunt in ea Civitate, exceptis Clericis, qui servarunt Interdictum, qui tamen sine pulsatione Campanæ, & sine solemnitate cum silentio sepeliri possunt in Cœmeterio. *Cap. Quod in te. de Pœnit. & Remission.* Similiter si Ecclesia, vel Cœmeterium subjaceat Interdicto, nemo potest in illis sepelíri. Possunt Regulares habentes ad id privilegium in eorum Ecclesiis tempore Interdicti generalis, vel specialis tumulare Cadavera illorum, qui causam non dederunt Interdicto, secreto tamen modo, Januis scilicet clausis, & sine pulsatis Campanis. *In Compend. Privil. Societ. Jesu v. Interdictum. §. Quarto.* Nec tenentur in tali casu Regulares dare Quartam funeralem Parocho, quia cum ejus Ecclesia supponatur interdicta, non habet Jus Sepulturæ. Barbosa cum aliis multis. *Cap. 24. lib. 3. Jur. Eccl. n. 30.*

70 Dico decimo octavò: Si defacto sepeliantur in Ecclesia, qui de Jure prohibentur sepeliri, polluitur Ecclesia, & debet reconciliari, atque exhumari Corpus illius, antequam ibi alii sepeliantur Fideles. Quod si ossa illius excommunicati, aut Infidelis &c. discerni non possint, relinquantur, ne extumulentur ossa Fidelium, qui defuncti sunt in communione Sanctæ Ecclesiæ. *Cap. Sacris. de Sepult.* Parochi autem, & alii Rectores Ecclesiarum, qui ausi sunt sepilire eos, qui jure prohibentur sepeliri, ipso facto excommunicantur, & restituere tenentur, quæ perceperunt ratione Funeris. *Clement. 1. de Sepulturis.* Nec absolvi possunt, nisi ad arbitrium Diœcesani Episcopi satisfactionem exhibuerint, cui ea debetur, nimirum vel illis, ad quorum instantiam fuit excommunicatus ille, cujus corpus sepelierunt, vel illis, quibus est facienda restitutio, si Defunctus erat Usura-

Digitized by Google

rius publicus &c. *Glossa in dictam Clament. ver. Eis, quibus.*

CAPUT OCTAVUM.

DE REBUS ECCLESIASTICIS TEMPORALIBUS, seu Corporalibus.

SUnt res temporales, seu corporales Ecclesiasticæ, quæ in sustentationem corporis eorum, qui Ecclesiæ serviunt, sunt institutæ. Tales sunt fructus Beneficiorum, Canonica Portio Episcopalis, Charitativum Subsidium, Census, Procurationes, Oblationes, Primitiæ, Decimæ, Legata pia, Peculium Clericorum, & Bona immobilia Ecclesiarum. De his omnibus breviter & more. Et primò quidem de Beneficiis Ecclesiasticis, quorum notitiam non insufficientem studiosis tradere curabo; nam pro completa habenda, Doctores plurimos consulere necesse erit. Sit igitur.

§. PRIMUS.

QUID SIT BENEFICIUM ECCLESIASTICUM?

1 OMissis jis, quæ ad Beneficii nomen, & originem spectant, de quibus videri possunt Van Espen *p. 2. tit. 18. cap. 1. à n. 1. usque ad 13.* Barbosa *lib. 3. Jun. Eccl. cap. 4. à n. 1. usq; ad 8.* Layman *lib. 4. trac. 2. cap. 2. per totum*, & Petrus Rebuffus *in praxi Beneficio. p. 1. tit. Quid sit, & quot modis dicatur Beneficium.*

2 Dico primò: Beneficium Ecclesiasticum est Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, seu Deo dicatis, propter aliquod officium spirituale, authoritate Ecclesiæ constitutum. Ita Vallensis *lib. 2. tit. 5.*

§. 1.

§. 1. *n.* 3. Layman *lib.* 4. *tra.* 2. *cap.* 1. *n.* 1. Castropalao *p.* 2. *trac.* 13. *dis.* 1. *pun.* 1. *n.* 1. Pirhing *lib.* 3. *tit.* 5. *sec.* 1. *n.* 2. Barbosa citatus *n.* 8. cum pluribus aliis apud ipsos.

3 Hinc tria in Beneficio distinguuntur: Primum est ipsum officium, seu obligatio, qua quis tenetur exercere aliquam functionem spiritualem, veluti recitare horas Canonicas, vel ministrare Sacramenta, & hoc est merè spirituale, neque est Beneficium, sed causa Beneficii, cum Beneficium detur propter officium. *Cap. fin. de Rescrip. in* 6.

4 Secundum est Jus percipiendi fructus ex Bonis ecclesiasticis, quia justum est, ut de Altari vivat, qui Altari servit. *Cap. Cum secundum. de Præben. & Dignit.* Unde fit, quod in Ecclesia non debent esse plures Clerici, quàm ali possint, juxta *Cap. Authoritate. de Institutionibus.* Hoc autem Jus dicitur à Canonistis Beneficium, & est quid spirituale, non in se, cum sit potiùs quid morale, imò ut ait Layman citatus cum Suarez *Cap.* 1. *n.* 2. *ver. Ratione Spiritualis Officii.* hoc Jus est temporale in se spectatum, sed respectivè, quatenus est annexum Officio spirituali, est spirituale.

5 Tertium sunt ipsi fructus, qui percipiuntur ex Bonis donatis Ecclesiæ, qui sunt quid temporale. Atque ita Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 34. *dub.* 1. *n.* 1. & 2. Castropalao *cit. n.* 2. Vallensis *à n.* 4. *usque ad* 7. Barbosa *n.* 9. & 10. & reliqui omnes, qui agunt de Beneficiis.

6 Dico secundò: Jus percipiendi fructus, debet esse perpetuum, quia Beneficium Ecclesiasticum datur in Titulum, & non ad tempus; atque ideo ex sua Institutione perpetuum est; unde qui illud habet, non potest eo privari, nisi in casibus in Jure expressis. *Can. Præcepta. dist.* 55. *Can. Sanctorum. dist.* 60. Barbosa cum pluribus *n.* 11. *n. autem* 12. advertit, quod licèt sit de essentia Be-

Digitized by Google

Beneficii perpetuitas, ſpectato Jure communi, non repugnat tamen, quod ex ſpeciali Jure, vel Privilegio aliquod Beneficium ſit non perpetuum. Vallenſis autem *n.* 7. ait, quod ſi aliquod Beneficium ſæculare fiat amovibile, deſinit eſſe propriè Beneficium, ſicut non eſt propriè Beneficium, quod erigitur à ſua fundatione, & ſtatuto, non perpetuum; Beneficia verò Regularia habent non eſſe perpetua, non ex ſua inſtitutione, ſed quia Regulares ea obtinentes ſunt ſubjecti Superiori ſuo quo ad Officia, & habitationem, ideoque amoveri poſſunt à loco Beneficii. Videatur Caſtropalao *à n.* 4. *uſque in finem pun.* 1. ubi agitat hanc quæſtionem, an ſit de ratione Beneficii perpetuitas? & *n.* 6. reſolvit, quod de Jure Canonico, & in communi acceptione Beneficium debet eſſe perpetuum, & in ſe, & in Beneficiato.

7 Per hoc Jus, quod habent Beneficiati in fructus Beneficii, conſtituuntur Domini abſoluti illorum fructuum, qui ſunt neceſſarii ad ſuſtentationem propriam, & familiæ, ac decentiam Status. Superfluorum autem ſunt Domini, ſed cum limitatione, ut in uſus pios erogent. Atque hæc eſt opinio, quam ut veram defendit Layman *loco citato cap.* 3. & alii graves Doctores.

8 Dico tertiò: Requiritur ad Beneficium, quod ſit authoritate Eccleſiaſtica conſtitutum, quia nullus alius, niſi Papa, vel Epiſcopus poteſt annectere Jus percipiendi fructus Officio ſpirituali, nec ullus alius habet authoritatem ſacrandi ipſos fructus, reddendo eos Eccleſiaſticos. Videatur Barboſa *à n.* 15. *uſque ad* 24.

Digitized by Google

§. SECUNDUS.

QUOTUPLEX SIT BENEFICIUM ECCLESIASTICUM?

9 BEneficia aliqua sunt Majora, aliqua Minora; Majora sunt Papatus, Cardinalatus, Patriarchatus, Primatia, Archiepiscopatus, Episcopatus, & Abbatia. Quod autem hæc sint Beneficia, probat Barbosa cum aliis ex variis textibus *dicto Cap.* 4. *lib.* 3. *Jur. Eccl. à n.* 47. *& deinceps.* Pirhing *lib.* 3. *tit.* 5. *sec.* 1. §. 2. *n.* 9. quanvis in odiosis non veniant nomine Beneficiorum; cum sint culmina Beneficiorum, & Dignitatum.

10 Beneficia aliqua sunt Sæcularia, aliqua Regularia. Colligitur talis divisio: *ex Cap. Cum de Beneficio.* & *Cap. Cum Singula. de Præben. & Dignit. in* 6. Regulare Beneficium est, quod Religiosis tantùm conferri potest, ut est Abbatia, Prioratus, & Canonicatus Regularis. Sæculare Beneficium est, quod est debitum, & addictum Clericis sæcularibus, idest qui nullam professi sunt Regulam approbatam, sed in sæculo serviunt Deo.

11 Utrum autem Beneficium sit Sæculare, vel Regulare, colligendum est aut ex fundatione, aut consuetudine, aut præscriptione 40. annorum. *dicto Cap. Cum de Beneficio. de Præben. in* 6. Quoties autem dubium est, an sit Regulare, vel Sæculare, præsumendum est Sæculare, & incumbit onus probandi Regularibus, quia favorabilius est libertati Ecclesiæ, quod Beneficium sit Sæculare, & quia primus Clericatus fuit sæcularis. Vallensis *lib.* 3. *tit.* 5. §. 2. *n.* 12. Castropalao *trac.* 13. *dis.* 1. *pun.* 2. *n.* 2. Barbosa *lib.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 4. *n.* 41. & alii apud ipsos. Quod si vacavit Beneficium per mortem Regularis, censendum est Regulare, si per mortem Sæcularis, Sæculare,

Digitized by Google

re, quia talis eſt ultimus Status Beneficii, & per conſequens eſt in poſſeſſione conſtitutum, à qua recedi non poteſt ſine manifeſta ratione.

12 Omnia Beneficia, ſive Sæcularia, ſive Regularia, alia ſunt duplicia, alia ſimplicia. Beneficia duplicia ſunt, quæ duplici onere ſunt conſtituta, nam præter onus recitandi Officium, curam habent animarum, vel adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum, vel exercitium aliquod Jurisditionis in Clericos, vel præeminentiam in Choro. Atque ideo.

Beneficia duplicia, vel ſunt Parochialia, & dicuntur Curata, nimirum quæ curam Animarum habent cum ſola Jurisdictione miniſtrandi Sacramenta, ſine Jurisdictione judiciali externa: vel ſunt Dignitates, nimirum quæ Jurisdictionem in Clericos externam habent, ſine Juriſdictione in foro Sacramentali, cum adminiſtratione rerum Eccleſiaſticarum, ut ſunt Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Decanatus: vel ſunt Officia, nimirum quæ ſolam adminiſtrationem habent rerum Eccleſiaſticarum ſine ulla Jurisdictione, ut Theſaurariatus: vel ſunt Perſonatus, nimirum quæ ſolam præeminentiam localem in Choro habent ſine Jurisdictione, ut Canonicatus. De his omnibus locuti ſumus *lib. 1. cap. 3. §. 1.* ubi diximus hodie ex conſuetudine confundi nomina prædicta, & vocari Dignitates, quæ ſunt Officia, aut Perſonatus de Jure.

13 Simplicia Beneficia ſunt reliqua omnia, quæ nihil prædictorum habent. In caſu autem dubio, an Beneficium ſit ſimplex, vel duplex, cenſeri debet ſimplex, quia qualitas non præſumitur, niſi probetur. Caſtropalao *dicto pun. 2. n. 3. in fine.* cum Garzia, & Cardinali Tuſculano.

14 Beneficia alia ſunt Collativa, alia Electiva, alia Miſta. Collativa ſunt, quæ pro voluntate Superiorum

Digitized by Google

conferuntur. Electiva, quæ per electionem conferuntur confirmanda à Superiore, servatâ formâ eligendi. *In Cap. Quia propter. de Elect.* quod si ita per electionem conferatur Beneficium, ut non indigeat confirmatione alterius Superioris, tunc potiùs dicendum erit Collativum, quàm Electivum. Mista sunt, quæ sunt de Jure Patronatus, nimirum quæ conferuntur à Superiore, præsentante, aut nominante Patrono. In dubio præsumitur Beneficium collativum, seu liberum. Castropalao *pun.* 2. *n.* 5.

15 Alia Beneficia sunt manualia, alia non manualia. Manualia sunt, quæ ad nutum Superioris conferentis avocari possunt, atque hæc non sunt propriè Beneficia, quia carent perpetuitate, & ideo in dubio Beneficium præsumitur non esse manuale. Non manualia sunt, quæ semel collata, non possunt auferri, nisi in casibus à Jure permissis.

16 Alia dantur Beneficia Patrimonialia, idest quæ conferri non possunt, nisi Clerico oriundo ex tali Patria, vel loco, aut Parochia. Non Patrimonialia sunt, quæ cuique etiam extero conferri possunt.

17 Sunt & alia nomina Beneficiorum, nimirum Cappellania, Vicaria perpetua, Commenda, seu Præceptoria Militaris Ordinis, aut Beneficiorum Sæcularium, Coadjutoria, Præstimonia &c. De quibus deinde singillatim agemus. Interim.

18 Quæro: utrum Beneficium sæculare possit conferri Regulari, & regulare Sæculari?

19 Dico primò: Beneficium regulare non habens administrationem Monasterii potest Clerico sæculari conferri cum hac conditione, ut ille habitum Religionis suscipiat, & se obliget ad Professionem emittendam juxta Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 10. *de Reform.* cui obligationi debet post annum satisfacere, ut putat Castropalao *punct.* 3. *n.* 2. Beneficia autem habentia administrationem in

Religione, ut sunt Abbatiæ, non possunt in titulum conferri, nisi Religiosis professis. *Cap. Cum in Magistrum. de Elect. & cap. Nullus. eodem tit. in 6.*

20 Dico secundò: Regularibus alterius Religionis non potest conferri Beneficium competens Religiosis unius Ordinis. Tridentinum *sess. 14. de Reform. cap. 10.* Imò neque Religiosis ejusdem Ordinis in alio loco residentibus. *Cap. Cum singula. §. Prohibemus. de Præb. in 6.*

21 Dico tertiò: Beneficia sæcularia simplicia aliter quam possunt Religiosis conferri. *Cap. Cum de Beneficio. de Præb. in 6.* Nec potest Episcopus in hoc dispensare. Pirhing *lib. 3. tit. 5. n. 118. ver. Simplicia.* Nec possunt hodie Beneficia Curata sæcularia ad tempus conferri Religiosis (quidquid sit de Jure antiquo) sine Papæ dispensatione, ut declaratum esse à Sacra Congregatione Concilii, annuente Gregorio XIII. referunt Castropalao *punct. 3. n. 10.* & ex Piasecio Vallensis *lib. 3. tit. 5. §. 2. n. 11.* & Mandosius *in Praxi signaturæ gratiæ. tit. de Obtinend. dispensat. Monach. pro Beneficiis.* ait hodie non dispensari cum Monacho ad Beneficium Curatum obtinendum. Barbosa etiam refert declarationem *dicto Cap. 4. lib. 3. Jur. Eccl. n. 80.* & Van Espen *p. 2. tit. 18. cap. 3. n. 32.* Excipe in casu necessitatis, quando scilicet nullus adesset Clericus sæcularis, qui curam haberet Animarum. Quod idem intelligitur de Beneficio regulari, quod in necessitate dari potest sæculari Clerico. Castropalao *n. 11.* cum Rebuffo, Gonzalez, & aliis. Vallensis *dicto n. 11.* Barbosa *n. 39.* cum pluribus aliis, & Pirhing *lib. 3. tit. 5. sect. 4. §. 2. n. 116.*

22 Dico quartò: Potest tamen Regularis ad Episcopatum promoveri. *Cap. Religiosus. Cap. Nullus Religiosus. §. Ad dignitatem. de Elect. in 6.* & *Clement. 1. de Elect.* Non autem ad alias Prælaturas Episcopatu inferiores, ut aliqui putant, quia non est similis ratio, cum Episcopa-

tus

tus sit Beneficium præscindens à sæculari, vel regulari, & cum sit religiosior Monachatu. Ita cum pluribus Castropalao *n.* 7. Barbosa *dicto Cap.* 4. *lib.* 3. *Jur. Eccl. n.* 77. Pirhing. *n.* 117. Electus Religiosus ad Prælaturam extra suum Monasterium, debet habere licentiam sui Superioris, ut consentiat electioni. *dicto Cap. Si Religiosus. de Elect. in* 6.

§. TERTIUS.

DE CAPPELLANIA, ET CAPPELLANO.

223 Cappellania triplex est: alia, quæ sine auctoritate Prælati fundata est, ut in ea succedat aliquis Clericus de Parentela, vel alius ex nominatis à Patrono laico. Alia est, quæ licèt cum auctoritate Prælati fundata sit, tamen ad nutum est amovibilis, & dicitur manualis. Alia demum est, quæ cum auctoritate Prælati, vel Apostolica fundata est, & perpetua, & in Titulum creata, quæ dicitur Cappellania Collativa; ideoque Cappellania vel est quoddam Legatum relictum pro celebratione Missarum, vel Beneficium Ecclesiasticum cum onere celebrandi Missas, & inserviendi Ecclesiæ.

224 Cappellania sine authoritate Prælati fundata, etiamsi sit perpetua, nimirum usque ad obitum Cappellani, non est Beneficium Ecclesiasticum, sed pium legatum, quia deest illi requisitum necessarium, nimirum quod sit constituta authoritate Ecclesiastica.

225 Hinc ad eam non requiritur ætas requisita ad Beneficium Ecclesiasticum, nec in ea obtinenda committitur Simonia, si pactum aliquod intercedat; nec qui eam habet, tenetur ad Officium divinum recitandum, neque stat sub dispositione Episcopi, ita ut ab eo conferri possit, sed sub pia dispositione Fundatoris, ejusque suc-

cessorum etiam Laicorum, qui donare possunt, cui voluerint talem Cappellaniam, dummodo habeat conditiones à Fundatore requisitas. Quare Cappellaniæ sine authoritate Episcopi fundatæ cum onere celebrandi certas Missas, sunt Laicales. Habet tamen Episcopus Jus visitandi illas, ut impleatur voluntas Testatoris, quia semper stat, quod sint Legata pia, quanvis se intromittere non debeat in eorum provisione. Ita ex multis Doctoribus, & Decisionibus. Barbosa *lib. 3. Jur. Eccl. cap. 5. à n. 3. usque ad* 12.

26 Notandum, quod si reperiatur, Cappellaniam possideri per Collationem, aut Institutionem factam ab Episcopo, præsumitur esse Beneficium, & ideò ab Episcopo conferri potest post mortem talis Possessoris. Verùm si constiterit de voluntate Fundatoris, quod non voluerit eam facere Cappellaniam Collativam, seu Beneficium, requiritur præscriptio 40. annorum, nimirum quod jam à 40. annis fuerit ab Episcopo collata, ut habeatur pro Beneficio. Ita idem Barbosa *n.* 12. cum aliis.

27 Cappellaniæ amovibiles, seu manuales, etiamsi authoritate Episcopi sint institutæ, non sunt Beneficia Ecclesiastica. Hinc per pactum initum, ut obtineatur talis Cappellania, non fit Simonia. Ita Riccius *in Collectan. Decision. p. 4. collect.* 789. *in principio*; nec aliquis potest ordinari in Sacris ad Titulum Cappellaniæ amovibilis, ut docent plures, quos sequitur, & citat Barbosa *dicto Cap. 5. lib. 3. Jur. Eccl. n.* 19. Item hæ Cappellaniæ manuales possunt tolli sine causa, dummodo in amovente cesset dolus, & odium. Ita Selva *de Beneficiis p. 3. q.* 68. *in fine.* Pignatelli *tom. 9. Consult.* 143. *n.* 46. & alii, quos sequitur Barbosa *n.* 17.

28 Cappellaniæ perpetuæ in Titulum erectæ authoritate Apostolica, vel Episcopi sunt Ecclesiastica Beneficia, & dicuntur, ut noravimus, Cappellaniæ collativæ.

Ita

Digitized by Google

Ita Glossa *v. Beneficiorum. in Clement. de Decimis.* Azorius *Institutionum moralium p. 2. lib. 3. cap. 8. q. 3.* Roccius *in Decis. Curiæ Neapol. Archiepiscopalis. decis. 190. n. 10.* Barbosa *lib. 3. Jur. Eccl. cap. 5. n. 20.* & alii plures apud ipsos.

29 Hinc qui eam habet tenetur ad horas Canonicas recitandas ex Navarro *de Oratione Cap. 20. n. 7.* Azorio *p. 1. Instit. moral. lib. 10. cap. 3. q. 5.* Suarez *de Relig. to. 2. trac. 4. lib. 4. cap. 20. n. 12.* & aliis multis, quos affert Barbosa *cit. n. 21.* & *de Offic. & Potest. Episc. p. 2. alleg. 12. n. 10.* Insuper qui eam habet, potest ad ejus Titulum Ordines sacros recipere. Idem Barbosa cum aliis *n. 23.* & deinde addit, quod etiamsi ab initio non fuerit Cappellania authoritate Episcopi erecta, si postea Fundatore consentiente, ab Episcopo fuerit collata, & in Beneficium erecta, poterit quis ex ejus Titulo ordinari.

30 Hujusmodi Cappellaniæ aliquando habent proprium Oratorium publicum, seu Ecclesiam; aliquando Altare proprium in Ecclesia: aliquando autem onus adjuvandi in cura animarum Rectorem Ecclesiæ, aut Plebanum, & tunc requirunt residentiam: aliquando habent etiam onus assistendi in Choro, & servitii personalis, & tunc non possunt obtineri simul cum Canonicatu sine dispensatione Apostolica. Fagnanus ex Sacra Congregatione *lib. 1. in Cap. Ut Abbates. n. 93. de Ætat. & Qualit. & Ord. Præficiend.* Duas Cappellanias sub eodem tecto unifórmes habere non est permissum.

31 Quoties Cappellania talis est, ut in ejus fundatione solum dicatur, quod eam obtinens celebret tot Missas in Hebdomada, toties conferri potest non Sacerdoti, qui per alium satisfacere potest onere Missarum, dummodo sit in ætate 14. annorum requisita à Tridentino *sess. 23. de Reform. cap. 6.* ad quodlibet Beneficium. Ita Sacra Congregatio sæpius decidit, ut refert Pignatelli

Digitized by Google

to. 7. consult. 2. à n. 4. & Fagnanus *dicto lib. 1. in Cap. Ut Abbates. n. 63. & seq. de Ætate, & Qualit. &c.*

32 Nec Episcopus potest cogere Cappellanum, ut fiat Sacerdos, & celebret per se ipsum, quia bene satisfacit intentioni Fundatoris, per hoc quod alius celebret. Ita censuit Sacra Congregatio, quam refert Pignatelli *cit. n. 5.* & Barbosa *dicto Cap. 5. lib. 3. Jur. Eccl. n. 32.* ubi multos Authores citat, qui dicunt tunc solùm debere Cappellanum cogi ad Sacerdotium, quoties Fundator expresserit, quòd per se ipsum celebrare debeat. Et idem dicit Pignatelli *n. 10. dictæ Consult. 2. to. 7. in qua n. 6.* defendit, quòd etiamsi Fundator dixerit, quòd præsentetur ad Cappellaniam Sacerdos, qui Missas celebret, dummodo non fuerit appositum (*per seipsum*), potest conferri Clerico talis Cappellania, qui per alium celebret.

33 Præterea, ibi addit, quòd quamvis in fundatione diceretur debent ipsi Cappellani in Altari privilegiato *duas Missas celebrare*, adhuc Sacra Congregatio censuit dictos Cappellanos non teneri per se ipsos celebrare. Ratio horum omnium, & similium est, quia in talibus Cappellaniis respicitur effectus Celebrationis, qui eodem modo habetur, sive per seipsum celebret Cappellanus, sive per alium. Unde est, quòd Cappellania non Sacerdotalis simplici Clerico conferri potest, ut docent innumeri Doctores, quos refert dictus Pignatelli *loc.*

34 Si verò Fundator exprimeret, quòd Cappellanus per seipsum celebret, tunc Cappellania dicitur Sacerdotalis, & conferri non potest, nisi actuali Sacerdoti, aut Clerico, qui sit in ætate, in qua intra annum ad Sacerdotium promoveri possit, nisi vel huius fundationis exprimerent determinatè qualitatem Sacerdotii actualis in eo, qui præsentetur ad Cappellaniam; dum enim actualitas Sacerdotii non exprimitur, sufficit, ut sit vel habe-

tudi-

tudine Sacerdos; deest posse in numerum fieri Sacerdos, vel actu Sacerdos. Ita ex decisionibus Sacræ Congregationis Pignatelli *à n.* 18. *usque in fin. dict. Consult.* 2. *to.* 7. Fagnanus *in Cap. Ut Abbates. de Ætate & Qualit. &c. n.* 52. *Ada* autem 87. *quæ* regulam, quidem in gnosci possit an, & quando obtineat Cappellaniam debeat esse actu Sacerdos, & omeri Missarum per se ipsum satisfacere.

35 Cappellanus quotidie obligatus celebrare, propter causam majoris honestatis unam Missam omittere, nisi hebdomada, si institutio Missæ dirigatur ad personam Sacerdotis his verbis: *eligatur Cappellanus, qui quotidie celebret.* Non potest tamen eo die, quo causa honestatis majoris Missam pro Fundatore Cappellaniæ non celebrat, celebrare pro alio, & accipere stipendium, ut ex communi Doctorum ait Diana *p.* 2. *tract.* 14. *resol.* 28. *in fine.* Si verò adjungantur *per se ipsum, sive per alium*, aut si dicatur *celebretur quotidie in tali Altari, aut tali Ecclesia* ita ut non persona Sacerdotis, sed locus respiciatur, tunc non potest omitti ulla Missa, sed debet Cappellanus impeditus facere, ut alius celebret. Ita innumeri Doctores, quos refert, & sequitur Barbosa *dicto Cap.* 5. *lib.* 3. *Jur. Eccl. n.* 30. & Fagnanus *lib.* 3. *in Cap. Significatum. n.* 9. *&* 10. *de Præb. & Dignit.*

36 Tempore autem Infirmitatis non tenetur supplere per alium, si ægrotaverit ad 10. dies, vel 15. Si verò ad majus tempus, tenetur supplere. Ita Barbosa citatus *n.* 35. & *de Potest. Episcopi alleg.* 24. *n.* 32. Molfesius *p.* 1. *trac.* 6. *cap. num.* 79. Diana *p.* 2. *trac.* 14. *de Celeb. Miss. resol.* 29. Riccius *p.* 1. *resol.* 340. *n.* 5. Graffius *to.* 2. *Consiliorum lib.* 3. *de Præben. difficul.* 2. *n.* 51. Fraxinellus *de Obligat. Sacerdot. tract.* 4. *concl.* 4. §. 130. & alii plures.

37 Sunt qui dicant, non teneri Cappellanum obligatum quotidie celebrare, supplere per alium, si ægrotave-

taverit per unum Mensem, aut duos. Sed hæc sententia impugnatur à Genuensi *in Praxi Cap. 47. n. 2.* & ab aliis. Castropalao autem *p. 2. trac. 13. dis. 1. pun. 6. n. 25.* quanvis *ver. Censeo.* admittat obligatum esse Cappellanum supplere per alium, quoties non est arctatus celebrare per seipsum; tamen versu *Mihi quidem.* ait, quod quoties debet per seipsum celebrare, si est justè impeditus, nunquam tenetur per alium satisfacere. Nam si impedimentum legitimum unico die existens, extinguit obligationem illius diei, cur impedimentum existens aliis diebus non extinguet obligationem pro illis diebus, cum Cappellanus æque sit obligatus singulis diebus celebrare?

Confirmat ulteriùs suam doctrinam, quia sicuti Canonicus, si est legitimè impeditus non amittit fructus Præbendæ, quanvis non interfit Choro pro toto eo tempore, quo est legitimè impeditus, v. g. ab Infirmitate; ita Cappellanus institutus in Titulum ab Episcopo non debet amittere fructus Cappellaniæ, si non celebret quotidie ex legitimo impedimento. Et ratio ulterior est, quia fructus non dantur Canonico ob actu exercitam assistentiam in Choro, sed ob Titulum Beneficii sub obligatione assistendi, si potest. Ita etiam in casu nostro. Hæc ipse, & meo judicio probabiliter.

38 Cappellanus obligatus celebrare in tali loco, tenetur sub mortali ibi celebrare, at non tenetur ad restitutionem, si alibi pro anima Fundatoris celebravit. Ita ex multis Doctoribus Barbosa *dicto Cap. 5. lib. 3. Jur. Eccl. n. 36.* Castropalao *loco citato. n. 26.* & Diana *p. 2. tract. 14. resol. 29.* ubi tamen addit posse ex parvitate materiæ excusari à mortali Cappellanum bis, aut ter in anno celebrantem in alio loco. Potest autem Episcopus ex causa concedere, ut alibi celebretur, si nequeat celebrari in loco constituto à Fundatore Cappellaniæ. Barbosa cum

aliis

aliis *in fine dicti n. 36.* ſicut ſi Eccleſia illa ſit violata, poteſt Cappellanus alibi celebrare ſine ullo peccato. Caſtropalao *dicto n. 26. ver. Dixi.*

39 Similiter tenetur Capellanus celebrare certas Miſſas veluti de Requie, aut de Beata Maria Virgine, quoties ſic in fundatione cautum eſt, niſi eo die incidat feſtum aliquod ſolemne; nam voluntas Teſtatoris non debet prævalere Ritui Eccleſiæ. Si igitur eo die ſecundùm Ritum Eccleſiæ non poſſit celebrari Miſſa votiva, aut de Requie, ſatisfaciet Cappellanus celebrando Miſsã ab Eccleſia ordinatam. Ita Doctores multi, quos adducit Barboſa *l. c. n. 37.* & Diana *p. 2. trac. 14. reſ. 31.* & Caſtrop. *n. 28.*

40 Non poteſt Cappellanus aliam eleemoſynam accipere pro Miſſa, niſi in fundatione Cappellaniæ dicatur, quod non debeat Miſſam applicare Fundatori, ſed ſolùm dicere in tali Altari, vel Eccleſia, in quo caſu celebrans in tali Altari, vel Eccleſia, ſatisfaciet Cappellaniæ, & Miſſæ valorem alteri applicare poteſt, accipiendo ſtipendium ſolitum. Barboſa ex Sacra Congregatione *n. 38.*

41 Quæritur hìc quid faciat Cappellanus, ſive Beneficiarius obligatus ad certum numerum Miſſarum, ſi redditus annui diminuantur? Reſpondetur quod privãta auctoritate non poteſt Miſſarum numerum diminuere, quia nullus poteſt voluntatem Teſtatoris mutare, niſi Princeps, & quidem cum cauſa. Ita Azorius *p. 3. lib. 12. cap. 6. q. 4.* Debet igitur recurrere ad Summum Pontificem, ut fiat diminutio Miſſarum, quia quanvis fuerit Epiſcopo conceſſa talis reductio à Tridentino *ſeſſ. 25. de Ref. cap. 4.* tamen ex Decretis Sacrę Congregationis Concilii juſſu Urbani VIII. editis *die 21. Junii 1625. de Celebr. Miſſ.* debet hodie recurri ad Sedem Apoſtolicam. Videatur Thomas Tamburinus *de Sac. Miſſæ. lib. 3. c. 1. §. 1. à n. 7.*

Eſt autem hic addendum, quod ſi Cappellanus, aut Beneficiatus non obligatus celebrare per ſe ipſum,

Digitized by Google

faciat, ut alius celebret Missas, non tenetur dare stipendium ad rationem reddituum Cappellaniæ, aut Beneficii, sed sufficit dare congruam, & solitam elemosynam. Ratio est quia Fundator non assignat redditus illos tanquam stipendium Missæ, sed ad beneficandam personam Beneficiati. Atque hæc doctrina procedit etiam stantibus Decretis Urbani VIII. *de Celebr. Missarum*, quia extat declaratio Sacræ Congregationis, quod Decreta illa prohibentia ne Sacerdotes retento sibi majori stipendio, faciant celebrare per alios minori, non loquuntur de Cappellanis, aut Beneficiatis. Ita Card. de Lugo *de Eucharistia. disp. 22. sec. 2. n. 30.* Diana *par. 2. tract. 14. resol. 11.* cum pluribus aliis, quos citat, & Tamburinus *citatus n. 37.* Neque per damnationem propositionis nonæ inter damnatas ab Alexandro VII. *die 24. Septemb. 1665.* damnatur prædicta doctrina, quia præpositio illa hæc est: *Post Decretum Urbani VIII. potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* in qua ut est manifestum, sermo non est de Cappellano, seu Beneficiato, cui, ut dixi, redditus non dantur tanquam stipendium Missæ, sed de eo Sacerdote, cui eleemosyna datur ut stipendium pro labore in celebrando. Addo quod si Sacerdos, cui datur minus stipendium, sponte remittat partem aliam, quam sibi retinet ille, cui datum est majus, neque incurrit damnationem prædictam, ut docent Lumbier *Observat. 24. n. 709.* & Illsung *trac. 6. disp. 5. art. 5. §. 2. n. 169.*

§. QUARTUS.

DE VICARIA, ET VICARIO.

42 SUpponendum, quod Vicarius in lata significatione est ille, qui in locum Officialis absentis,

tis, vel mortui, vel impediti substituitur ab habente potestatem. In Jure autem Canonico multipliciter sumitur, ut in toto titulo *de Offic. Vicar.* Non loquimur hìc de Vicario Episcopi, aut Capitulari Sede vacante, de his enim locuti sumus *in 1. lib.* sed de Vicariis prout Beneficiatis.

43 Vicarii sunt vel perpetui, vel temporales. Vicarii perpetui sunt, qui loco alterius perpetuò impediti curam animarum exercent, & talis Vicaria est propriè, & verè Beneficium, ut docent communiter; tunc autem contingit talis Vicaria perpetua, cum Ecclesia Parochialis est unita alteri Ecclesiæ, vel Cathedrali, vel Collegiatæ, vel Monasterio; & ideo necesse est, ut constituatur in ea Vicarius perpetuus, qui loco principalis Rectoris, id est Prælati, vel Capituli, vel Canonici &c. Sacramenta ministret. Talis Vicarius, quia verè titulum habet, & Beneficium curatum, ut probat cum Garsia *de Benef. p. 9. cap. 2. n. 189.* & aliis Barbosa citatus *n. 19.* amoveri non potest, nisi in casibus à Jure expressis. Ita Castropalao ex variis Juribus, & Doctoribus *p. 2. tract. 13. pun. 8. n. 1.* Barbosa *lib. 3. Jur. Eccl. cap. 6. n. 36.* & habetur *in Cap. Ad hæc. de Offic. Vicar.* Hinc omnia Jura, quæ loquuntur de Beneficiis curatis, habent locum in Vicario perpetuo. *Clement. unica. de Offic. Vicar.* Ideoque, quæ statuta sunt circa ætatem, ordinationem, & reliqua pro Rectore Ecclesiæ, seu Parocho, servari debent in Vicario perpetuo. Videatur Barbosa *loco citato n.* 18. Item videri debent, quæ diximus *lib. 1. cap. 5. de Parochis.*

44 Unum est notandum, quod Vicarius perpetuus Parochiæ unitæ Cathedrali Ecclesiæ, vel alteri, non est eligendus per concursum, sed per nominationem illorum, quorum dignitati, vel Ecclesiæ est unita Parochia, cui deputatur Vicarius. Ita decisum referunt Aloysius Riccius *in Praxi For. Ecclesiast. resol. 358. n. 1.* Garsias *de Benefic. p. 9. cap. 2. n. 289.* Barbosa *citatus n. 35.* & alii, non

Digitized by Google

autem si Parochia sit Vicaria perpetua per se existens; ideſt non unita alteri Ecclesiæ, nec Rectorem principalē habens; quia in tali casu Vicarius fieri debet per concursum. Idem Barbosa *n. 39. in fine*.

45 Vicarius perpetuus non est Rector Ecclesiæ; Rector enim est vel Prælatus, vel Capitulum. Est autem Vicarius Rector curæ animarum; seu ut alii loquuntur Rector habitualis est Prælatus, vel Capitulum; Rector autem actualis penes quem est actu exercitium regendi animas, est Vicarius; unde dicitur quod Vicarius perpetuus habeat curam animarum, non autem Rector principalis, & ideo non potest hic se ingerere in curam animarum, & Sacramenta ministrare. Ita cum multis Doctoribus, & variis adductis textibus, & decisionibus Barbosa *dicto lib. 3. Jur. Eccl. cap. 6. n. 28.*

46 Mortuo principali Rectore, non ideo removeri potest Vicarius perpetuus; imò nec à Successore illius principalis Rectoris. Ita docent Rebuffus, Gonzalez, Azorius, quos sequitur, & citat Barbosa *n. 136.*

47 Vicarius perpetuus non potest substituere alium Vicarium. *Cap. Clericus de Offic. Vicar.* nisi haberetur consuetudo in contrarium, aut Substitutus poneretur ad breve tempus ratione scilicet infirmitatis Vicarii, aut alterius impedimenti. Castropalao *part. 2. tract. 13. disp. 1. punct. 8. n. 4.*

48 Vicario perpetuo assignanda est portio congrua arbitrio Episcopi. Tridentinum *sess. 7. de Reform. cap. 5. & 7.* Eleemosynæ verò Altarium, funeralium, & aliorum Jurium Parochialium non debent computari in portionem; quia ista emolumenta percipit Vicarius ex suo labore. Ita Franciscus Leo *in Thesauro Fori Eccles. p. 1. cap. 31. sub. n. 6.* & Barbosa *n. 44.*

49 Quantitas autem Congruæ statuitur à Pio V. non major 100. scutorum aureorum, nec minor 50. Justa autem

tem est taxa in scutis 100. si omnes expensæ faciendæ sint à Vicario. Videatur Pignatelli *tom. 3. Consult. 31. n. 1.* & Barbosa *n. 43.* Talis autem taxa habet locum in Vicariis perpetuis institutis post Tridentinum, non in aliis ante Tridentinum habentibus redditus suos pinguiores, ut notat Pignatelli *tom. 4. Consult. 127. n. 3. in medio.* Plura de Vicariis perpetuis videri possunt apud Fagnanum *lib. 1. in cap. Ex parte. de Officio Vicarii à n. 1. usq; in finem.*

50 Vicarius temporalis est, qui constituitur ab habente potestatem, ut vices suppleat Parochi ad tempus, nimirum usque dum durat causa, vel finiat tempus pro quo concessa est Vicaria.

Causæ autem, ob quas debet constitui talis Vicarius temporalis, numerantur à Barbosa *dicto Cap. 6. lib. 3. Jur. Eccl. à n. 52. usque ad 56.* & à Castropalao *p. 2. tract. 13. disp. 1. pun. 8. n. 2. per totum.* & mox eas breviter dicam. Refert decisum Barbosa dicto *n. 56.* constitutionem Vicarii faciendam esse ab Episcopo, in cujus Diœcesi sita est Ecclesia Parochialis indigens tali Vicario. Ad breve autem tempus, puta 15. dies, ait Castropalao *loco citato*, quod potest Parochus sine consensu Episcopi Vicarium designare. Prælati Monasteriorum, quibus Ecclesiæ sunt unitæ, possunt etiam Vicarium designare. Ad Episcopum tamen spectat Vicarios examinare, & approbare.

51 Primò igitur constitui debet Vicarius temporalis, quoties quis legitimè præest duabus Ecclesiis, in quibus residere nequit, & ideo in una serviet per seipsum, in alia per Vicarium temporalem. Secundò: quando Parochus Ecclesiæ suæ negotiis est implicatus. Tertiò: quando Parochus suscipit peregrinationem ad Terram Sanctam. Quartò: quoties est ægrotus. Quintò: quoties abest ab Ecclesia justis de causis. Sextò: quoties nescit linguam Parochianorum. Septimò: causâ habendi Conciones ad populum.

lum. Octavò: quoties Rector, aut Parochus ex officio dejicitur, vel removetur à loco. Nonò: cum Rector, ſeu Parochus fit Religioſus, tunc enim durante Novitiatu conſtituitur Vicarius Eccleſiæ. Decimò: cum ad majus divini cultus augmentum eſt neceſſarius Vicarius. Undecimò: quoties ex diſpenſatione conceditur Eccleſia alicui in minori ætate, vel quoties Parochus electus non eſt actu Sacerdos. Duodecimò: quando vacat Eccleſia Parochialis, tunc enim ex Tridentino *ſeſſ. 24. de Reform. Cap. 19.* deputari debet Vicarius temporalis, uſquedum Eccleſia provideatur de Paſtore.

52 Tales Vicarii temporales non ſunt Beneficiati; ipſis autem aſſignatur congrua portio, juxta Tridentinum *ſeſſ. 21. de Reform. cap. 6.* Ad Titulum Vicariæ temporalis non poteſt quis ordinari in Sacris. Tales Vicarii amoveri poſſunt per eum, qui illos conſtituit, etiam ſine cauſa, ceſſante tamen malitia, non tamen ante annum ſervitii finitum. Hæc, & alia ex variis Doctoribus docet Barboſa citatus *à n. 58. uſque ad 67.*

§. QUINTUS.

DE PRÆCEPTORIIS, SEU COMMENDIS ORDINUM MILITARIUM.

53 PRæceptoriæ, ſeu Commendæ Ordinum Militarium dicuntur redditus aſſignati à magno Magiſtro, vel ab alio nomine ipſius Adminiſtratoribus Domorum, Prædiorum, vel aliorum Bonorum Religionis; unde tales Adminiſtratorres dicuntur Præceptores, ſeu Commendatores, & ipſis aſſignantur redditus hoc modo, ut certam penſionem in uſus præſcriptos ab eorum regula impendant, & reliquos fructus ſibi retineant.

54 Probabile eſt, quod Præceptoriæ Ordinis S. Joannis

nis Jerosolymitani, seu Commendę Equitum Melitensium sint veri Tituli, & Beneficia Ecclesiastica Regularia. Ratio est, quia non dantur, nisi Professis ejusdem Religionis, quorũ aliqui sunt Clerici, alii ut pote in toto rigore Religiosi, sunt verè personæ Ecclesiasticæ, licèt Ordines non habeant. Præterea tales Commendæ sunt aptitudine, seu ex natura sua perpetuæ, licèt ratione obedientiæ, & ex vi Professionis possint eas Obtinentes à Superiore amoveri, prout supra notavimus de Beneficiis Regularibus, quibus non deest perpetuitas, per hoc quod Beneficiati ratione obedientiæ, quam profitentur, possint amoveri à Superiore. Item Canonica Institutione acquiruntur; nam Superiorum authoritate conferuntur, & ob officium, quod præstant militandi contra Infideles, atque ideo nil deesse ad rationem Beneficii videtur. Ita docent Azorius *p. 2. Instit. Moral. lib. 3. cap. 26. q. 9.* Nicolaus Garsias *de Benef. p. 1. cap. 4. n. 1.* Barbosa cum aliis *lib. 3. Jur. Eccl. cap. 7. à n. 3. usq; ad 7.*

55 Accedit Constitutio Gregorii XIII. quæ incipit: *Controversiæ. 3. Kal. Maii. 1583. in Bullar. novo to. 2. pag. 466. & 467.* in qua declaratur, quod Promotus ad Episcopatum non possit retinere Præceptoriam Ordinis S. Joannis Jerosolymitani sine dispensatione Apostolica: Unde videntur ea esse Beneficia, imò in dicta Constitutione sic dicitur: *dictam Præceptoriam, sive Prædium, sive Beneficium.*

56 Dixi, *probabile est*, quia non desunt Doctores, qui Commendatarios S. Joannis Jerosolymitani non esse Beneficiarios, nec habere Beneficium doceant, sed solùm Administrationem, & Officium. Ita Joannes Quintinus *in Repetitionib. ad Cap. de Multa. de Præben. n. 6. & ex n. 163.*

Ratio autem pro hac sententia, quam probabiliorem existimo, loquendo de Commendis, quæ dantur Equitibus

bus Laicis, non verò de his, quæ dantur Clericis ejuſdem Religionis Profeſſis, ut mox oſtendam. Ratio, inquam, conſtabit ex his, quæ afferam in ſequentibus.

57 Præceptoriæ Militares, vulgò Commendæ, Ordinis S. Joannis Jeroſolymitani, S. Jacobi, Alchantaræ, Calatravæ &c. non ſunt Beneficia. Probatur, quia tales Præceptoriæ non dantur propter Officium ſpirituale, ſed propter operam omnino temporalem, militiam ſcilicet, in qua ſe exercent Equites. Nec Commendatarii recipiunt aliquem Ordinem Sacrum, aut ſaltem Minorem, neque ad divinum Officium recitandum aſtringuntur, ſed tantùm ad certas preces ex vi eorum Regulæ, & Profeſſionis, non ex vi Commendæ; ergo dictæ Commendæ non ſunt Beneficia. Atque ita docent Philippus Cornelius *p. 3. conſil. 66.* Mandoſius *Regula 6. Cancell. q. 11. n. 3.* Petrus Gregorio *Syntagma Jur. lib. 15. cap. 34. n. 2.* Barboſa *lib. 3. Jur. Eccleſ. cap. 7. n. 9.* ubi hanc ſententiam, ut probabiliorem amplectitur.

58 Prædicta ratio, ut patet, militat pro Commendis Equitum Melitenſium laicorum, ac proinde ſi commendæ Equitum aliorum Ordinum militarium non ſunt Beneficia, neque iſtæ; cum non obſtet, quod Equites Melitenſes laici ſint verè, & propriè Religioſi. Namlicèt Equites Sancti Jacobi &c. non profiteantur omnimodam Caſtitatem, ſed ſolùm Conjugalem, tamen etiam ipſi ſunt Perſonæ Eccleſiaſticæ, cum ſint in Ordine approbato à Papa, & dicuntur Religioſi. *Cap. Cum & plantare. de Privil.* ibi: *Fratres Templi, & Hoſpitalis, & alii Religioſi.* & probat Emmanuel Rodericus *to. 1. quæſt. Canonic. Regular. q. 1. art. 6.*

59 Præterea tales Commendas dari titulo ſæculari, nempe militari, docet Diana *p. 5. trac. 14. miſcel. 2. reſol. 94. verſu Verùm.* ubi citat Sanchez, & Hurtadum de Mendoza, qui ex hoc, quod Commendæ iſtæ donatæ ſint

à Pon-

Digitized by Google

à Pontifice Militibus, putat Equites S. Joannis, etiam si votum Paupertatis solemne faciant, tamen non esse ad tale votum ita astrictos, sicuti sunt cæteri Religiosi, & ideo fructus Commendæ pro suo arbitratu expendere possunt.

60 Neque obstat ratio supradicta *n.* 54. quod scilicet tales Commendæ non conferantur nisi Religiosis professis, ac proinde sint annexæ statui Religioso, qui est Spiritualis: quia Professio Religiosa non est titulus, seu officium, propter quod datur Commenda, sed est conditio requisita ex parte recipientis Commendam, prout si Pontifex præciperet, quod talia bona non distribuantur, nisi Religiosis, non ideo illa bona essent Ecclesiastica, seu spiritualizata, & annexa titulo spirituali. Titulus igitur, ob quem datur Commenda in Ordinibus Militaribus etiam S. Joannis Jerosolymitani est propter Militiam, & servitium temporale, non propter Professionem Religiosam, ideoque rationem Beneficii non possunt Commendæ istæ, seu Præceptoriæ habere, cum non sint propter officium Spirituale.

61 Neque obstat secundò, quod ex Institutione Ecclesiastica militiam exerceant Equites prædicti, & ipsi Ecclesiæ serviant, dum contra Infideles pugnant, quia semper stat officium militandi esse temporale: unde sicut datur portio reddituum Ecclesiasticorum Ædituo, Cimbalistæ, œconomo, & aliis servientibus Ecclesiæ, & non ideo tales sunt Beneficiati; ita in casu nostro.

62 Denique neq; obstat Constitutio Gregorii XIII. quia non declarat esse Beneficium, sed dicit: *sive sit Præceptoria, sive Beneficium, sive quodcunque aliud* non debet retineri ab eo, qui assumptus est ad Episcopatum, sed debet dari aliis, sive Equitibus, sive Religiosis Ordinis Melitensis.

63 Addendum, quod Præceptoria illa, de qua loqui-

Digitized by Google

tur Pontifex, erat Clerici, qui aſſumptus fuit ad Epiſcopatum; atque de talibus Præceptoriis, quæ dantur Clericis profeſſis Ordinis Melitenſis, qui vulgò dicuntur (Frà Cappellani) non dubito, ut ſuprà innui, affirmare, quod ſint Beneficia, quia præter jam dicta *n.* 54. verè adeſt officium ſpirituale, propter quod dantur, nempè propter ſervitium miniſtrandi Sacramenta omnibus, qui ſunt in triremibus, & propter aſſiſtentiam in Choro, ad quam prædicti Fratres Cappellani tenentur.

§. SEXTUS.

DE PRÆSTIMONIIS.

64 PRæſtimonia ſunt ſtipendia quædam inſtituta pro Studentibus, & pro Militantibus in defenſionem Fidei, & dicta fuerunt Præſtimonia à præſtando munus, ſeu officium, vel obſequium. Ita Hoſtienſis *in Cap. Poſtulaſti. de Reſcrip.* Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancell. Gloſſa* 5. §. 2. *n.* 6. Barboſa *lib.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 8. *n.* 1.

65 Præſtimonia ex primæva ſui Inſtitutione, & prout dabantur, aut etiam nunc dantur Studentibus Clericis, aut Laicis militantibus pro Fide abſque ullo onere ſpirituali, non ſunt Beneficia Eccleſiaſtica: prout tamen dantur in Hyſpania Clericis in titulum, & propter onus aliquod ſpirituale, ſunt Beneficia. Ratio eſt, quia primo modo ſumptis non competit definitio Beneficii: ſecundo tamen modo ſumptis competit, ut patet. Atque ita docent Barboſa *dicto lib.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 9. *n.* 5. cum Mandoſio, Flaminio, Gonzalez, & aliis.

§. SEP-

§. SEPTIMUS.

DE COMMENDIS BENEFICIORUM.

66 COmmenda est veluti depositatio Beneficii, cum commendare idem sit, ac deponere. *L. commendare. ff. de Verbor. signific.*

67 Item Commenda alia est temporalis, alia perpetua; Temporalis est in utilitatem Ecclesiæ. Perpetua est in utilitatem Commendatarii cum facultate disponendi de fructibus, sicut verus Beneficiatus. Hinc Commendatarius ad tempus est veluti Depositarius, cui datur Beneficium in custodiam, & administrationem. Commendatarius perpetuus est nihilo minor Beneficiato; nam Commendæ istæ fuerunt adinuentę, ut, qui non erat habilis ad titulum Beneficii, haberet Beneficium, ut Commendatarius; & ideo Commenda est dispensatio quædam ad obtinendum Beneficium alioqui prohibitum obtineri; ita qui est sæcularis e. g. non potest habere Beneficium Regulare in Titulum, potest tamen habere in Commendam perpetuam, ideoque nō tenetur esse Professus Religionis, nisi in Bulla Commendatiquis id fuerit expressum. Ita cum pluribus citatis Barbosa *lib. 3. Jur. Eccl. cap. 9. à n. 1. usque ad 26.* Castropalao cum aliis *p. 2. tract. 13. dis. 1. pun. 8. à n. 5. usque ad 10.*

68 Hodie Beneficia Ecclesiarum Parochialium ab Episcopo ad tempus commendari non possunt, sed debet in his constitui Vicarius ex Tridentino *sess. 24. de Refor. cap. 18.* Castropalao *cit. n. 8.* Barbosa *n. 9.* Reliqua Beneficia commendari ad tempus non est amplius in usu. Idem Castropalao *ibidem.* Unde fit, quod solus Summus Pontifex possit hodie Beneficium commendare, quia solùm sunt in usu Commendæ perpetuæ. Ita Zechius *de Be-*

Digitized by Google

nefic. & Pensionib. cap. 7. n. 2. Garzias *de Benefic. p. 4. cap. 4. n. 13.* Barbosa *3. p. de Potest. Episc. alleg. 59. n. 6.* Castropalao *cit: n. 9.* Præterea, ubi dubium fuerit, an Summus Pontifex in perpetuum, vel ad tempus commendaverit Beneficium, censendum est commendasse in perpetuum, tum quia Commendæ ad tempus non sunt in usu, tum quia, si voluisset tempus limitatum, id expressisset, tum quia actus censendus est perpetuus, dum terminum ullum non habet. Ita cũ pluribus Castropalao *cit. dicto n. 9.*

69 Commendæ perpetuæ habent rationem veri Beneficii, & ideo inducunt obligationes Beneficiatorum, & subsunt omnibus Juribus, & regulis Cancellariæ loquentibus de Beneficiis. Ita Barbosa *lib. 3. Jur. Eccl. cap. 9. n. 26.* Rebuffus *in praxi Beneficior. tit. de Commenda n. 28.* Riccius *in praxi rerum Fori Eccl. p. 4. resol. 386.* Gonzalez *ad Regul. 8. Cancell. glossa 5. §. 8. n. 2. & 3.* imò Commendatarii perpetui habentur ut Titulares, & habent liberam potestatem tum in Spiritualibus, tum in temporalibus, & Abbas Commendatarius est verè Prælatus. Idem Barbosa cum pluribus *à n. 37. & deinceps.* Fagnanus *in Cap. In Ecclesiis. de Cappell. Monach. n. 2. & 27.* & nos diximus *lib. 1. cap. 6. n. 7.*

§. OCTAVUS.

DE COADIUTORIA, ET COADIUTORE.

70 COadjutoria est facultas concessa alicui adjuvandi Beneficiatum in regimine Ecclesiæ, unde à coadjuvando dicitur Coadjutor qui eam facultatem habet. Ita cum Joanne Andrea, Imola, & Butrio, Castropalao *p. 2. tract. 13. disp. 1. pun. 9. n. 1.*

71 Coadjutoria duplex est Temporalis scilicet, & Perpetua: alia cum Jure succedendi in Beneficio, alia sine tali Jure. Coadjutor Temporalis est, qui revocabiliter, pro-

Digitized by Google

propter ægritudinem, vel ex alio capite facto inutili Beneficiato, assignatur in favorem, & utilitatem Ecclesiæ, ut pro eo ministret officium cum congrua portione assignanda ex fructibus ejusdem Beneficii. Ita Gonzalez *ad Regul. 8. Cancell. glossa 5. §. 9. à n. 19.* Barbosa *lib. 3. Jur. Eccl. cap. 10. n. 2.* Fagnanus *in Cap. Ex parte. de Cler. Ægrot. n. 14.* Coadjutor perpetuus est, qui irrevocabiliter assignatur, & aliquando cum futura successione in Episcopatu, vel Canonicatu, aliquando sine tali futura successione.

72 Neque Coadjutoria temporalis, neque perpetua etiam cum futura successione est Beneficium. Ratio est, quia Beneficium remanet in Beneficiato, quia non est æquum, ut Rector Ecclesiæ inutilis factus privetur suo Beneficio, non enim est danda afflictis afflictio. *Cap. De Rectoribus. Cap. Ex parte. Cap. finali. de Cler. Ægrotan.* & *Cap. unico eodem tit. in 6.* Igitur Coadjutori sine successione futura solùm conceditur regimen Beneficii, non Jure, habitu, & potestate, sed facto ipso. Cui autem conceditur futura successio, non datur Jus in re, seu in Beneficio, sed solùm ad rem, seu ad Beneficium; ideoque Coadjutoria etiam perpetua, & cum futura successione non est Beneficium. Ita Abbas *in Cap. De Rectoribus n. 6. de Cler. Ægrotan.* Castropalao *loco citato* Azorius *par. 2. Instit. moral. lib. 3. cap. 2. q. 4.*

73 Causæ, ob quas dari debet Coadjutor Episcopo, vel Rectori Ecclesiæ, vel Canonico, vel Dignitati in Cathedrali numerantur in titulo *de Cler. Ægrotan.* & à Flaminio Parisio *de Resignat. Beneficior. lib. 7. q. 20.* & à Barbosa *lib. 3. Jur. Eccl. cap. 10. à n. 5. usque ad 21.* In universum quoties inutilis factus est Ecclesiæ Prælatus, vel Parochus &c. ita ut non possit officium exercere, toties debet ei dari Coadjutor. In specie autem, si morbo continuo, vel senio confectus sit, si ab hostibus sit captus,

se leprosus sit factus, si Paralyticus, si oculis privatus, aut usu linguæ, si demens, vel furiosus fiat. Videatur Fagnanus *in Cap. Consultationibus. de Cler. Ægrotan.* ubi n. 8. *usque ad* 24. quærens, quænam debeat esse infirmitas ad hoc, ut sit dandus Coadjutor, numerat supradictas infirmitatum species. Parocho autem illiterato, si aliàs sit honestæ vitæ, dandus est Coadjutor ab Episcopo, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato. Tridentinum *sess.* 21. *de Reform. cap.* 6. Sicut etiam, quoties populus auctus est, ita ut Rector Ecclesiæ satisfacere non possit, debet cogi Rector ab Episcopo, ut Coadjutores Sacerdotes accipiat. Tridentinum *eadem sess.* 21. *de Reform. cap.* 4.

74 Episcopis, aliisque Superioribus Prælatis solus Papa potest Coadjutores assignare. *Cap. unico. de Cler. Ægrotan. in* 6. Aliis Episcopo inferioribus possunt Episcopi, Nuntii, vel Legati Coadjutores assignare. Coadjutoriæ perpetuæ, & irrevocabiles cum futura successione post Tridentinum, quod *sess.* 25. *de Reform. cap.* 7. vult, ut nemini concedantur, non dabantur à Summis Pontificibus: sed quia ipsum Tridentinum dicit, quod Romanus Pontifex ex urgenti causa, & evidenti utilitate possit, causâ priùs cognitâ, similes Coadjutorias cum futura successione concedere, ideo à tempore Sixti V. usque modò consueverunt Summi Pontifices illas concedere. Ita Barbosa cum aliis *dicto Cap.* 10. *lib.* 3. *Jur. Eccl. n.* 32.

75 Potestas Coadjutoris temporalis tanta est, quanta ei conceditur in forma Dationis Coadjutoriæ. Gonzalez *ad Regul.* 8. *Glos.* 5. §. 9. *n.* 94. Emolumenta Coadjutoris ministrantis Sacramenta licitè acquiruntur ipsi Coadjutori. Quod si Beneficii fructus non sufficiunt ad alimenta infirmi Rectoris, & simul Coadjutoris, priùs providendum est Rectori infirmo Coadjutore, & deinde Parochiani debent alimenta Coadjutori ministrare. Coadju-

adjutus non liberatur ab onere residendi, per hoc quod Coadjutor teneatur ad residentiam personalem. Ita declaratum refert, & cum multis docet Barbosa *loco cit. à n.* 29. *usque ad* 32.

76 Denique mortuo Coadjuto expirat Coadjutoria temporalis. At Coadjutoria perpetua cum futura successione, quatenus respicit favorem Coadjuti, expirat eo modo, quo revocabilis, & temporalis cum morte ipsius Coadjuti; quatenus autem respicit favorem Coadjutoris, non expirat; imò acquirit Coadjutor, qui Jus ad rem habebat, adveniente morte Coadjuti, Jus plenum in Beneficio; nec indiget nova collatione. Ita ex pluribus Fagnanus *in Cap. Ex parte. à n.* 14. *usque ad* 17. *de Cleri. Ægrotante.*

77 Potestas Coadjutoris perpetui Episcopi tanta est, quanta permittitur ab Episcopo Coadjuto non prorsus inhabili; unde non potest se immiscere in jis, quæ Episcopus Coadjutus vult, & potest per seipsum exercere. Ea autem, quæ Coadjutor vult, & potest per seipsum exercere, non potest Episcopus Coadjutus alteri delegare. Quod si Coadjutor datus est Episcopo omnino inhabili, tunc potest solus administrare Episcopatum, cum Coadjutus non possit præstare consensum, vel dissensum rationalem. Ita Fagnanus *à n.* 17. *usque in finem.* Affert Barbosa *à n.* 34. *cap.* 10. *lib.* 3 *Jur. Eccl.* Declarationem Sacræ Congregationis concernentem ad varia dubia de potestate Episcopi Coadjutoris cum futura successione ad Archiepiscopatum, quod non possit nimirum ingredi pontificaliter Civitatem, nec uti Cruce in divinis, aut dum incedit per Urbem; nec præsente Archiepiscopo Coadjuto possit uti Cappa, sed Mantelletto, & Rocchetto. Debent tamen Canonici assistere Episcopo Coadjutori celebranti pontificaliter. Item quod de licentia Coadjuti possit benedicere populo, dum per Civitatem in-

ce-

cedit, non tamen publicare indulgentias, nisi nomine Coadjutis Coadjutor autem Canonici perpetuus cum futura successione, absente Coadjuto, habetur ut Canonicus, & sedet in Choro, ubi habet Stallum, & locum, & vocem in Capitulo, si ita in literis Coadjutoriæ, ut solet, apponatur. Pignatelli *to. 9. consult. 129. n. 41.* Barbosa *loco citato à n. 48.* Videantur plura apud ipsum *à n. 49. usque in finem*; quæ tamen facilè ex jam dictis inferri possunt. Videri etiam potest Castropalao *p. 2. trac. 13. dis. 1. punt. 10. per totum.*

§. NONUS.

DE PENSIOME, ET PENSIONARIO.

78 PEnsio sic dicta, quia pendet à Beneficio, unde extrahitur, definitur communiter: Jus percipiendi fructus ex alieno Beneficio, vel ut alii explicatiùs dicunt: certa portio ex aliquo Beneficio Ecclesiastico ad tempus justa de causa detracta, & separata. Ita Pirhing *lib. 3. tit. 12. §. 2. n. 7.* citans Lessium, Azorium, & Layman. Ita etiam Barbosa *lib. 3. Jur. Eccles. cap. 11. n. 3.* & Castropalao cum pluribus aliis *p. 2. trac. 13. dis. 1. pun. 11. §. 1. n. 1.*

79 Dicitur igitur certa portio, quia est pars quædam separata ab ipsius Beneficii redditibus, & alteri assignata. Dicitur secundò: Ad tempus, quia Beneficium est perpetuum, & morte Beneficiati non finitur, sed vacat, & alteri est conferendum. Pensio autem confertur ad tempus, idest ad vitam Pensionarii, & non vacat per mortem ejus, itaut alteri conferri possit, sed extinguitur. Potest tamen Papa ex plenitudine potestatis statuere Pensionem perpetuam, itaut de uno ad alterum transferatur. Ita cum Lessio, & Layman Pirhing *loco citato*, Dicitur tertiò: ex justa

Digitized by Google

justa causa, quia Beneficia debent sine diminutione conferri *ex Cap. unico. Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur*, ideoque, ut fiat ista diminutio, assignando alteri Portionem tanquam Pensionem, requiritur justa causa, de qua infra.

80 Pensio alia est Laicalis, seu Temporalis, alia Clericalis, seu Spiritualis. Laicalis est, quæ datur etiam Laicis ob Ministerium aliquod temporale; ut Barbitonsori Papæ, vel Cardinalium, Chirurgo, & similibus. Pensio verò Clericalis Spiritualis est, quæ assignatur Clerico ob ministerium aliquod Spirituale, v.g. Coadiutori Episcopi, Concionatori, Vicario, aut Coadjutori Parochi. Alia est Pensio mixta, quæ licèt detur Clerico, non datur propter ministerium Spirituale, sed ob aliam causam, qualis est, quæ datur Clerico pauperi ad sustentationem vitæ, vel illi, qui Beneficium resignavit, retenta sibi cum auctoritate Papæ Pensione.

81 Pensio Laicalis nullo modo est Beneficium Ecclesiasticum. Est assertio certa apud omnes. Pensio autem Clericalis an sit Beneficium, & veniat Beneficii appellatione, est valde controversum inter Doctores, ut videri potest apud Barbosam *lib. 3. Jur. Eccl. cap.* 11. ubi Doctores, & rationes pro utraque opinione refert *à n. 7. usq: ad 16.* vel apud Fagnanum *in lib. 1. Decretal. Cap. Ad audientiam. il secondo. de Rescrip. à n. 40. usque in finem*, vel apud Pignatelli *tom. 3. Consult. 7. à n. 23. usque ad 26.* vel apud Castropalao *par. 2. tract. 13. disp. 1. punc. 11. §. 1. n. 3. & 4.*

82 Dicendum primò: Pensionem, quæ assignatur in titulum Beneficii Ecclesiastici, perpetuæ Vicariæ, aut Commendæ esse verè, & propriè Beneficium. Ita Layman *lib. 4. trac. 2. cap. 18. n. 1. ver. Excludimus*. Pirhing *lib. 3. tit. 12. §. 2. n. 7. ver. Cæterum*. Fagnanus citatus *à n. 44. usque ad 48.* cum Cardinali, Ancharano, Caccialupo,

Gigante, & aliis. Item Azorius *p. 2. Instit. Moral. lib. 8. cap. 5. q. 5.* Ratio est, quia licèt appelletur Pensio, eo quia sit detracta ex fructibus Beneficii abundantis, tamen non est vis in nomine, sed cum sit titulus Beneficii, definitur ut Beneficium, & est verè Jus perpetuum percipiendi fructus Beneficii Ecclesiastici propter officium Spirituale.

83 Dicendum secundò: Pensionem Clericalem, quæ constituitur ad tempus super fructibus Ecclesiæ, & alicui assignatur, non esse propriè Beneficium. Ita communiter Doctores, ut ait idem Fagnanus *citatus n. 64.* & probat Castropalao *citatus n. 4.* eo quia talis Pensio non est Jus Spirituale perpetuum percipiendi fructus, & finitur morte Pensionarii, nec semper datur ob officium Spirituale. Habet autem Pensio Clericalis multa communia cum Beneficiis, nimirum quòd conferri non possit, nisi Clerico quòd habeat annexam obligationem recitandi officium Beatæ Virginis *ex Constit. Pii V.* quòd vacet ob assumptionem ad Episcopatum, ob Professionem Religiosam, & ob contractum Matrimonium, ut dicetur suo loco.

84 Dicendum tertiò: quod in materia odiosa Pensio Clericalis non venit nomine Beneficii, at in materia favoribili includitur sub appellatione Beneficii. Atque sic conciliantur opiniones in hac quæstione contrariæ. Ita idem Fagnanus *n. 117.* & Pignatelli *dict. Consult. 7. n. 3. n. 24.* cum pluribus, quos citat. Ratio est, quia hanc distinctionem sæpius probavit Sacra Congregatio Concilii Tridentini, & Gregorius XIII. declaravit, quo ad Privilegium fori Pensionarium censeri debere Beneficiatum. Ita idem Fagnanus *n. 131. & 132.* Videantur quæ diximus *lib. 1. cap. 12. n. 53. & 54.* Videri etiam potest dictus Fagnanus citatus, & Barbosa citatus *à n. 16. usq; ad 59.*

85 Potestas imponendi Pensiones ex justa causa competit Papæ, qui plenariam habet de Beneficiis potestatem, & dispositionem. *Cap. Licet Ecclesiasticum de Præben.*

Ben. in 6. Ita Pirhing *lib. 3. tit.* 12. §. 2. *n.* 9. Layman *dicto lib. 4. trac. 2. cap.* 18. *n.* 2. *versu Quæstio Tertia.* Castropalao *p. 2. trac.* 13. *dis.* 1. *pun.* 11. §. 2. *n.* 1.

86 Requiritur, ut dictum est, justa causa, quia quamvis validè, ut docent Corduba, Azorius, Garzias, quos citat, & sequitur Castropalao *citatus n.* 3. & Barbosa *lib.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 11. *n.* 55. tamen licitè non potest Papa Pensionem Beneficio imponere sine justa causa, ut docent communiter, & affirmat cum Castropalao citato, & supradictis Pirhing *loco cit.* Ratio est, quia commune est omni actioni, quæ sine debito fine fit, esse illicitam. Deinde est contra rationem, dispensare extra finem suũ bona Ecclesiæ, quæ fuerunt relicta illi ad augmentum Fidei, & cultus divini, & ut ait Gonzalez Tellez *in cap. Nisi essent. n.* 8. *de Præb. & Dign.* in tali casu magis dissipat Papa, quàm dispensat bona Ecclesiastica, & ideo mortaliter peccat. Quod autem validè Papa imponeret Pensionem sine ulla causa, suadetur, quia etiamsi Summus Pontifex non sit Dominus, sed Administrator bonorum Ecclesiæ, ut est doctrina Divi Thomæ 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. *ad* 7. & refertur à Fagnano *in lib.* 1. *Decretal. cap. Quantò. de Transl. Episcopi. n.* 82. tamen si dispensatio fiat inter Clericos, non videtur esse in substantia contra voluntatẽ Christi, & Ecclesiæ, cum non sit dispensatio extra Ecclesiam, sed solùm videtur esse in modo contra voluntatem Christi, dũ sine causa fit dispensatio, ideoque valida erit, quamvis illicita. Præterea Papa est Caput Ecclesiæ, ideoque, ut aliqui censent, est Dominus Bonorum Ecclesiæ, cum negari non possit dominium esse penes Ecclesiam, & consequenter penes Pontificem, qui est Caput Ecclesiæ, & Superior; ergo validè donat etiam sine causa.

87 Causæ autem, ob quas assignantur Pensiones, adducuntur à Barbosa *dicto lib.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 11. *n.* 56. Azorio *p.* 2. *Instit. moral. lib.* 8. *cap.* 5. *q.* 5. *in medio*, &

Digitized by Google

Caſtropalao *dicta p. 2. trac. 13. diſ. 1. pun. 11. §. 2. n. 1.* & quidem cauſa juſta imponendi Penſionem temporalem, ſeu laicalem eſt ſervitium Eccleſiæ faciendum, vel factum ab ipſo Penſionario, vel à Parentibus ejus, ita Ædituo, Cantori &c. aſſignatur Penſio fructuum Beneficii ob ſervitium temporale miniſtrandi, canendi &c. ſimiliter ſi Parentes Titii ſervierunt Eccleſiæ, aut fecerunt, ut aliquod emolumentum reportaret Eccleſia, ob gratitudinem erga ipſos, & ſervitium factum ab illis, habetur juſta cauſa Penſionem ipſi Titio aſſignandi, ſicut etiã ſi ipſe Titius multa ſervitia fecerit Eccleſiæ.

88 Cauſa autem juſta imponendi Penſionem Spiritualem, ſeu Clericalem duplex eſt, nimirum lucrativa, & oneroſa, & ſub his multæ cauſæ comprehenduntur. Lucrativa eſt, quoties Clerico reſervatur Penſio ex Beneficio ob aliquam piam cauſam, nimirum quia ſtudio vacat, quia honeſtè vivit, quia hoſpitalitatem exercet, aut quia eſt benemeritus de Eccleſia. Oneroſa eſt quoties Penſio conceditur Clerico, quia aliquod onus ſubit, nimirum reſignat Beneficium, juxta *Cap. Super hoc, de Renunciat.* vel quia cedit liti, & juri prætenſo, juxta *Cap. Niſi. de Præben. & Dignit.* vel quia Beneficium cum altero minori permutat, juxta *Cap. Ad quæſtiones. de Rerum permut.* Unde eſt, quod pacis causâ, reſignationis causâ, & per mutationis, ſolent conſtitui Penſiones, quæ tres cauſæ numerantur à Van Eſpen *p. 2. tit. 28. cap. 3. n. 1.* ſed deinceps totus eſt in oſtendendo eas eſſe inſufficientes. Verùm non eſt audiendus; videtur enim invehi *dicto tit. 28. cap. 1. & 2.* contra uſum Penſionum, & *capitibus ſequentibus* plura alia dicit, quæ Penſionariis placere non poſſunt.

89 Epiſcopi ordinariè loquendo non poſſunt Penſionem imponere Beneficijs, quia ex Jure Canonico debent Beneficia ſine diminutione conferri. *Cap. unico. Ut Eccleſiaſtica*

Digitized by Google

stastica Beneficia sine diminutione conferantur. Urgente tamen necessitate, & evidenti vtilitate ipsius Ecclesiæ, adhuc hodie possunt Episcopi Pensionem aliquam imponere, non quidem in perpetuum, nec cum facultate transferendi ad alium, sed solùm duraturam ad vitam gravati Beneficiarii, quo mortuo extinguitur. Ita Pirhing *dicto lib. 3. tit. 12. §. 2. n. 10.* cum Fagnano *in Cap. Nisi esset. de Præben. n. 28. & sequent.* An autem possit imponere Episcopus Pensionem duraturam ad vitam Pensionarii, ita ut mortuo Beneficiario gravato, teneatur Successor in Beneficio eam solvere, est valde controversum, & dicendum, quod non possit sine licentia Papæ, ut fusè probat Fagnanus *in dictum Cap. Nisi esset. de Præbend. n.* 40. Certum tamen est, quod non possit Episcopus reservare Pensionem solvendam resignanti Beneficium coram ipso, quia talem resignationem admittere non potest, sed solus Papa. Secundò non potest conferre Beneficium cum pacto solvendi Pensionem, hoc enim est Simonia *ex dicto Cap. Nisi esset.* ibi: *Non quidem ex pactione.* & hoc sive pactum sit de solvenda Pensione ipsi Episcopo, sive alteri. Ita Pirhing cum aliis *n.* 11. Tertiò si Episcopus sine justa causa pacis, & utilitatis Ecclesiæ, imponeret Pensionem duraturam ad vitam gravati Beneficiarii, non solùm ea esset illicita, sed invalida, ut docet Castropalao *dicta p. 2. trac. 13. dis. 1. pun. 11. §. 2. n. 6.* cum Decio, & aliis. Et ratio est, quia Pensio est contra Jus, ut supra diximus, Episcopus autem non potest sine gravi, & urgenti causa Juri derogare, ideoque debet probare causam, nec sufficit si dicat, se ex causa justa imposuisse Pensionem. Ita idem Castropalao *ibidem*: cum Abbate, Oldrado, Garzias, Barbosa, & aliis.

90 Pensio clericalis non potest conferri, nisi Clerico habenti saltem primam Tonsuram, & talis Pensionarius deferre debet Tonsuram, & Habitum clericalem, si

Pen-

Penſio excedat valorem 60. Ducatorum de Camera juxta Conſtitutionem Pii V. de qua locuti ſumus *lib. 1. Cap. 12. §. 4. q. 3.* Hinc quamvis Penſio laica, & temporalis poſſit Infanti conferri, tamen non poteſt concedi Infanti Penſio clericalis ante ſeptemnium ſine diſpenſatione Apoſtolica, cum non poſſit conferri Tonſura ante ſeptemnium. Imò nunc ex Tridentino, ſicut Beneficium non poteſt conferri, niſi in ætate 14. annorum, ita nec Penſio. Et in univerſum qui eſt incapax Beneficii, eſt incapax Penſionis clericalis. Ita Pirhing *n.* 12. & Caſtropalao *dicto trac.* 13. *diſ.* 1. *pun.* 11. §. 2. *n.* 4.

91 Verùm Fagnanus *in Cap. Cum in cunctis. de Elect. n.* 89. quærens quænam ætas requiratur pro Penſionibus clericalibus nunc dari ſolitis, & adducens Doctorum ſententias concludit *n.* 102. quod in Decreto Tridentini *ſeſſ.* 23. *cap.* 6. requirentis ætatem 14. annorum pro Beneficiis, non comprehenduntur Penſiones. Idipſum docet Stephanus Gratianus *to.* 3. *diſceptat. forenſ. cap.* 397. *n.* 17. *& ſequ.* Leſſius *lib.* 2. *de Juſt. cap.* 34. *dubit.* 38. *n.* 103. Riccius *in praxi deciſ.* 430. *in prima editione*, & aliis, quos refert ipſe Caſtropalao. Atque hæc opinio concordat cum eo, quod diximus, nimirum quod Penſiones clericales in odioſis non veniunt nomine Beneficii, quamvis veniant in favorabilibus. Legendus eſt Fagnanus *à dicto n.* 89. *uſque ad* 107. Noto tamen, quod hæc doctrina non habet locum in his Penſionibus, quas diximus eſſe verè, & propriè Beneficia, aut quæ dantur propter officium, aliquod ſpirituale requirens maturitatem; in jis enim neceſſaria eſt ætas proportionata, ut manifeſtũ eſt.

92 Penſio imponi non poteſt Beneficiis Eccleſiarum Cathedralium, & Parochialium, niſi redditus Beneficii Cathedralis excedant valorem 1000. ducatorum, & Parochialis 100. ducatorum annuorum. Tridentinum *ſeſſ.* 24. *de Reform. cap.* 13. Unde hodie Epiſcopis non habentibus

Digitized by Google

tibus redditus 1000. ducatorum, & Parochis 100. ducatorum annuorum non potest imponi Pensio. In Beneficiis autem simplicibus nulla solet imponi Pensio, nisi Beneficium excedat summam 24. ducatorum annuorum, & in Canonicatibus, & Dignitatibus nec solet imponi Pensio, nisi excedat summam 100. ducatorum annuorum. Ita Pirhing cum Azorio *n.* 13.

93 Pensio debet esse moderata, ita ut Beneficiato remaneant fructus competentes oneribus, quę habet juxta *Cap. de Monachis. de Præbend. & Dignitat.* Unde ex Doctoribus censetur justa Pensio, quæ non excedit tertiam partem fructuum Beneficii; Proventus autem incerti, & quotidianæ distributiones, non censentur comprehendi sub nomine fructuum Beneficii; quia tales Proventus sunt merces laboris, non fructus Beneficii. Unde quoties dicitur, solvatur tertia pars fructuum, & Proventuum universorum Pensionario, non debent computari, nisi fructus certi, nisi ex stylo Curiæ, aut in subjecta materia aliud constaret. Ita Azorius *p.* 2. *Instit. Moral. lib.* 8. *cap.* 8. *q.* 17. Pirhing *n.* 14. & alii.

94 Ad constituendam Pensionem requiritur consensus Beneficiati, quanvis de plenitudine potestatis possit Papa sine tali consensu imponere. Ita *ex Regula* 43. *Cancellariæ* Pirhing *n.* 15. cum Azorio *dicto Cap.* 8. *q.* 6. Unde nisi Papa expressè deroget dictæ Regulæ Cancellariæ, nulla est Pensio imposita Beneficio sine consensu Beneficiati. Gigas *de Pension. q.* 10. quem adducit dictus Azorius, & Garzias *de Beneficiis. p.* 1. *cap.* 5. *n.* 320. Castropalao *p.* 2. *trac.* 13. *dis.* 1. §. 5. *pun.* 11. *n.* 1. cum aliis. Solet autem Pensio constitui, cum Beneficium confertur, & tunc exigi ab eo cui confertur, consensus; quanvis non repugnet Pensionem constitui etiam postquam est collatum Beneficium cum consensu Beneficiati. Pirhing *n.* 18.

95 In Beneficio Patronato non requiritur necessariò con-

Digitized by Google

conſenſus Patroni ad hoc ut Papa imponat Penſionem. At verò ſpectato Jure communi, & honeſtate, non debet imponere ſine conſenſu Patroni laici, quia cedit in damnum Eccleſiæ diminutio Juris Patroni, ſicut ejus conſervatio eſt in bonum Eccleſiæ; ideoque quando velit Papa imponere Penſionem, debet expreſsè derogare Juri Patroni laici. Atque ita ſuſtinent Gigas *de Penſion. q.* 24. Leſſius *lib.* 2. *de Juſt. cap.* 34. *in fine n.* 207. Garzias *de Benefic.* cum aliis *p.* 1. *cap.* 5. *n.* 261. Caſtropalao *loco citato pun.* 11. §. 2. *n.* 7. In Beneficiis autem Juris Patronatus Eccleſiaſtici poteſt Papa ſine conſenſu Patroni imponere Penſionem, & ſine ſpeciali derogatione Juris ejuſdem, quia Jus Patroni Eccleſiaſtici non eſt ex fundatione, aut dotatione, ſicut eſt Jus Patroni laici, ſed ſolum ex gratia ipſius Summi Pontificis. Ita cum multis idem Caſtropalao *n.* 7. *citato*. Epiſcopus tamen etiam in caſibus, in quibus poteſt Penſionem imponere, non poteſt ſine conſenſu Patroni laici, quia Epiſcopus non poteſt derogare Juri Patroni, quod habet ex ultima voluntate Teſtatoris, & Fundatoris Beneficii, & conceſſione, & approbatione Papæ. Idem Caſtropalao *n.* 9.

96 In impetratione Penſionis debet fieri mentio prioris Penſionis jam conſtitutæ in Beneficio, non enim poteſt præſumi Papam velle duplici Penſione idem Beneficium gravare. Non debet tamen fieri mentio Beneficii prius obtenti, quando petitur Penſio ſuper aliud Beneficium; quia licèt ſi petatur aliquod Beneficium, debet fieri mentio alterius Beneficii jam obtenti, tamen in impetratione Penſionis, non debet, ſicut nec in impetratione Beneficii debet fieri mentio Penſionis jam obtentæ. Ratio eſt jam dicta, quia in odioſis Penſio non venit nomine Beneficii. Ita Pirhing cum aliis *n.* 17. De illis autem Penſionibus, quas diximus eſſe verè, & propriè Beneficia, manifeſtum eſt, quod fieri debeat mentio in literis

Digitized by Google

teris ad Beneficia impetranda. Ita Fagnanus cum aliis in *Cap. Ad audientiam. il secondo. de Rescriptis.*

97 Pensionarius per se, & ex Jure communi est obligatus solvere onera annexa Beneficio pro rata suę Pensionis. Ratio est quia, qui percipit commoduni, debet, & onera annexa perferre, juxta *Regulam 55. de Regul. Jur. in 6.* ergo si Pensionarius percipit partem fructuum Beneficii, debet proportionaliter onera annexa perferre. Quod si Pensio fuerit concessa omnino libera, tunc solus Rector Beneficii tenetur ad onera. Ita ex Azorio, Layman, & Garzias, Pirhing *dicto lib. 3. tit. 12. §. 2. n. 19.*

98 Mortuo Beneficiario, & adhuc vivente Pensionario, debet Successor in Beneficio solvere Pensionem, quia Pensio est onus reale impositum fructibus, seu reddditibus Beneficii: ergo transit cum ipso Beneficio ad Successorem, præsertim cum Successor acceptans Beneficium gravatum Pensione, jam se obligat ad illud onus. Similiter tempore quo Beneficium vacat, debet ab Administratore solvi Pensio, & etiam quando Beneneficium est sequestratum, debet solvi à Sequestro propter eandem rationem. Est autem Sequester ille, apud quem res litigiosa deponitur, ut ei, qui in causa vicerit, reddatur: *L. Sequester. ff. de Verbor. signific.*

99 Notandum quod si mortuus Beneficiarius non solverit Pensionem annis præteritis, æquum est, ut prius conveniantur ejus hæredes, quàm Successor in Beneficio pro solutione Pensionis decursæ. Verùm Pensionarius bene potest à Successore exigere solutionem, quia habet Jus super fructibus omnibus Beneficii, & ideo potest loco fructuum præteritorum, qui non extant, exigere fructus præsentes, & sequentes. Unde Successor in Beneficio tenetur solvere ex fructibus illius usque dum solvatur Pensio decursa; sicut si Beneficiarius consumit fructus unius anni, & non solvit Pensionem pro eo anno, tenetur

solvere ex fructibus anni sequentis, qui loco fructuum anni præteriti subrogantur. Ita cum aliis Castropalao *dicto trac. 13. disp. 1. pun. 11. §. 6. n. 4.*

100 Hinc etiamsi fructus diminuantur, adhuc debet solvi Pensio, quia sicut non augetur Pensio, quanvis augeantur fructus, ita nec minuitur, si ji diminuantur. Verùm si nulli percipiantur fructus, aut si ita minuantur, ut non sufficiant ad Beneficiarii sustentationem, poterit authoritate Superioris minui, vel tolli Pensio. Ita idem Castropalao *n. 5. ver. Dicendum. & ver. Credo.*

101 Pensio extinguitur primò: morte Pensionarii. Secundò: per matrimonium contractum de præsenti ab ipso Pensionario. Tertiò: per promotionem Pensionarii ad Episcopatum. Quartò: per Professionem Religiosam Pensionarii. Quintò: si Pensionarius monitus non relinquit militiam sæcularem. Sextò: per Remissionem ipsius Pensionarii, qui authoritate propria potest remittere in perpetuum Pensionem, cum ipsa sit constituta in ejus commodum, cui commodo, & Juri renunciare potest. Septimò: si Pensionarius obtineat idem Beneficium, cui erat imposita Pensio, tunc enim cessat Pensio, quæ est portio ex alieno Beneficio; sicut cessat usus fructus, acquisita proprietate rei. Per obtentionem autem alterius Beneficii distincti ab eo, cui est imposita, non extinguitur Pensio, cum non sit incompatibilis Pensio, de qua controversum est, an sit Beneficium, cum Beneficio altero. Ita Pirhing *dicto lib. 3. tit. 12. §. 2. n. 21. per totum.*

102 Plura de Pensionibus videri poterunt apud Azorium *p. 2. lib. 8. à cap. 5. usque ad finem dicti libri*, vel apud Castropalao *dicta p. 2. tract. 13. disp. 1. pun. 11. per decem §§.* vel apud Barbosam *lib. 3. Jur. Eccl. cap. 11. per totum*, vel demum apud Van Espen *p. 2. tit. 28. per novem Capita.*

CA-

CAPUT NONUM.

DE MODIS ACQUIRENDI BENEFICIA.

EXplicatis jam quidditate, & multiplicitate Beneficiorum Ecclesiasticorum, ad modos, quibus ea acquiruntur, devenimus.

1 Duobus modis acquiri possunt generaliter Beneficia, justè scilicet, & injustè. Justè per Canonicam Institutionem; injustè sine tali Canonica Institutione: nimirum per simoniam, vel per aliud medium prohibitum. Nam juxta *Regul. 1. Jur. in 6. Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine Canonica Institutione obtineri.*

2 Notandum cum Vallensi *lib. 3. tit. 7. §. 1. n. 3.* & Pirhing *lib. 3. tit. 5. sec. 2. §. 1. n. 5.* quod nomen Institutio, hic latè accipitur, prout scilicet comprehendit quamlibet Provisionem legitimam, seu modum licitum acquirendi Beneficium; Institutio enim strictè, & propriè significat Collationem Beneficii non liberam, quæ nimirum fit ab Episcopo, vel altero Superiore illi, qui præsentatur à Patrono. Modi autem legitimi, quibus acquiruntur Beneficia sunt, vel per Electionem, ad quam reducitur Postulatio: vel Præsentationem, vel per Collationem, vel per Resignationem, vel per Optionem, vel per Permutationem, vel per Unionem. Quoties igitur habetur Electio cum Confirmatione Superioris, vel Postulatio cum Admissione, vel Nominatio, aut Præsentatio Patroni cum Institutione secuta, vel Collatio libera, aut Provisio Papæ, aut Permutatio &c. toties dicitur adesse Canonica Institutio, quæ Canonica dicitur quia fieri debet secundùm Canones *in tit. de Institut.* & generatim requiritur potestas in Instituente, Idoneitas in Instituto cum aliis solemnitatibus in Jure requisitis, & distinctio inter

Instituentem, & Institutum, quia nemo seipsum instituere potest. *Cap. finali. de Instit.* de his omnibus modis est nunc breviter agendum. Sit igitur.

§. PRIMUS.

DE ELECTIONE, POSTULATIONE, ET NOMINATIONE.

3 ELectio generaliter sumpta significat Postulationem, Præsentationem, Nominationem, & Collationem, quia Electio generaliter sumpta est ex pluribus personis unius acceptio ad certam Ecclesiæ functionem; sed quando quis postulatur, præsentatur &c. habetur talis acceptio; ergo &c. Videatur Pirhing *lib. 1. tit. 6. sec. 1. §. 1. n. 1.* Electio autem specialiter sumpta prout distincta à Postulatione, Præsentatione &c. est vocatio facta canonicè alicujus personæ ad Ecclesiasticam Dignitatem vacantem confirmanda à Superiore, juxta *Cap. Nihil. de Electione, & Electi potestate.* Dixi, Dignitatem, ut sic comprehenderem, & Electionem latè sumptam, quæ est vocatio &c. ad Canonicatum, Præposituram &c. & strictè, & propriè sumptam, quæ est vocatio ad Episcopatum, seu Pastoralem Dignitatem. Postulatio autem est concors, certa, & supplex Capituli, vel aliorum Electorum petitio ad Superiorem facta, ut aliqua determinata persona promoveatur ad Dignitatem, ad quam de Jure eligi non posset propter aliquem defectum, cum tamen utilis speretur Ecclesiæ; veluti si agatur de eligendo in Episcopum, qui non est in ætate requisita, vel est in minoribus &c. Vallensis *lib. 1. tit. 9. n. 2.*

4 Differt itaque Electio à Postulatione in hoc, quod Postulatio sit introducta in subsidium Electionis; ut incapax ipsius electionis promoveatur; & nullum Jus tribuit

Po-

Postulato, cum innitatur gratiæ Superioris, qui Postulationem admittere, vel rejicere potest; & Jure ordinario solus Papa admittere potest, cum Jure ordinario ipse solus possit dispensare in Jure Canonico. At verò Electio innititur Juri, & facta est, ut capax promoveatur, & tribuit Electo Jus ad rem, ideſt ad Dignitatem, & confirmari potest de Jure ordinario etiam ab alio, quàm à Papa. & item, si inferior Prælatus, ad quem spectat Confirmatio, distulerit confirmare, devoluitur ad Superiorem. Videatur Fagnanus *in Cap. Bonæmemoriæ. de Postulat. Prælat.* ubi *à n.* 40. quærit in quo differant Electio, Postulatio, & Nominatio, & in quo conveniant. Et *numeris sequentibus* eruditè, ut solet, respondet.

5 Nominatio triplex est: prima consultoria, seu tractatoria; quæ fit ante scrutinium, dicendo: nomino talem eligendum, seu talis est dignus, qui eligatur. Secunda, quæ fit in ipso scrutinio dicendo: nomino talem, & hæc coincidit cum Electione. Tertia est, quæ fit Papæ ut ex pluribus dignetur providere uni ex nominatis.

§. SECUNDUS.

DE SERVANDIS IN ELECTIONE.

6 Dico primò: Electio fieri non potest, nisi mortuo, & sepulto Prælato. *Cap. Bonamemoriæ. de Elect.* quod idem intelligitur de aliis Electionibus ad Ecclesiasticas Dignitates. Sepulto igitur Prælato, convocari debent Capitulares omnes Ecclesiæ viduatæ, & statuere diem Electionis, & locum; quod si aliquis non fuerit vocatus, qui habebat Jus suffragii, poterit electionem factam, & etiam confirmatam infirmare. *dicto Cap. Bonamemoriæ. de Elect.* nisi ipse maluerit accedere aliorum Electioni, & noluerit interesse, quia tunc non impeditur

Ele-

Electio. *Cap. Quod ſicut. de Elect.* Imò ſi non fuerit vocatus, & poſtea ratam habet Electionem ob bonum pacis, valida eſt Electio. *dicto Cap. Quod ſicut.*

7 Si quis autem legitimè vocatus, ob juſtum impedimentum non poterit intereſſe Electioni, non poteſt per literas ſuffragium ferre. *Cap. Si quis juſto. §. Abſens quoque. de Electione in 6.* Poteſt tamen Procuratorem eligere ex ipſo Capitulo. *Cap. Quia propter. §. Illud autem. de Elect.* qui Procurator eamdem perſonam nominabit ſuo, & Mandantis nomine, niſi Mandans expreſſerit perſonam certam; quia tunc Procurator poteſt nomine ſuo unam perſonam nominare, & aliam nomine Mandantis. *dicto Cap. Si quis juſto. §. Porro. de Elect. in 6.* Quod ſi nullus de Capitulo velit eſſe Procurator, tunc permittente Capitulo, poteſt eſſe extraneus, at diſſentiente Capitulo non poteſt. *dicto Cap. Si quis. §. Abſens*, & ibi Gloſſa *Verbo. Nolente.* Denique ſi impeditus juſtè eligat plures Procuratores ex ipſo Capitulo, debent hi in ſolidum concurrere, ideſt unus ſine altero non poteſt eligere, & uno impedito, alter vices ſuppleat; vel admittatur tantùm unus, qui Capitulo placuerit, vel ſi Capitulum non conſentiat in uno eorum, admitti debet qui primus in inſtrumento procurationis nominatus eſt à Mandante. *dicto Cap. Si quis juſto. de Elect. in 6.* Vallenſis *lib. 1. tit. 6. §. 2. n. 4.*

8 Eſt notandum, quod ut valida ſit electio, debent ſaltem eſſe præſentes duæ partes eorum, qui ad Electionem vocari debent, & poſſunt, & volunt eſſe præſentes. Fagnanus cũ aliis *in Cap. Quia propter. n. 40. & 42. de Elec.*

9 Dico ſecundò: Si quis conſenſerit Electioni ſuæ factæ per abuſum Sæcularis poteſtatis, præter quam quod nulla eſt electio, fit inhabilis, ita ut ad aliam Dignitatem ſine diſpenſatione Papæ eligi non poſſit. Similiter qui Electionem faciunt per abuſum Sæcularis poteſtatis, ideſt

cui

cui se immiscuit Sæcularis potestas impediens libertatem Clericorum Electorum, sunt per triennium suspensi ab Officiis, & Beneficiis, & privati potestate eligendi pro illo tunc. *Cap. Quisquis. de Elect.* Videatur Pirhing *lib. 1. tit. 6. sec. 1. §. 6. per totum*, ubi quærit *à n. 1.* quænam sit Electio facta per abusum Sæcularis potestatis, adeo ut propterea sit nulla, & Electus, & Eligentes incurrant in pœnas prædictas, & varios distinguit casus. Breviter autem dico, quod tunc est abusus sæcularis potestatis, quoties Laicus Princeps exercet Jurisdictionem in Capitulo, & authoritativè assistit, vel coëligit, aut impedit libertatem Electorum. Quod si merè assistat, ut impediat ne Electores veniant ad arma, aut oriantur scandala, dubium est, an tunc habeatur abusus sæcularis potestatis, & mihi videtur dicendum cum eodem Fagnano *n. 33.* quod etiam tunc habeatur, quia moraliter impossibile est, quod tunc ob reverentiam Principis non tollatur libertas Electorum. Legatur ipse Fagnanus, qui multis argumentis hanc firmat opinionem.

10 Dico tertiò: Intra tres menses à die notitiæ vacationis fieri debet Electio tum in Ecclesiis Cathedralibus, tum Collegiatis quibuscumque, nisi justum habeatur impedimentum, quod ab Electoribus tolli non possit, *Cap. Ne pro defectu. de Elect.* Quod si Electores negligentes fuerint, devoluitur Electio ad proximum Superiorem, qui intra tres alios menses tenetur facere Electionem: *dicto Cap. Ne pro defectu.* Quod si hic Superior fuerit negligens, devoluitur ad Papam, ad quem statim fit devolutio, si Canonici Electores sint exempti, & alium Superiorem non habeant. *Cap. Licèt Magister. de Supplenda negligen. Prælat.* Similiter si in Præfecturis, aut Beneficiis Regularibus, quæ per Electionem fieri consueverunt, fuerint Regulares negligentes, fit devolutio ad Summum Pontificem, posito quod sint exempti à Jurisdictione Episcopi.

scopi. *Cap. Cum Singula. de Præben. in 6. in fine.* ibi: *de eis per Diœcesanos* [*si exempta non fuerint*] *alioquin per Sedem Apostolicam ordinentur*. Quod idem dicitur *Clementina unica. de Supplend. negligen. Prælat.*

11 Dico quartò: Forma Electionis triplex assignatur *in Cap. Quia propter. de Elect.* nimirum per scrutinium, per compromissum, & per quasi inspirationem divinam. Fit per scrutinium Electio, hoc pacto: convocatis omnibus Electoribus, qui possunt, & volunt interesse, eliguntur de Collegio qui vota singillatim secretò excipiunt, & in scripturam redacta publicant in præsentia Capituli, ita ut ille, in quem omnes, vel major, & sanior pars consenserint, habeatur pro canonicè Electo, & facta publicatione, nullus est ampliùs locus mutandi suffragium. *Cap. Publicato. de Elect.*

12 Dicitur major, & sanior pars, quia si major numerus consentiat in uno, & sanior pars, idest Electores authoritate, & zelo præstantes, licèt in numero minores, dummodò nõ excedantur in duplum, consentiant in alio, neutra Electio tenet. *Cap. Ecclesia vestra. de Elect.* Si tamen excedantur in duplum, idest duæ partes eligentium concordent in unum, tunc non habetur ratio alterius partis etiam sanioris, & ideo Electio tenet. Potest tamen pars sanior expugnare vota illorum ex alio capite, ostendendo esse nulla, quia Electores erant Suspensi, vel Excommunicati &c. non tamen ex capite minoris auctoritatis, aut zeli. *Cap. Si quando. de Elect. in 6.* Si denique major pars elegerit indignum, & minor dignum, tenet Electio de digno, quanvis à minori parte. *Cap. Dudum. il primo*, & *Cap. Congregato. de Elect.*

13 Per Compromissum fit electio, quoties Electores compromittunt in unum, vel plures, ita ut ille intelligatur electus, quem Compromissarius, aut Compromissarii elegerint. *Cap. Si Compromissarius. de Elect. in 6.* Debent autem

Digitized by Google

autem omnes Electores concordare in eligendis Compromissario, vel Compromissariis. *Cap. Quia propter. de Elect.* ibi: *qui vice omnium.* Et ratio est, quia interest singulorum non privari voce sua.

14 Denique fit Electio per quasi Inspirationem divinam, quando omnes unanimiter consentiunt in eligendo aliquo, veluti ducti à Spiritu Sancto, nullo tamen prævio tractatu de eligendo illo, nam, si fiat prævio tractatu, erit potiùs per instigationem, quàm per Inspirationem, ut ait Fagnanus *in Cap. Licèt de vitanda. n.* 50. *de Elect.*

15 Notandum primò, quod supradicta forma Electionis servanda est in Electione Episcoporum, seu Prælatorum Ecclesiæ tam Sæcularis, quàm Regularis; utrùm autem servanda sit in aliis eligendis Beneficiatis inferioribus Episcopo, ut est Decanus, Præpositus, Canonicus, est in dubio; & videtur dicendum, quod non sit necessariò servanda, nisi adsit consuetudo. Ita Fagnanus *in dictum Cap. Quia propter. n.* 34. *de Elect.* & nos diximus *lib.* 1. *cap.* 4. §. 15. *n.* 107. quanvis alii servandum esse etiam in talibus sentiant.

16 Notandum secundò: Quod in Electione Summi Pontificis, præter id, quod dicitur *in Cap. Licet de vitanda. de Elect.* nimirum quod non sufficit, si à majori, vel saniori parte Cardinalium fiat, sed requiritur, quod duæ partes Cardinalium ex tribus partibus concordent, servanda est constitutio Gregorii XV. quæ incipit. *Æterni Patris filius.* 17. *Kalendas Decembris* 1621. in qua dicitur, quod fieri debet in conclavi clauso, & per secreta schedularum suffragia duarum partium ex tribus partibus Cardinalium præsentium in Conclavi, in Scrutinio, vel per viam Compromissi initi ab omnibus Cardinalibus, nemine dissentiente, existentibus in Conclavi, ita ut nemo seipsum eligat, vel per quasi Inspirationem divinam omnium pariter præsentium Cardinalium, nemine di-

Digitized by Google

ſcrepante. Videri poteſt Fagnanus *in Cap. Licet de vitanda. de Elect. à n. 25. uſque in finem.* & Pirhing *lib. 1. tit. 6. tota ſect. 9. in quatuor diviſa paragraphos.*

17 Notandum tertiò: Quod in Electione Superiorum Regularium, nimirum Generalis, Provincialis, Abbatis, & Abbatiſſæ temporalium, ideſt qui durant ad tempus; ſi enim ſunt in titulum Abbates, jam ſequuntur regulam Prælatorum Eccleſiæ regularis ſupra traditam *in primo notando.* Nec ut notat Fagnanus *in Cap. Quia propter. de Elect. n. 19. & 20.* Concilium Tridentinum mox citandum derogavit formæ Electionis *in dicto Cap. Quia propter.* quoties Abbas eſt perpetuus Prælatus unius Eccleſiæ. In Electione (inquam) Superiorum Regularium ſervanda eſt forma tradita à Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. de Regular. cap. 6.* ubi dicitur, quod fiat per vota ſecreta; ita ut ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur, nec ſuppleri poſſunt vota abſentium, aut conſtitui Superiores titulares ad effectum faciendæ Electionis. Hinc forma Electionis jam explicata non ſervatur pro Regularibus Superioribus, imò nec ſervari poteſt, quia cum nomina eligentium nunquam poſſint revelari, ſequitur, quod nec per Compromiſſum, nec per quaſi Inſpirationem divinam, nec per Scrutinium fieri poteſt Electio Superiorum Regularium, cùm in Scrutinio modo dicto debeant eligi tres Scrutatores, qui vota eligentium in ſcriptis redigant, & publicent in communi, & in Compromiſſo, & per quaſi Inſpirationem divinam nullum habeatur ſecretum. Ita Fagnanus citatus *à n. 21. uſque ad 31.*

18 Notandum demiq; quòd Electio Clandeſtina eſt nulla. *dicto Cap. Quia propter. §. Electiones. de Elect.* Clandeſtina autem eſt, quoties Canonici concordant inter ſe, determinando, quòd nihil extra Capitulum de Electione dicatur. Debet igitur ſolemniter Electio quamcitò publicari.

19 Di-

Digitized by Google

19 Dico ſeptimò: Electores non poſſunt eſſe Laici, neque in hoc valet conſuetudo, aut præſcriptio. *Cap. Maſſana. de Elect.* Hinc hodie per clamorem populi Electio facta non debet confirmari. *Cap. Oſius. eodem tit.* Nec poteſt componi Epiſcopus, & Capitulum cum laico, ut hic habeat Jus ſuffragii in Eccleſia Collegiata. *Cap. Sacroſancta. eodem tit. §. Attendentes.* Præterea Electores non poſſunt eſſe Impuberes, nec illi, qui non ſunt in Sacris ex Tridentino *ſeſſ. 22. de Reform. cap. 4.* nec illi qui ſunt ſuſpenſi per Judicis ſententiam, aut excommunicati, aut Irregulares, quia Jus dandi ſuffragium pendet ab Ordine, & Beneficio. *Cap. Apoſtolicæ Sedis. de Exceptionibus. juncta Gloſſa verſu: Contingeret retardari.* ibi: *Cum ergo iſti ſuſpenſi dicantur ab Officio, & Beneficio, jam non intereſt ipſorum agere pro Eccleſia &c.* unde *cum non poſſint eligere, vel eligi, non poſſunt proſequi cauſam Electionis.* Denique nemo poteſt ſeipſum eligere, juxta *Cap. finale. de Inſtitutionibus.* Quod ſi Electio fiat per Compromiſſum, & non per Scrutinum, poteſt accidere, ut quis conſentiens Electioni ſuæ augeat numerum, & ſic Electionem ſui ipſius perficiat: e. g. ſi ſeptem ſint Compromiſſarii cum poteſtate eligendi vel unum ex ipſis, vel quemcunque alium extra ipſos ſeptem de gremio Capituli, & tres ex illis eligant unum, qui eſt ex ſeptem, & alii tres eligant alium, qui non eſt ex ſeptem, tunc ille electus conſentiens Electioni ſuæ, perficit Electionem. Ita *in Cap. Cum in Jure. de Electione &c.*

20 Dico octavò: Quoties Electio erit nulla ex defectu formæ non ſervatæ, vel quia facta fuit de Indigno, toties Electores, quia ſunt privati Jure eligendi, ad ſecundam Electionem devenire non poſſunt, ſed Electio devoluitur ad Superiorem. Si tamen aliqui Electores elegerint Indignum, & alii non conſenſerint, tunc illi, qui non conſenſerunt, reſciſſa ea Electione, poſſunt no-

vam Electionem facere, etiam si sint numero minores, quia isti tunc constituunt totum Capitulum, in quo remanet vis Capitularis. Pirhing cum aliis *lib. 1. tit. 6. sec. 1. §. 7. n. 47. & 48.*

21 Non intelliguntur tamen Electores privati Jure eligendi, nisi ex votis ipsorũ malè eligentium sit sequuta Electio cõmunis: nam si nõ est sequuta, licèt peccaverint, qui Indignum elegerunt, tamen non privantur Jure eligendi, nisi perstiterint in eo eligendo; quod ipsum intelligendum est de Eligentibus contra formam præscriptam. Idem Pirhing ex variis textibus, & Doctoribus *n.* 50. Atque hæc de Electione sufficiant; qui plura desiderat, legat ipsum Pirhing *lib. 1. tit. 6. per novem sectiones in plures. §. §. divisas; in decima autem, & ultima* de Electione Imperatoris Romani agit. Videri etiam potest Barbosa *lib. 1. Jur. Eccl. cap. 19. à n. 39. usque in finem Capitis.*

§. TERTIUS.

DE CONFIRMATIONE ELECTI.

22 Dico nonò: Facta Canonica Electione Prelati, antequam Electus administrationem Ecclesiæ suscipiat, confirmari debet. *Cap. Postquam. de Elect.* Dixi, Canonica, quia nulliter Electus confirmari non potest. *Cap. 1. de Elect. & Can. Nullus in Episcopum distin. 62.*

23 Confirmatio hodie à Summo Pontifice fit, quia omnes Ecclesiæ Cathedrales sunt ipsi reservatæ per regulam secundam Cancellariæ, ideoque sive per Electionem, sive per Præsentationem à Regibus Patronis fiat quis Episcopus, Archiepiscopus, aut Patriarcha, debet à Summo Pontifice confirmari, aut institui. Idipsum dico

de

de aliis Dignitatibus, quæ à Summo Pontifice solent conferri, quæ, si per Electionem fiunt, ab ipso confirmandæ sunt. In cæteris verò Beneficiis non reservatis Summo Pontifici debet à Superiore, ad quem spectat, confirmari Electus.

24 Dico decimò: Si quis ante Confirmationem se intromittat in administrationem Ecclesiæ, privatur illicò Jure sibi acquisito per Electionem, & ideo cassatur Electio. *Cap. Nosti. Cap. Qualiter. de Elect.* & *Cap. Avaritiæ. eodem tit. in 6.* & item fit inhabilis ad eam, vel aliam Ecclesiam. *Cap. Super eo. de Elect.* quia in tali casu cassatur Electio vitio personæ se intromittentis ante confirmationem, non vitio Electionis, quæ supponitur fuisse Canonica; quando enim cassatur vitio Electionis, potest Electus tum ad eãdem, tum ad aliam Ecclesiam eligi. *eodem Cap. Super eo.* Præterea qui eum recipiunt, & admittunt in administranda Ecclesia privantur ea vice Jure eligendi, & manent suspensi à Beneficiis, donec à Sede Apostolica gratiam obtinuerint. Glossa *in Cap. Bonæ memoriæ. il primo. verbo Licentiam. de Electione.* & *Cap. Quanto. juncta Glossa verbo Suspendimus. de Translatione Episcopi.*

25 Excipiuntur Episcopi extra Italiam in concordia Electi, qui Romam venire non possunt, quibus dispensatur, ut administrent Ecclesiam, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, dummodo nihil alienent ex bonis Ecclesiæ. *Cap. Nihil est. §. Cæterum. de Elect.* Pirhing *lib. 1. tit. 6. sec. 7. §. 2. n. 295. & 296.* Item excipiuntur illi, quibus ex consuetudine, vel privilegio competit administratio Ecclesiæ vacantis, hi enim, si fuerint electi ad eam Ecclesiam, poterunt prosequi administrationem, quam jam habent, ante Confirmationem habitam à Summo Pontifice. Vallensis cum aliis *lib. 1. tit. 6. §. 7. n. 3. prope finem.* Pirhing *lib. 1. tit. 6. §. 1. n. 292. versu Notandum quintò.*

26 Di-

Digitized by Google

26 Dico undecimò: Modus in confirmatione petenda, eſt hic, ut Electores peracta Electione quàm citiùs poſſunt, eam præſentent Electo. *Cap. Quam ſit. de Elect. in 6.* Electus autem intra menſem tenetur Electioni conſentire, vel recuſare, hoc enim eſt ei liberum. *Cap. Si Electio. de Elect. in 6.* Quod ſi diſtulerit, privatur Jure per Electionem acquiſito. *eodem Cap. Quam ſit. de Elect. in 6.* & Electores procedere poſſunt ad aliam Electionem. Poſtquam autem Electus Electioni conſenſit, intra tres menſes tenetur Confirmationem petere, ita ut, ſi ſine juſto impedimento diſtulerit petere, privatur Jure acquiſito per Electionem, & Electores ad aliam Electionem procedere poſſunt. *eodem Cap. Quam ſit.* Per *Cap. autem, Cupientes. eodem tit. in 6.* præcipitur à Nicolao III. quod Electi ad Cathedrales Eccleſias, & Regulares, quarum Confirmatio ad Summum Pontificem ſpectat, intra unum menſem poſt conſenſum, vel notitiam Electionis, debeant ipſi Electi per ſe, vel ſi fuerint impediti per Procuratorem ad Sedem Apoſtolicam venire, & tantum temporis in itinere inſumant, quantum pro locorum diſtantia neceſſarium fuerit. Electoribus autem præcipitur, ut infra octo dies Electionem præſentent Electo, aliter per triennium privati ſint Beneficiis. Videatur Pirhing *lib. 1. tit. 6. ſec. 5. §. 2. per totum*, & item *ſec. 7. §. 3. à n. 310.*

27 Dico duodecimò: Ille, ad quem ſpectat confirmare, tenetur inquirere de Electi perſona. *Cap. Scriptũ per Apoſtolicam. de Elect.* & de ejus ſufficientia, vita, & moribus, ac etiam de Electione ipſa. *Cap. Nihil. eodem tit.* itaut tunc confirmet, quoties viderit ritè omnia fuiſſe confecta. *dicto Cap. Nihil.* & *Cap. Cum Nobis olim. eodem tit.* Videatur Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. de Reform. cap. 1.* ubi de promovendis ad Cathedrales, quænam informationes capi debeant præſcribit, quam ordina-

Digitized by Google

dinationem ampliavit Gregorius XIV. in Bulla, quæ incipit: *Onus Apostolicæ. primo Maii* 1590. Videatur Pirhing *loco citato. sec.* 7. §. 4. *n.* 319. *& deinceps.*

28 Dico decimotertiò: Si Electus habuerit Coëlectum, vel aliquem Cõtradictorem, ante Confirmationem, citare debet hunc alium, aliter Cõnfirmatio nulla erit; si verò concorditer fuerit Electus, & nullus nominatim se opponit Electioni, debet fieri generale Edictum, ut stato die, si quis contra Electum, aut Electionem aliquid habeat, compareat. *Cap. finali. de Elect. in 6.*

29 Dico decimoquartò: Electus Canonicè, & Confirmatus habet Jus in re, & ante consecrationem exercere omnia potest, quæ sunt Jurisdictionis, non autem quæ sunt Ordinis Episcopalis, nimirum potest Beneficia conferre, excommunicare, subditos corrigere, causas cognoscere &c. non autem Ordines conferre, nec facere ea, quæ Episcopo ex Privilegio competunt. *Cap. Transmissam. de Elect.* Fagnanus *in Cap. Nullus. n.* 5. *de Parochiis &c.* Vallensis cum aliis *lib.* 1. *tit.* 6. §. 7. *n.* 6. *versu Ceterùm.* Jure autem novo non potest Episcopus Jurisdictionem exercere post Confirmationem suam, nec possessionem Ecclesiæ accipere, nisi obtineat literas Apostolicas, ex Constitutione Julii III. quæ incipit: *Sanctissimus in Christo Pater. anno* 1553. *die* 17. *Maii.* quæ Constitutio renovavit, & ampliavit ea, quæ dicebantur *in Extravagante Injunctæ. de Elect.* Videatur Pirhing *lib.* 1. *tit.* 6. *sec.* 7. §. 1. *n.* 293. *&* 294.

§. QUARTUS.

DE COLLATIONE BENEFICIORUM.

30 Dico primò: Collatio specialiter dicta est concessio, seu assignatio Beneficii vacantis facta

facta ab habente potestatem. Dicitur etiam provisio, & ille, cui collatum est Beneficium, dicitur Provisus de Beneficio. Ea autem, vel est libera, vel non libera. Libera est, quæ fit solo Jure Prælati. Non libera, quæ fit ad Præsentationem, Nominationem, aut Mandatum alterius; & ideo non fit solo Jure Prælati. Differt Collatio à Præsentatione, & Postulatione, per hoc quod per Collationem acceptatam acquiritur Jus in re, etiam ante possessionem adeptam. *Cap. Si tibi absenti. de Præbend. in 6.* Unde est, quod Episcopus alteri illud conferre non possit. Dixi, acceptatam, quia si Episcopus tibi conferret Beneficium, & tu intra terminum præfixum non acceptes, potest, lapso termino, illud alteri conferre. *Eodem. Cap. Si tibi absenti.* At verò per Electionem, & Præsentationem acceptatam solùm acquiritur Jus ad rem, nec Jus in re acquiritur, nisi post Confirmationem, aut Institutionem. Per Postulationem denique nullum Jus acquirit Postulatus. Videatur Van Espen *p. 2. tit. 21. cap. 2.*

31 Dico secundò: Beneficia conferendi potestatem habet in primis Summus Pontifex, & quidem sive Beneficia sint elective, sive collativa, sive libera, sive non libera. *Cap. Licet. de Præben. in 6.* Vallensis *lib. 3. tit. 7. §. 2. n. 1.* Pirhing *lib. 3. tit. 5. sec. 3. §. 1. n. 74.* Barbosa *lib. 3. Jur. Eccl. cap. 13. n. 15. in medio.* Ratio est, quia Supremus omnium bonorum Ecclesiasticorum est dispensator Papa, cum sit Ordinarius Ordinariorum, & totius Orbis Episcopus, à quo alii Episcopi potestatem conferendi Beneficia acceperunt cum subordinatione ad Sedem Apostolicam. *Can. Qui se. 2. q. 6.* Nam ab initio ad Papam spectabat Collatio omnium Beneficiorum, ut probat Parisius *lib. 1. de Resignat. Benefic. q. 10. n. 47. & 49.*

32 Hinc ut ajunt Vallensis, & Pirhing *locis cit.* cum Azorio, & Garzia potest Papa conferre non solùm Benefi-

Digitized by Google

neficia vacantia, sed etiam non vacantia, & non solùm in perpetuum, & absolutè, sed etiam ad tempus, & sub conditione, & potest uni Beneficium tollere, & alteri dare; & quidem validè etiam sine causâ. Denique potest sibi reservare sive generaliter, sive specialiter collationem Beneficiorum, & derogare Juri Patronatus sive Clericorum, sive Laicorum, ut constat *ex Cap. Licet, & Cap. Præsenti. de Præbend. & Dignitat. 6.*

33 Dico tertiò: Tribus modis potest Papa, & solet conferre Beneficia Ecclesiastica, nimirum Jure præventionis, Jure concursus, & Jure devolutionis; Jure præventionis dicitur Papa providere de Beneficio, quoties mandat provideri certam personam de Beneficio vacante in tali Ecclesia, vel proximè vacaturo, in quo casu Papa prævenit eum, qui potestatem habet conferendi Beneficium illud, quam præventionem potest facere, etiam in mensibus alternativis Episcoporum, quanvis probabilior sit opinio Castropalai *par. 2. trac. 13. disp. 2. punc. 14. n. 3.* dicentis, quòd debeat Papa expressè derogare gratiæ alternativæ concessæ Episcopo, quoties providet de Beneficio in mense ipsius Episcopi vacante, nam si expressè non deroget tali gratiæ, non censetur velle derogare, & ideo provisio facta à Papa, sine expressione talis derogationis in mense Episcopi, nulla est. Dixi, probabilior est hæc opinio, nam non desunt, qui sustineant Papam non teneri expressè derogare gratiæ alternativæ, sed sufficere, si mandet de Beneficio provideri, ut Jure præventionis teneat provisio, etiamsi in mense Episcopi vacet Beneficium; & quia Papa prior, & potior est, ideo prævalet, ut constat *ex Cap. Dudum. de Præbend. in. 6.*

34 Hinc si Papa alicui confert Canonicatum in aliqua Ecclesia, tunc Præbenda, quæ vacat, aut proximè vacatura est, conferri non potest ab alio Collatore, etiamsi

hic ignoret fuisse à Papa collatum, & semper est irrita collatio posterior. Pirhing *lib. 3. tit. 5. sec. 2. n. 26.* Valensis *lib. 3. tit. 7. §. 2. n. 1.* cum Glossa in dictum *Cap. Dudum. de Præbend. in 6.* & Ancharano *notab. 3.* quod verum est etiamsi Collator fuerit Delegatus à Papa ad conferendum Beneficium, quia Papa non se privat eadem potestate, & semper manet major, & potior.

35 Secundo modo confert Papa Beneficia Jure concursus, id est, quia Papa concurrit cum omnibus Episcopis in Beneficiis omnibus conferendis, ita ut non solùm Episcopus habeat potestatem, sed etiam Papa conferendi idem Beneficium, & ratio est, quia potestas residet in Papa tanquam in capite, in Ordinariis verò per communicationem à Papa, & derivationem; unde datur locus præventioni, ita ut Beneficium remaneat illi, cui prius collatum est, vel à Papa, vel ab Ordinario. Quod si eodem die fuerit collatum à Papa, vel ejus Legato à latere, & ab Episcopo diversis personis, & non constiterit de prioritate temporis, quia non est apposita hora, sed solùm dies in literis concessionis, tunc qui possidet præferendus est, quia melior est conditio possidentis; si tamen neuter in possessione Beneficii reperiatur, tunc præferendus ille, cui à Papa, vel à Legato à latere fuit facta collatio, quia majorem habet Papa, & ejus Legatus prærogativam. *Cap. Si à Sede. de Præben. in 6.*

36 Hinc si ab Episcopo fuerit facta potestas specialis Vicario ejus generali conferendi Beneficium, & ipse conferat illud alicui, & eodem die Episcopus illud idem Beneficium conferat alteri, si aliquis est jam in possessione, præferendus est, si neuter possidet, præferri debet ille, cui ab Episcopo fuit facta collatio, quia est à Majore potente adimere potestatem Vicario, qui est minor. Pirhing *dicto lib. 3. tit. 5. sec. 2. n. 79. &* Bo.

37 Dixi supra: vel ab ejus Legato à latere, quia hic præva-

prævalet collatio à Legato collationi ab Episcopo, quoties vel est Legatus à latere, vel habet specialem commissionem. Alii enim Legati non habent potestatem conferendi Beneficia, ut notat Glossa in dictum *Cap. Si à Sede. de Præben. in 6. verbo: Legato.*

38 Notandum, quod quoties Papa, vel ejus Legatus habens specialem commissionem, Canonicatum confert alicui *cum* expectativa Præbendæ vacaturæ in aliqua Ecclesia, toties iste præferendus est in assecutione Præbendæ alteri jam priùs tempore recepto in Canonicum; quia quanvis *ex Reg. 54. de Regul. Jur. in 6. qui prior est tempore, potior est in Jure*, tamen quando cætera non sunt paria, & Jus est inæquale, talis regula non habet locum; ideoque cum Papa sit major, & dignior omni alio, & habeat potestatem dandi Jus expectativæ ad Præbendam, quam potestatem alii non habent, sequitur, quod priùs debet assequi Præbendam Canonicus receptus à Papa, quàm receptus à Capitulo, vel Episcopo, etiam si receptus à Capitulo fuerit receptus tempore antecedenti. Ita *ex Cap. Hi qui. de Præbend. in 6.* Pirhing *citatus n.* 81.

39 Tertio modo confert Papa Beneficia Jure devolutionis, nimirum quoties ob negligentiam eorum, ad quos spectat, devolvitur Beneficium ad Papam; sed de hoc agemus infra, cum fiet sermo de tempore, intra quod Beneficia conferri debebant.

40 Dico quartò: Legati à latere, seu Cardinales Legati possunt Beneficia vacantia legationis tempore in Provincia sibi assignata conferre, & in conferendo concurrunt cum Ordinario, ita ut detur locus prævention, juxta superiùs dicta. *Cap. 1. de Offic. Legati in 6.* qui autem Legati à latere non sunt, etiam si sint Legati nati, nequaquam habent potestatem conferendi Beneficia, nisi ipsis specialiter mandetur, ut jam notatum fuit, & dicitur *eodem Cap. 1. de Offic. Legati. in 6.* Non potest tamen Lega-

tus à latere promittere beneficium vacaturum. *Cap. Detestanda. de Concessis Præben. & Eccleſia non vacantis. in 6.* quanvis poſſit Beneficium vacaturum reſervare ſibi pro certa perſona. Fagnanus *in Cap. Dilectus. il primo. de Præbend. n.* 12. & ratio eſt, quia ſi promitteret, daret Jus ad vacaturum Beneficium perſonæ promiſſariæ, at per reſervationem nullum Jus dat perſonæ illi, pro qua ipſe reſervavit, cum poſſit mutare voluntatem, & dare alteri, quando jam vacat. Nec poteſt conferre, aut reſervare ſibi Beneficia, quæ ſunt Juris Patronatus Laicorum ex fundatione, vel dotatione. *Cap. Cum dilectus. de Jure Patronatus.* Caſtropalao *par. 2. tract. 13. diſp. 2. punct. 5. n.* 11. Pirhing *lib. 1. tit. 30. §. 3. n.* 21. cum aliis; ſi autem Patronus fuerit Eccleſiaſticus, poterit Legatus à latere ſine ejus conſenſu Beneficium conferre. *Cap. Dilectus. de Officio Legati.* Nec Prelaturas Cathedralium, aut Regularium, aut Eccleſiarum Collegiatarum, nec Dignitates Cathedralium, quæ per electionem ſolent conferri, poteſt Legatus à latere conferre. *Cap. Deliberatione. de Offic. Legati. in 6.*

41 Præterea nec poteſt Legatus à latere, facta una reſervatione in una Eccleſia, vel de Beneficio ſpectante ad alicujus collationem, facere alium reſervationem in eadem Eccleſia, vel de Beneficio ſpectante ad eundem Collatorem. *Cap. Præſenti. & dicto Cap. Deliberatione. de Officio Legati. in 6.* Habito effectu primæ reſervationis poteſt uſiam facere, facta tamen mentione prioris reſervationis. Quod ſi non, forcita fuerint effectum reſervationis facta à Legato à latere, expirat reſervatio expirante legatione. Alii vero Legati tales reſervationes facere non poſſunt. *eodem Cap. Præſenti. & eadem cap. Deliberatione. de Offic. Legati. in 6.* Atque ita Mallonſio *lib. 1. tit. 30. §. 3. à n. 2. uſque ad 8.* Caſtropalao *cit. tract. punctum 25.* Pirhing *dicto §. 3. à n. 18. uſque ad 28. in fine. de Offic. Legati.*

Digitized by Google

42 Dico quintò: Episcopi in suis Diœcesibus de Jure communi sunt ordinarii Collatores Beneficiorum. Constat assertio *ex Can. Omnes Basilicæ. & sequentibus. 16. q. 7. Cap. Conquerente. de Offic. Judicis Ordinarii. Cap. Ex frequentibus. de Instit.* & eam docent Castropalao *p. 2. tract. 13. dis. 2. pun. 27. n. 1.* Vallensis *lib. 3. tit. 7. n. 3.* Pirhing *lib. 3. tit. 5. sec. 3. §. 2. n. 84.* Barbosa *de Potestate Episcopi p. 3. Allegat. 87. n. 1.* Gonzalez *ad Regulam 8. Cancellariæ. Glossa 11. n. 38.* & *Glossa 21. n. 33.* Garzias *p. 5. de Benef. cap. 1. n. 5.* & *Cap. 4. n. 1.* & 2. Piasecius 2. *par. cap. 5. art. 2. n. 10.* Excipiuntur tamen certi casus, in quibus Episcopus non potest Beneficia conferre in suâ Diœcesi, nimirum si Beneficia sint reservata Papæ, aut affecta, vel si sint de Jure Patronatus, aut ad aliorum spectant collationem ex aliquâ alia causa.

43 Notandum, quod Beneficium reservatum differt ab affecto in hoc, quod reservatio fit per verba expressa Papæ, quibus Episcopis tollit potestatem beneficium conferendi; Affectio verò fit per factum ipsum, quoties nimirum Papa confert Beneficium alicui, & ponit manum in collatione, v. g. si confert Canonicatum alicui aliàs habenti canonicum impedimentum, tunc Canonicatus est affectus, itaut pro illa vice non possit alteri, nisi à Papa conferri; item si Papa det Beneficium alicui in Commendam, tunc post mortem Commendatarii manet affectum, itaut solus Papa conferre illud possit. Item si Papa accepit renunciationem Beneficii, vel Electoribus præcepit, ne ad Electionem devenirent, illa Ecclesia, vel Beneficium manet affectum. Denique si Papa mandet provideri alicui de Beneficio vacaturo, hoc Beneficium est affectum. Itaque reservatum differt ab affecto etiam in hoc, quod reservatum nunquam potest ab Episcopo amplius conferri; affectum verò possit conferri ab Episcopo, postquam Papæ provisio est suum effectum consequuta,

& solùm conferri non potest ab Episcopo pro eo tunc, quo Papa manum apposuit super provisione illius. Ita Pirhing cum aliis *lib. 3. tit. 5. sec. 9. §. 1. n. 317. ver. Notandum.* Quænam autem sint Beneficia reservata mox dicemus.

44 Dico sextò: Collatio Canonicatuum, & Dignitatum in Cathedrali spectat aliquando ad Episcopum, & Capitulum simul, aliquando ad solum Capitulum cum consilio Episcopi, aliquando singulis Canonicis per turnum, aliquando ad Episcopum, vel Capitulum alternativè, seu per turnum. Pirhing *lib. 3. tit. 5. sec. 3. §. 2. n. 84. & 85.* Ideoque quanvis in hac materia plura dicantur in Jure communi, tamen attendendum est Consuetudini, Privilegiis, & Præscriptionibus, ut benè advertit Castropalao *dicto tract. 13. disp. 2. pun. 27. n. 2.* Unum est notandum, quod quando Episcopus simul, & Capitulum conferunt Canonicatum, tunc Episcopus habet dimidiã vocem, ita ut tantùm valeat vox Capituli, quantùm vox Episcopi. Unde si uni conferat Episcopus, & alteri Capitulum, neutra Collatio tenet. Vallensis *lib. 3. tit. 7. n. 5. ver. Quando.* Pirhing *loco cit. n. 83.*

45 Præterea illud est certum, quod collatio Beneficiorum simplicium inferiorum, idest, quæ non sunt Dignitates, & Canonicatus, salvo tamen Jure Patronatus, spectat ad solum Episcopum, etiam sine consensu, & consilio Capituli. Idem Pirhing *dicto n. 85. in fine.* Vallensis *citatus. n. 6. in fine.*

46 Notandum, quod Episcopus etiam existens extra suam Diœcesim potest Beneficia ad sui potestatem liberè spectantia conferre; si tamen existat in Romana Curia non potest Beneficia conferre in Ecclesiis suæ Diœcesis, nisi exeat à Curia, quia in Curia Romana, ubi est Papa, nulla potest ab Episcopo exerceri Jurisdictio, cum Minoris apud Majorem cesset omnis Jurisdictio. Quod convenit cum eo, quod dicitur *L. Finali. ff. de Offic. Proconsul.*

ubi

ubi statuitur Proconsulem ingredientem Urbem Romanam deponere Jurisdictionem etiam voluntariam, quam tamen exercere potest extra Romam, quamvis contentiosam non possit nisi in Provincia sibi concessa. *L. 2. ff. eodem tit.* Pirhing *cit. dicto n.* 87. *versu Notandum* 2. & *Notandum* 4.

47 Dico septimò: Etiam Abbates sive Sæculares, sive Regulares, qui habent Jurisdictionem quasi Episcopalem, habent potestatem conferendi Beneficia in suis territoriis vacantia, & Cardinales etiam non Episcopi, sed Presbyteri, vel Diaconi, habent eandem potestatem in Ecclesiis suorum Titulorum, & alii inferiores Prælati ex consuetudine, vel privilegio, vel præscriptione conferre possunt Beneficia. *Clement. unica. de Supplen. neglig. Prælator.*

48 Dico octavò: Capitulum Sede vacante potest conferre Beneficia, quæ sunt necessariæ collationis, non autem quæ spectant ad liberam collationem Episcopi, ut suo loco dictum fuit. Ea autem Beneficia, quæ simul spectant ad Episcopum, & Capitulum, potest Capitulum Sede vacante liberè conferre. *Cap. unico. Ne Sede vacante aliquid innovetur. in 6.* ubi in fine dicitur etiam, quod quoties solum consilium Episcopi requiritur ad Collationem, poterit Sede vacante illud conferri ab eo, ad quem spectat, non expectato Episcopo, à quo possit consilium peti.

49 Dico nonò: Laici, & Fœminæ non possunt spectato Jure communi conferre Beneficia; ex speciali autem privilegio Imperatori, & Regibus, & aliquando Fœminis concessam fuisse potestatem conferendi Beneficia, referunt Authores. Videatur Pirhing *lib. 3. tit. 5. sec. 4. §. 3. n. 90.* & Vallensis *lib. 3. tit. 7. §. 2. n. 11.*

50 Dico decimò: Vicarius Generalis Episcopi potest conferre Beneficia, quæ sunt necessariæ collationis, non

verò

verò ea, quæ sunt liberæ collationis sine speciali commissione ipsius Episcopi. *Cap. finali. juncta Glossa. verbo. Commissa. de Offic. Vicarii. in 6.* Vallensis *citatus. n.* 8.

51 Dico undecimò: Sequester, idest ille, apud quem deponitur res litigiosa, ut ei, qui in causa vicerit, reddatur; unde Sequester in casu nostro est ille, cui est deposita Prælatura in judicium deducta; atq; hic, si sit Clericus, potest Beneficia conferre, lite pendente, Beneficia scilicet, quorum provisio est annexa Prælaturæ, de qua litigatur. Ratio est, quia Sequester licèt non possideat, neque administret nomine proprio, sed nomine Judicis, seu Superioris, cum non possit administrare nomine Domini, nam ignoratur quis erit causam victurus, dum litigatur de Prælatura illa; tamen non debet servare fructus Beneficiorum; hoc enim cederet in detrimentum Ecclesiarum, si expectari deberet provisio illorum usque ad litis decisionem. Ita cum Azorio, & Castropalao Pirhing *citatus n.* 89. & Vallensis *n.* 9. cum Garzia.

52 Dico duodecimò: Qui bona fide est in possessione Juris Beneficia conferendi, potest licitè, & validè ea conferre, unde qui fuit institutus à possessore Bonæfidei, non debet privari Beneficio, si deinde reperiatur, proprietatem conferendi Beneficium illud ad alium spectare. Ita cum aliis dictus Pirhing *loco citato. n.* 88. Gonzalez *ad Regulam octavam Cancellariæ. Glossa* 45. §. 2. Vallensis *n.* 10. cum Garzia.

§. QUINTUS.

DE RESERVATIONE BENEFICIORUM.

53 Dico decimotertiò: Reservatio, quæ est Beneficii vacaturi per habentem ad id potestatem ad se facta avocatio, duplex est, alia generalis

alia

alia specialis. Generalis est, ut ajunt Castropalao *par.* 2. *trac.* 13. *disp.* 2. *pun.* 15. *n.* 2. & Pirhing *lib.* 3. *tit.* 5. *sec.* 9. *n.* 318. §. 1. illa, qua reservantur plura Beneficia in communi, seu ejusdem generis, ut cum reservantur omnes Ecclesiæ Patriarchales, Cathedrales &c. vel omnia Beneficia vacantia in Curia, vel in talibus mensibus &c. Specialis est, quoties reservatur certum Beneficium vel talis loci, vel ratione personæ determinatæ, nimirum cum Papa mandat, talem personam provideri de tali Beneficio, cum vacaverit. Item reservatio alia est in corpore Juris contenta, alia extra corpus Juris. Contenta in corpore Juris dicitur, quæ continetur tàm in sex libris Decretalium, tàm in Clementinis. Dicitur extra, quæ continetur in aliis Extravagantibus communibus, vel Joannis XXII. vel in aliis Decretis, & Regulis Cancellariæ. Ita Castropalao citatus, qui *n.* 3. *versu Verum*. sustinet cum aliis unicam esse reservationem in corpore Juris, nimirum quæ habetur *in Cap.* 2. & *Cap. Præsenti. de Præbon. in 6.* Cęteræ autem reservationes, quę habentur in Extravagantibus *Ex debito. de Electione. Ad Regimen. de Præbendis. & Extravagante Execrabilis. eodem tit.* reputantur extra Corpus Juris.

54 Dico decimoquartò: In dicto *Cap.* 2. *de Præbendis in 6.* reservantur Beneficia vacantia apud Sedem Apostolicam, seu in Curia Romana, ita ut à solo Pontifice Summo conferri possint. Hæc assertio plures habet limitationes, & primò quidem, si Beneficium, quod vacat apud Sedem Apostolicam est Juris Patronatus laicorum, non est reservatum Papæ, si tale Jus Patronatus competat ex fundatione, vel dotatione; aliter, si competat ex concessione Apostolica, aut si est Jus Patronatus Ecclesiasticorum, reservatum manet. Quod si Jus præsentandi competat simul Laicis, & Clericis ex fundatione Beneficii, neque reservatur tale Beneficium vacans in Curia.

Digitized by Google

Pirhing *dicto lib. 3 tit. 5. sec. 9. §. 2. n. 324. versu. Limitatur* 2. Barbosa *lib. 3. Jur. Eccles. cap. 13. n. 28.*

55 Secundò: Beneficia manualia, & ad nutum amovibilia sive Sæcularium, sive Regularium, nec comprehenduntur in dicta reservatione, quia in odiosis non veniunt nomine Beneficiorum. Ita idem Pirhing *loc. cit. n.* 325. cum Layman, & Garzia. Item nec sub reservatione comprehenduntur ista Beneficia, quæ extinguuntur morte Beneficiati, quia hæc non dicuntur vacare, sed expirare cum ipso Beneficiato.

56 Tertiò: Beneficia resignata ex causa permutationis, quia non censentur propriè vacare, non comprehenduntur sub tali reservatione. Neque ea Beneficia, quæ vacant Romæ, & pertinent ad eos, qui in Urbe degunt, & Curiales non sunt, quia talia Beneficia conferuntur à Papa Jure proprio, tanquam à Romano Episcopo, non Jure reservationis. Dixi, si Curiales non sunt, quia Beneficia Curialium sunt reservata Papæ, non solùm si Romæ moriantur, sed etiam si Curiam sequentes, dum ea aliò se transfert, moriantur in itinere, vel in loco, unde Curia discessit, quantumvis locus, ubi moriuntur, sit remotus à Curia.

57 Deniq; dubium est, an Beneficia Patrimonialia vacantia apud Sedem Apostolicam cadant sub dicta reservatione; unde standum est Consuetudini. Pirhing *dicto n.* 325. cum Covarruvia.

58 Dico decimoquintò: Si Papa intra mensem à die obitûs Beneficiati in Curia, non contulerit Beneficium, poterit Ordinarius, ad quem spectabat Collatio, illud conferre; & quidem per se ipsum, aut per ejus Vicarium Generalem, cui data sit talis commissio, non verò per Procuratorem existentem Romæ. Ita *ex Cap. Statutum. de Præbend. in 6.* Barbosa cum pluribus aliis *lib. 3. Jur. Eccl. cap. 13. à n. 34. usque ad 36.* Pirhing *lib. 3. tit. 5. sec. 9.*

Digitized by Google

sect. 9. §. 2. à n. 326. usque à 333. qui notant, quod non ideo elapso mense, qui à die obitus, non à die scientiæ computatur, ligentur manus Papæ, sed solùm solvuntur manus Ordinarii, qui intra mensem conferre non poterat. Igitur, si elapso mense adhuc Beneficium non sit collatum, poterit utique Papa illud conferre.

59 Dico decimosextò: Ex *Cap. Præsenti. de Præbend. in 6.* non solùm reservantur Beneficia vacantia in Curia, sed etiam vacantia in locis vicinis Curiæ, ideſt in locis distantibus non plùs quàm duorum dierum iter; ita ut si Legati, Nuntii, aut quivis alii, qui à Curia discedunt, vel ad Curiam veniunt, moriantur in locis vicinis Curiæ, non possunt eorum Beneficia conferri, nisi à Papa. Præterea, qui Curiales sunt, si moriantur in locis Curiæ vicinis, etiam Ecclesia Romana vacante, eorum Beneficia reservantur Papæ, nisi Domicilium habuerint in illis locis, in quibus moriuntur. Similiter si Curia Romana transfertur in alium locum, Beneficia eorum, qui Domicilium habent in tali loco, non reservantur Papæ, etiamsi moriantur, dum Curia est in eo loco.

60 Est hic notandum, quod Beneficium vacare apud Sedem Apostolicam, & vacare in Curia, solent confundi: multi tamen sustinent, quod vacare in Curia, non sit vacare ubi est Papa transeunter, sed ubi est ejus Audientia, & Cancellaria. Cæterùm quo ad effectum reservationis prædictæ, videtur dicendum, quod Beneficia sive vacent in loco, ubi est Curia, seu Audientia, & Cancellaria Summi Pontificis, sine ipso, sive vacent in loco ubi est Papa ipse, quanvis ibi non sit Cancellaria, semper reservantur Papæ, dummodo Beneficia non sint eorum, qui Domicilium ibi habent, ut supra dictum fuit; nam si vacent, ubi est Cancellaria, verè vacant in Curia; si autem vacant, ubi est Papa sine Cancellaria, verè vacant apud Sedem Apostolicam, quia ibi est Sedes Apo-

Digitized by Google

ſtolica, ubi eſt Papa, juxta Gloſſam *in Extravag. Execrabilis. Joannis XXII. verſu Romanæ Eccleſiæ. de Præben. & Dignit.* & ut declaravit Clemens VIII. *in Conſtit.* 54. quæ incipit: *Cum ob nonnullas. die* 10. *Aprilis* 1598. §. 1. unam Curiam conſtituunt & ji, qui Romæ remanent, ubi manet Cancellaria, & ji, qui Papam ſequuntur, ita ut utrobique eadem Curia Romana cenſeatur adeſſe; & *in* §. 2. dictæ Bullæ dicitur, quod tam Beneficia, quæ vacant Romæ, ubi eſt Cancellaria, dum ibi Papa non moratur, quàm quæ vacant, ubi ipſe eſt, reſervata ſunt. Videatur Pirhing *lib. 3. tit. 5. ſec. 9. §. 2. n. 334.* ubi tamen citat Conſtitutionem Pauli III. loco præallegatæ Conſtitutionis Clementis VIII. ſed ego hanc Clementis legi in Bullario *to. 3. pag. 70. col. 2.* illam Pauli non inveni.

61 Notandum ſecundò: Quod nomine Curialium, quo ad effectum prædictum reſervationis, veniunt omnes illi, qui Papæ, vel Cardinalibus inſerviunt, aut occaſione Curiæ in Urbe morantur propter negotia propria, vel aliena. Ita Pirhing citatus *verſu Notandum*; & Barboſa, cum pluribus aliis *lib. 3. Juris Eccleſiaſtici cap. 13. n. 24.* & *n. 26.* notat, quod requiratur Curialitas continuata uſque ad mortem, & non ſufficit, quod ſemel fuerit quis Curialis; præſumitur tamen continuata, niſi probetur mutata, uti cum aliis idem Barboſa ait *n. 27.*

62 Dico decimoſeptimò: Beneficia Parochialia, ſeu Curata, ſi in Curia vacaverint per obitum Beneficiati, ſeu Curati, & Sedes Romana fuerit vacans, non ſunt reſervata, & ideo eorum Collatio ſpectat ad Ordinarios proprios Collatores, prout ſtatuit Bonifacius VIII. *in Cap. Si Apoſtolica. de Præben. & Dignit. in 6.* ubi etiam ſtatuitur, quod etiam ſi vivente Papa, vacaverint apud Sedem Romanam talia Beneficia Curata, ſeu Parochialia, & Papa ante obitum ſuum non contulerit illa, poterunt Ordinarii Collatores ea conferre, nec per aliquas

ex

Digitized by Google

Extravagantes, quæ possunt adduci in contrarium, derogatur hujus Canonis dispositioni, ut bene probat Pirhing *lib. 3. tit. 5. n. 338.*

63 Dico decimo octavò: Reservata sunt Papæ omnia Beneficia, quæ vacant per assecutionem alterius cum primo incompatibilis conferendi ab ipso Papa; v. g. si aliquis Beneficiatus est factus Episcopus, aut Dignitas in Cathedrali, ejus Beneficia, quæ habebat, vacant, & sunt reservata. *Extravag. Execrabilis 4. de Præben. & Dignit.* & *Extravag. unica Joannis XXII. eodem tit. §. Quæ omnia.*

64 Dico decimononò: Per Regulam primam Cancellariæ reservantur Papæ omnia Beneficia, quæ reservantur *in Extravagante Regimen*, & *Extravag. Execrabilis. de Præbendis, & Dignit.* nimirum ea, quæ vacant per mortem Cardinalium, & Officialium Sedis Apostolicæ, & Curialium, & additur, quod ita reservantur Beneficia obtenta tempore, quo illi erant Officiales, ut etiamsi ante obitum desierint esse Officiales, adhuc reservantur. Insuper reservantur omnia Beneficia, quæ à Collatoribus contra formam præscriptam à Tridentino, videlicet si non habentibus ætatem, aut alias qualitates, fuerint collata. Denique per hanc regulam primam renovantur omnes reservationes contentæ *in Extravag. ad Regimen*, quia eæ reservationes fuerunt ad tempus, adeoque per renovationem fiunt perpetuæ. Pirhing cum Azorio *lib. 3. tit. 5. n. 346.*

65 Dico vigesimò: per Regulam secundam Cancellariæ reservantur generaliter omnes Ecclesiæ Patriarchales Primatiales, Archiepiscopales, & Episcopales, & omnia Monasteria virorum excedentia summam ducentorum florenorum auri; & reservantur non solùm si apud Sedem Apostolicam vacaverint, ut *in Extravag. Ad Regimen.* sed absolutè quandocunque vacaverint. Monaste-

ſteria autem intelliguntur reſervata, ſi Monachis deſtituta, aut ſi commendata fuerint. Item per eandem Regulam reſervantur omnia Beneficia, quæ vacant poſt obitum, vel depoſitionem, aut translationem, aut dimiſſionem Collatorum Ordinariorum tam Sæcularium, quàm Regularium uſque ad proviſionem ſucceſſorum faciendam authoritate Sedis Apoſtolicæ, & adeptam pacificam poſſeſſionem: non tamen reſervantur Beneficia vacantia tali tempore, quoties ordinarius Collator v. g. Epiſcopus non ſit Collator liber, ſed debet cum alio, aut ad alterius præſentationem, vel electionem inſtituere Beneficiatum.

66 Dico vigeſimoprimò: Per Regulam tertiam Cancellariæ reſervantur generaliter omnes Dignitates Majores poſt Epiſcopatum in Cathedralibus, & principales in Collegiatis, v. g. Archidiaconatus, Præpoſitura, Decanatus; majores, inquam, juxta conſuetudinem Eccleſiarum, quæ attendenda eſt, ut diximus *lib. 1. cap. 3. §. 2. n. 9.* Quod ſi in una Eccleſia fuerint plures Dignitates Majores, vel duæ principales æquales, omnes intelliguntur reſervatæ, quia non eſt major ratio de una, quàm de alia: item omnia Beneficia, quæ Familiares, & Commenſales Papæ, etiam dum ipſe erat Cardinalis, & Commenſales, & Familiares aliorum Cardinalium, dum ſunt Familiares obtinebunt, etiamſi per mortem Cardinalium deſierint eſſe Familiares eorum. Item reſervantur Prioratus, Præpoſituræ, & aliæ Dignitates principales Regularium perpetuæ, quæ non reguntur per Abbates, & quarum Priores non eliguntur à Religioſis ſimul Congregatis. Non reſervantur tamē hujuſmodi dignitates temporales. Ita cum Azorio, & Barboſa Pirhing *lib. 3. tit. 5. n. 349.*

67 Dico vigeſimoſecundò: Per Regulam quartam Cancellariæ reſervantur omnia Beneficia, quæ Collectores, & Subcollectores fructuum Cameræ Apoſtolicæ debito

bitorum in quacunque Civitate, durante hoc eorum officio, obtinebant, aut ad quæ eis Jus competebat.

68 Dico vigesimotertiò: Per Regulam quintam Cancellariæ reservantur Beneficia Curialium juxtà ea, quæ diximus supra, cum quadam extensione, nimirum ut intelligantur reservata, etiamsi decesserint Curiales e vita in quocunque loco remoto à Curia. Atque ideo hæc regula est quædam extensio *Cap. Præsenti. de Præbin. in 6.*

69 Dico vigesimoquartò: Per Regulam sextam reservantur Beneficia omnia Cubicullariorum, & Cursorum Summi Pontificis. Quæ regula debet intelligi de iis, qui tales sunt extra Urbem, seu honorarii; nam cæteri, qui sunt Commensales, & Familiares Papæ, jam comprehenduntur in tertia Regula.

70 Dico vigesimoquintò: Per Regulam septimam reservantur omnes Canonicatus, Præbendæ, Dignitates, & Officia in Basilica S. Petri, S. Joannis Lateranensis, & Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe. Item omnia Beneficia, quæ vacant, dum Cardinales, ad quos spectat sive collatio, sive institutio, sive provisio eorum, sunt absentes à Curia Romana. Ubi notandum est, quod si Cardinalis abest à Curia Romana ex legitima causa, & cum licentia Papæ, non amittit Jus conferendi Beneficia vacantia tempore absentiæ. Item si aliquis est accidentaliter Episcopus, vel Archiepiscopus, & non ratione Cardinalatus, ut sunt sex Cardinales Episcopi, nimirum Ostiensis, Portuensis, Sabinensis, Albanensis, Prænestinus, & Tusculanus, adeoque ratione residentiæ in sua Ecclesia abest à Curia, non amittit Jus conferendi Beneficium vacans tempore absentiæ. Solùm igitur per hanc Regulam reservantur Beneficia vacantia in Ecclesiis titularibus Cardinalium de Urbe, sive in Diœcesibus sex Episcoporum Cardinalium; & per hoc in regula prædicta ad verba illa (*absentium ratione suorum Episcopatuum*) additur verbum

bum *Cardinalatus*, ut intelligatur de Episcopatibus Cardinalitiis. Ita Cocchier *in Regul. 7. n. 12.* & Barbosa *de Potest. Episc. Alleg. 57. n. 128.* quos sequitur Pirhing *lib. 3. tit. 5. n. 352. vers. Notandum 2.*

71 Dico tandem, per Regulam octavam reservantur omnia Beneficia sive curata, sive non curata sæcularia, & regularia ubicunque existentia, quæ vacant mensibus Januarii, Februarii, Aprilis, Maii, Junii, Augusti, Octobris, & Novembris. Concedit autem Pontifex omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis residentibus in propriis Ecclesiis, ut possint conferre Beneficia, quæ sunt liberæ collationis, vacantia extra Curiam, & aliunde non affecta, aut reservata ipsi, in Mensibus Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris, & Decembris. Atque hæc concessio dicitur gratia alternative, quia alternatim sex menses reservantur, & sex conceduntur, ita ut Januarius sit Papæ, Februarius Episcopi, Martius Papæ, Aprilis Episcopi, & sic deinceps.

72 Notandum primò sub hac Regula comprehendi solùm illa Beneficia, quæ verè sunt Beneficia, non verò manualia, aut non perpetua, quia hæc non sunt strictè Beneficia, nec dicuntur vacare, si perpetua non sunt.

73 Notandum secundò quod non comprehenduntur Beneficia de Mensa Episcopali, aut Abbatiali, cui sunt perpetuò incorporata, adeoque nunquam vacant, nec Commendæ sive temporales, sivè perpetuæ, quia etiamsi per obitum Commendatarii cessent, non tamen vacant, sed semper ut priùs sunt.

74 Notandum tertiò: Quod non comprehenduntur sub hac regula Prioratus, & Prælaturæ Ordinum Regularium Mendicantium, quia non sunt perpetui; nec Regularium Militarium, quia hi Prioratus sunt excepti specialiter in tertia regula. Neq; Canonicatus, seu Præbendæ Doctorales, & Magistrales, quæ per concursum con-

Digitized by Google

conferuntur, neque Beneficia consistentia in Ecclesia non numerata, ideſt quæ non habet certum numerum Canonicorum, seu Beneficiatorum, sed augentur, aut minuuntur Beneficiati, juxta quantitatem fructuum, qui percipiuntur, quia talia Beneficia non vacant morte Beneficiati, sed extinguuntur.

75 Notandum quartò: Quod si facta indagatione non constat, num Beneficium vacaverit Menſe Papali, an Episcopali, præsumendum pro Episcopali, si Episcopus præveniret Papam in conferendo Beneficio. Item si non constat, num Papa prævenerit, & nec Provisus à Papa, nec Provisus ab Episcopo est in possessione, præferendus est Provisus ab Episcopo. Ratio est, quia Episcopus fundat suam intentionem in Jure communi, per quod provisio Beneficiorum suæ Diœcesis ad eum spectat; ergo dum non constat de reservatione facta, quia non constat de menſe, in quo vacaverit Beneficium, non potest suo Jure privari. Quandò autem Papa non Jure reservationis, sed Jure concursûs cum omni Episcopo provideat de Beneficio, tunc, ut dictum fuit, præferendus est Provisus à Papa, quoties dubium est, quis prævenerit, Episcopus scilicet, an Papa. *Cap. Si à Sede. de Præben. in 6.*

76 Notandum quintò: Quod hæc reservatio est temporalis, dicit enim Bulla Apostolica: *usque ad suæ voluntatis Beneplacitum.* Atque ideo spirat morte Papæ, undè Sede vacante Romana, cessat reservatio Mensium, & Episcopi possunt liberè conferre Beneficia vacantia quocunque menſe, donec novus Papa publicet denuo regulas Cancellariæ, quod fieri solet postridie suæ Electionis.

77 Notandum sextò: Quod ab hac Regula excipiuntur Beneficia, quæ vacant per resignationem, non quidem conditionalem, & in favorem Tertii, quia hæc cum non possit ab Episcopo, sed debeat à Papa admitti, non vacabit Beneficium extra Curiam, de qua vacatione loqui-

quitur Regula, & à qua fit exceptio, si vacat causâ resignationis: igitur excipitur Beneficium vacans causâ resignationis puræ, quæ fit in manibus Ordinarii, & ideo hanc resignationem potest Episcopus admittere, & conferre in quocunque mense alteri Beneficium. Sicut etiam, quoties vacat Beneficium causâ permutationis, quia in tali casu est etiam resignatio pura.

78 Notandum septimò: Quod excipiuntur ab hac regula Cardinales, qui omnibus mensibus vacantia Beneficia, quæ ad eos spectat conferre ut Ordinarios Collatores, conferre possunt. Etiam excipiuntur Reges, & Principes, qui ex privilegio Sedis Apostolicæ conferunt Beneficia, quia hi in generalibus reservationibus non comprehenduntur. Item excipiuntur Beneficia, quæ sunt laicalis Patronatûs, & quæ vigore concordatorum facto rum cum Sede Apostolica liberè providentur.

79 Denique notandum, quod in impetratione Beneficii debet exponi affirmativè, & non in dubio mensis, in quo vacavit, non enim vult Papa præjudicare Ordinariis Collatoribus in suis mensibus. Videatur Pirhing *lib. 3. tit. 5. à n. 353. usque ad 356.* Castropalao *trac. 13. disp. 2. pun. 22. usq; ad pun. 23.* Cocchier *in Commentariis ad regulas Cancellariæ in regulam 8.*

80 Circa gratiam alternativæ Episcopis concessam sunt notanda primò, quod solis Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis conceditur, nō autē cęteris Collatoribus. Est gratia, quia soli quatuor menses erant Episcopales, nimirum Martius, Junius, September, & December; per alternativam autem sunt sex, quanvis Martius, & September per alternativam reserventur Pontifici; Conceduntur tamen ex Mensibus Pontificiis Februarius, Aprilis, Augustus, & October. Ex quo inferunt Doctores, quod sive Episcopus resideat, sive non, potest semper conferre Beneficia vacantia in mensibus Junii, & Decem-

cem-

cembris, quia tales menses, nec ex vi regulæ octavæ, nec ex vi gratiæ alternativæ sunt reservati.

81 Notandum secundò: Quod in gratia alternativa solùm comprehenduntur Beneficia liberæ Collationis; cætera autem, quæ Episcopus non potest sine consensu, vel interventu Capituli conferre, vel quæ spectant ad Electionem, aut Præsentationem Ecclesiasticam non continentur sub alternativa; adeoque solùm in quatuor mensibus ordinariis provideri possunt, nimirum Martio, Junio, Septembri, & Decembri.

82 Notandum tertiò: Quod hac gratia alternativæ non gaudent Episcopi, Archiepiscopi &c. nisi ab ipsis acceptata fuerit, & ad Datariam Papalem fuerint transmissæ eorum literæ acceptationis; quare cessat gratia, si quis post acceptationem fuerit translatus ad alium Episcopatum, quia acceptatio facta fuit solùm, quo ad primum Episcopatum. Similiter cessat hæc gratia per renunciationem ipsius gratiæ acceptatam à Papa, Item per mortem Pontificis, per quam expirant omnes Regulæ Cancellariæ. Item si Episcopus se intromittat in provisionem Beneficiorum reservatorum Papæ. Item si Episcopus non resideat in sua Diœcesi; cessante autem tali gratia, statim redit reservatio quo ad menses Februarii, Aprilis, Augusti, & Octobris, qui sunt menses Papales, seclusâ gratiâ alternativæ. Videatur Cocchier *in Commentariis in Regulas Cancellariæ.* Pirhing *lib. 3. tit. 5. de Præbend. & Dignit. à n. 356.* Castropalao *trac. 13. disp. 2. punct. 23. per totum & punct. 24.* ubi alias reservationes in pœnam alicujus delicti appositas refert, & Barbosa *lib. 3. Jur. Eccles. cap. 13. per totum.*

§. SEXTUS.

DE PRÆSENTATIONE, ET JURE PATRONATUS.

83 EXplicatis duobus modis juſtè acquirendi Beneficia, nimirum per Electionem, & Collationem, reſtat tertius, qui eſt per Præſentationem; eſt autem Præſentatio Exhibitio legitimè facta perſonæ per Patronum Epiſcopo, vel alteri, ad quem ſpectat, ut ei provideat de Beneficio vacante. Jus autem Patronatus eſt Jus nominandi, ſeu præſentandi aliquem inſtituendum ad Beneficium vacans, quod Jus conceditur *ex Cap. Nobis. de Jure Patronatus.* & Tridentino *ſeſſ. 14. de Reform. cap. 12.* vel per fundationem, vel ædificationem, vel dotationem Eccleſiæ; unde habetur verſus: *Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.* Poteſt etiam acquiri tale Jus per conſuetudinem, aut privilegium, aut præſcriptionem quadraginta annorum. Vallenſis *lib. 3. tit. 38. n. 4.*

84 Poſſunt plures eſſe Patroni ejuſdem Beneficii, ſi nimirum unus fundat Eccleſiam, ideſt dat fundum, ſeu ſolum ubi Eccleſia conſtruitur, alius conſtruit, alius dotat de neceſſariis ad Miniſtrorum ſuſtentationem, vel ſi plures concurrunt ad fundandam, conſtruendam, & dotandam; & poteſt unus eſſe Patronus, ſi nimirum idem fundat, conſtruit, & dotat Eccleſiam. Quod ſi aliqua Eccleſia minor conſtruatur ſubjecta alteri Matrici ob populi diſtantis commoditatem; tunc non ſolùm ille, qui Eccleſiam minorem conſtruxit, aut dotavit, ſed etiam ille, qui Majorem regit, habet Jus Patronatus, adeoque ad utrunque pertinet præſentatio Sacerdotis pro Eccleſia minori, ſeu Filiali, quando Eccleſia Matrix ſuos, quos antea habebat, proventus Eccleſiæ minori reliquit, & alter eandem

Digitized by Google

dem construxit, aut auxit. *Cap. Ad audientiam. de Eccles. ædificandis.* Abbas *in dictum Cap. n.* 10. Layman *lib. 4. tract. 2. cap.* 131 *n.* 1. *ver. Ex dictis.*

85 Duplex est Jus Patronatus; aliud Laicale, aliud Ecclesiasticum. Laicale est, quod competit alicui personæ, vel Communitati, sive laicæ, sive ecclesiasticæ ratione fundationis, constructionis, vel dotationis Ecclesiæ ex bonis propriis, seu patrimonialibus. Ecclesiasticum est, quod convenit personæ Ecclesiasticæ, vel ratione dignitatis, v.g. quia est Episcopus, Decanus, Abbas &c. vel ratione fundationis, vel constructionis, vel dotationis Ecclesiæ ex bonis Ecclesiasticis. Cæterum sicut Jus Patronatus, quod fuit laicale ab initio, quia acquisitum ex fundatione &c. ex bonis patrimonialibus, fit Ecclesiasticum, si donetur Monasterio, aut annectatur Dignitati Ecclesiasticæ; ita quod fuit ab initio Ecclesiasticum, si persona, quæ illud habet, potest de superfluis testari, & consanguineis relinquere, potest etiam Jus Patronatus illis transmittere, & fieri laicale. Ita Garzias *de Benefic. par. 5. cap. 1. n.* 594.

86 Si à Patrono laico intra quatuor menses à die vacationis Beneficii non fiat præsentatio, amittit ipse Jus præsentandi pro ea vice, & collatio fit libera. *Cap. Quoniam. & Cap. Cum propter. de Jure Patronatus.* Ab Ecclesiastico verò patrono intra sex menses fieri debet præsentatio. *Cap. unico. §. Verum. de Jure Patronatus in 6.* Quod si duo sint simul patroni, & unus sit Laicus, alius Ecclesiasticus, gaudet Laicus privilegio Ecclesiastici ob societatem, & præsentare potest intra sex Menses. Abbas *in Cap. Eam te. de Jure Patronatus.*

87 Juri Patronatus laicali nunquam censetur derogatum per concessionem, vel reservationem, aut unionem factam à Papa, nisi fiat expressa mentio. *Clemen. 2. verbo Apostolicis. de Præbend.* quod si fiat expressa mentio, & dicatur

catur *etiam laicorum*, tamen non intelligitur derogari Juri Patronatus Regum, Principum, & Comitum, Marchionum, & Ducum. Ita docet Covarruvias, Joannes Staphilous, Garzias, quos citat, & sequitur Layman *lib. 4. trac. 2. cap. 13. n. 5.* Atque hic habet locum, quod paulo ante diximus, nimirum si simul sint Patroni Laicus, & Ecclesiasticus; non censetur derogari per reservationem, aut concessionem factam à Papa tali Juri Patronatus; quia Laicus non debet pati incommodum ob societatem Ecclesiastici. Similiter si laicus Patronus cum Ecclesiastico concordaverit ut una vice ipse præsentet solus, & altera vice Ecclesiasticus solus, debet attendi quo Mense vacaverit Beneficium. Si enim Mense pontificio vacaverit, & præsentatio spectet ad Ecclesiasticum, tunc per reservationem tollitur jus præsentandi, & spectat ad Papam. Si verò spectat præsentatio ad Laicum, non obstat ipsi Mensis pontificius.

88 Legatus à latere potest derogare Juri Patronatus Ecclesiastico. *Cap. Cum dilectus. de Jure Patronatus.* non verò laicali. Glossa *ibidem verbo. Præsentare.*

89 Patronus laicus postquam unum præsentavit, potest alium præsentare, & Episcopus instituere, quem judicaverit præferendum. *Cap. Cum autem. de Jure Patronatus.* Patronus autem Ecclesiasticus præsentato uno, non potest alium præsentare. Quod si præsentet, debet Episcopus, eum, qui fuit prius præsentatus, instituere, supposita idoneitate. *Eodem Cap. Cum autem.*

90 Si Patronus laicus indignum præsentat, potest alium præsentare jussus ut præsentet. Ecclesiasticus verò si indignum præsentat, privatur ea vice Jure præsentandi, & collatio fit libera Episcopo. Ita Glossa *in Cap. Cum vos. de Offic. Judic. Ord. verbo. Minus Idoneæ.* argum. ex *Cap. Cum in cunctis. §. Clerici. de Elect.*

91 Ad Patronum sive laicum, sive Ecclesiasticum spectat

spectat præsentare Episcopo personam instituendam. *Cap. Nobis de Jure Patronatus* 1. & quidem postquam vacaverit Beneficium; si enim ante vacationem fiat præsentatio, est omnino irrita; sicut etiam promissio præsentandi facta alicui personæ determinatæ; quia etiam commissio facta alicui de præsentanda persona aliqua determinata ad vacaturum Beneficium, est nulla. *Cap. ultimo. de Concessione Prebendæ*. Non est tamen irrita commissio generalis facta alicui de præsentando ad vacaturum Beneficium, ut notat Abbas *ibi n.* 6.

92 Si Patronus Laicus, vel ejus Filii in egestatem venerint, habent actionem petendi alimenta ab Ecclesia, & Beneficiato ex superfluis. *Can. Quicunque Fidelium. 16. q. 7.* & *dicta Cap. Nobis. de Jure Patronatus.* ibi: *& si ad inopiam vergat, ab Ecclesia illi modestè succurritur, sicut est in sacris Canonibus institutum*.

93 Patronus debet defendere Ecclesiam, & curare, ne Sacerdotes instituti bona Ecclesiæ dilapident. *Can. Filii.* & *Can. Decernimus. 16. q. 7.* non tamen potest se ingerere in perceptione fructuum beneficii, sed liberè Beneficiato distribuendos relinquere debet. Tridentinum *sess. 25. de Reform. cap. 9.* & multò minus potest se immiscere Patronus in iis, quæ spectant ad Sacramentorum administrationem.

94 Episcopus sine consensu Patroni non potest disponere circa Beneficia cum præjudicio Juris Patronatus. *Can. Monasterium, juncta Glossa. 16. q. 7.* nisi necessitas adesset, quia tunc Patronus non potest impedire utilitatem Ecclesiæ, cum ipsi ex gratia, non ex debito absoluto sit concessum Jus Patronatus, ut notat Abbas *in Cap. Nobis. de Jure Patronatus. n.* 10.

95 Hinc non potest Episcopus Ecclesiam Parochialem convertere in Collegiatam sine consensu Patroni, quia sic Patronus amitteret Jus Parochum præsentandi,

qui

qui tunc foret constituendus per electionem; quod si tale Jus non amitteret, posset utique Episcopus convertere in Collegiatam eam Ecclesiam; & quod tale Jus Patronus non amitteret, existimant Doctores, si mutatio fieret sine ejus consensu ob causã necessitatis, aut si ipse protestaretur de eo Jure. Item non potest Episcopus unire Beneficium patronatum sine consensu Patroni. *Cap. Suggestum. de Jure Patronatus.* & Doctores communiter *in dictum Cap.* & *in Cap. Dilectus. eodem tit.* Ratio est, quia per unionem amittit Patronus Jus præsentandi, & Beneficium patitur aliquam suppressionem, seu diminutionem, quam Episcopus facere non potest sine consensu Patroni; sicut nec pensionem imponere, nec redditus in aliam personam, locum, aut finem, præterquam statutum est in fundatione Ecclesiæ, transferre, ut docent communiter *in Cap. Pastoralis. de Donationibus.* & Abbas *in Cap. Suggestum. de Jure Patronatus. n. 3.* In universum tamen, quoties nullum generatur præjudicium Patrono in Jure præsentandi Rectorem, non requiritur de necessitate ejus consensus in aliqua dispositione facienda. Videantur Doctores, quos citat, & sequitur Layman *lib. 4. trac. 2. cap. 13. n. 12. ver. Corollarium tertium.*

96 Patronus non potest aliquem propria authoritate in Beneficium intrudere, vel in eo instituere. *Cap. Præterea. Cap. Cum Laici,* & aliis *de Jure Patronatus.* Debet igitur præsentare personam idoneam Episcopo, vel alteri Superiori, cui competit institutio, quæ propriè est translatio Juris Ecclesiastici, seu Beneficii facta ad præsentationem Patroni; hanc autem institutionem tenetur facere Episcopus, aut alius, ad quem spectat, si idoneus præsentatus fuerit, nec potest alium instituere.

97 Transfertur Jus Patronatus venditione, donatione, permutatione, & hæreditaria successione sive ex testamento, sive ab intestato; venditione autem non per se,

aliter,

Digitized by Google

aliter, ut mox dicam, incurritur pœna privationis ipsius Juris Patronatus, & excommunicationis. Præterea quia, sic fieret Simonia. *Cap. De Jure. de Jure Patronatus.* ibi: *Cum inconveniens sit vendi Jus Patronatus, quod est spirituali annexum.* Sed vendi potest ratione rei, v. g. Villæ, Palatii, Fundi, cui annexum est Jus Patronatus; adeoque ad emptorem illius Villæ &c. transit Jus Patronatus, tanquam accessorium, nisi expressè exceptum fuerit in contractu. *Cap. Ex literis. de Jure Patronatus* ibi: *præscripta villa fuerit, non excepto Jure Patronatus.* Non potest tamen majus pretium exigi pro villa ratione Juris Patronatus, quia sic jam saperet Simoniam. Transit quoque Jus Patronatus in Emphyteutam, vel Conductorem ad longum tempus ratione dominii utilis, quod in eos transfertur. Vallensis *lib. 3. tit. 38. §. 4. n. 2.*

98 Transit Jus Patronatus ratione donationis in alium quoties fit donatio, vel legatum ejusdem, dummodo si donetur, vel legetur Laico, accedat consensus Episcopi, qui non requiritur, si Donatarius, aut Legatarius sit Ecclesiasticus. *Cap. Nullus.* & ibi Glossa, ac Doctores *de Jure Patronatus*, & *Cap. unico. eodem titulo in 6.* Transit autem titulo permutationis, quoties cum alia re spirituali permutatur juxtà *Cap. Ad quæstiones. de Rerum permutatione.*

99 Denique transit in alium Jus Patronatus Jure successionis. *Cap. Quoniam. de Jure Patronatus.* ibi: *aut hæredes eorum.* Hæredes autem, qui in Jure Patronatus succedunt, possunt esse sive consanguinei, sive ex testamento extranei, sive masculi, sive fœminæ, sive adulti, sive pupilli; quod si plures fuerint hæredes unius defuncti Jus Patronatus habentis, omnes simul in præsentando unam vocem habent tanquam repræsentantes unam personam defuncti. *Clement. 2. de Jure Patronat.* Unde omnes simul præsentare debent, non quilibet seorsim quanvis

Digitized by Google

melius esset, si convenirent, ut quilibet alternis vicibus presentet.

100 Præsentare potest Pater patronus Filium, non tamen seipsum. *Cap. Per nostras. de Jure Patronatus.* Quod si fuerint plures Patroni ejusdem Ecclesiæ, possunt utique præsentare unum ex ipsis; sicut etiam poterit Patronus unicus, non per præsentationem ab ipso factam, sed per spontaneam provisionem Episcopi, ad quem spectabat institutio, acquirere Beneficium patronatum. Vallensis. *lib. 3. tit. 38. §. 5. n. 3.* cum Panormitano *in dictum Cap. Per nostras. n. 3.* Item si pupillus Patronus fuerit minor septemnio, præsentare debet Tutor: si major, etiam sine Tutoris authoritate præsentat pupillus, ita ut ab ipso præsentatus, præferendus sit præsentato à Tutore, quia dominium Juris Patronatus est apud ipsum, adeoque juxta *Can. Decernimus. 16. q. 7.* ad ipsum spectat præsentatio.

101 Si plures sint Patroni ejusdem Beneficii, & discordent in præsentando, ita ut unus unum, & alius alium præsentet, tunc ille præficietur, qui majora habet merita, & plurium voces. *Cap. Quoniam. de Jure Patronatus.* Quod si hoc fieri non possit sine scandalo, tunc Institutor liberè sine præsentatione instituat quem meliorem judicaverit. *Eodem Cap. Quoniam.* Quod ipsum faciet si inter aliquos fuerit quæstio orta de Jure Patronatus, & non fuerit terminata intra quatuor menses. Si autem habeatur paritas vocum, & meritorum, tunc Episcopo datur locus gratificationi juxta *Cap. Cum autem. de Jure Patronatus.* Videatur Layman *lib. 4. trac. 2. cap. 13. quæst. 8. n. 19.*

102 Amittitur Jus Patronatus primò: ob crimen Patroni, si nimirum ipse occiderit, vel mutilaverit sive per se, sive per alium, Clericum, aut Rectorem Ecclesiæ Patronatæ. Et quidem amittitur Jus quo ad posteros usque ad quartum gradum. *Cap. In quibusdam. de Pœnis.* & acquiri-

Digitized by Google

quiritur tale Jus Ecclesiæ, cui fuit injuria facta. Secundò amittitur si in hæresim inciderit Patronus, aut fuerit reus lesæ Majestatis, tunc enim unâ cum rebus transit Jus Patronatus ad Fiscũ. *Cap. Vergenti. de Hæreticis.* Tertiò: si Patronus usurpat sibi bona Ecclesiæ. Tridentinum *sess.* 22. *de Refor. cap.* 11. & est tunc excommunicatus ipso Jure excommunicatione reservatâ Summo Pontifici.

103 Quartò: amittitur Jus Patronatus si contra Canones vendatur, aut ematur ipsum Jus. *Cap. Quia Clerici. de Jure Patronatus. & sess.* 25. *de Reform. cap.* 9. Tridentinum statuit etiam pœnam excommunicationis ipso Jure, & interdicti, ibi: *Nec dictum Jus Patronatus venditionis, aut alio quocunque titulo in alios contra Canonicas Sanctiones transferre præsumant, si secus fecerint, excommunicationis, & interdicti pœnis subjiciantur, & dicto Jure Patronatus privati ipso Jure existant.*

204 Quintò: amittitur Jus Patronatus si ipsum cedatur Ecclesiæ patronatæ, aut si Patronus patiatur eam Ecclesiam fieri Collegiatam sine reservatione ipsius Juris Patronatus. Sextò: amittitur, si Ecclesia diruatur, vel si Patronus sinat præscribi ipsius Jus. Septimò: amittitur non solùm per confiscationem bonorum ob crimen hæresis, aut lesæ Majestatis, ut diximus, sed etiam per quamcumque confiscationem bonorum, quibus accessoriè adhæret Jus Patronatus, quod transit cum bonis ad Fiscum, vel ad Emptorem. Si autem Jus Patronatus erit personale, & non adhærens bonis confiscatis, manet apud ipsum Reum, donec à Judice Ecclesiastico privetur tali Jure. Secutâ verò sententiâ privatoriâ talis Juris, transibit juxta dispositionem Fundatoris Jus ad Consanguineos; si autem non sit talis dispositio, sed Jus sit ad extraneos transmissibile, remanebit Ecclesia libera; non secutâ sententiâ Judicis Ecclesiastici, transit Jus Patronatus juxta Superiùs dicta, ad hæredes vel ex testamento, vel ab intestato,

Digitized by Google

excepto crimine hæresis. Vallensis *lib. 3. tit. 38. §. 7. n. 7.* Reliqua de Jure Patronatus videri possunt apud Barbosam *lib. 3. Juris Eccles. cap. 12.*

§. SEPTIMUS.

DE RESIGNATIONE BENEFICIORUM, UBI ETIAM DE PERMUTATIONE.

105 REsignatio, seu Renunciatio in genere, est spontanea cessio, seu abdicatio proprii Juris. In specie hic sumitur pro cessione libera Juris, quod quis habet in Beneficio Ecclesiastico facta coram Superiore legitimo eam acceptante; libera, inquam, quia coacta non tenet. *Cap. Super hoc. de Renunc.*

106 Duplex autem est Renunciatio, tacita nimirum, & expressa. Tacita est, quæ fit ipso Jure sine ulla declaratione Renunciantis. Ita est quando quis novum Beneficium acceptat incompatibile cum primo, is enim tacitè renunciat primo, aliter nec secundum retinere posset. *Cap. De multa. de Præbendis.* Similiter qui Beneficiatus matrimonium contrahit, aut miles fit secularis, censetur renunciare Beneficio, quod habet. Expressa resignatio est, quæ fit coram Superiore sine conditione, ita ut nulla fiat reservatio ipsi Renuncianti, & facta tali resignatione, potest Ordinarius conferre cui voluerit Beneficium resignatum. Alia est conditionalis, quæ fit sub aliqua conditione, & modo, v. g. causâ permutationis, vel in favorem Tertii, nimirum sub conditione quod conferatur tali; hæc autem fieri non potest, nisi coram Summo Pontifice; potest tamen Resignans rogare Episcopum, ut conferat tali, vel tali sine Simonia. Colligitur *ex Cap. Tua nos. de Simonia*, ubi sic: *Si verò purè ac sine pacto, vel conditione, qualibet, offerat Rogans &c. fieri poterit absque scrupulo Simonia-*

Digitized by Google

moniacæ pravitatis. Renunciatio autem hæc in favorem est etiam duplex, alia simplex, nimirum quando renuncians nihil sibi reservat de Beneficio, alia qualificata, quando scilicet sibi aliquid fructuum Beneficii reservat.

107 Debet, ut dixi, renunciatio fieri coram Superiore, & ab ipso admitti, aliter non tenet. *Cap. Admonet. de Renunciat.* & potest Superior, non obstante renunciatione facta, cogere Renunciantem, ut prosequatur in officio suo, si illum judicet esse utilem Ecclesiæ. *Cap. prima. de Renunciat.* Debet tamen Superior acceptans resignationem esse legitimus, idest ille, qui potest Beneficium resignatum conferre alteri, quanvis aliqui etiam requirant, quod sit talis, ut non solùm possit conferre Beneficium, sed etiam habeat potestatem destituendi, idest privandi Beneficio; sed hoc est quidem convenientius, non verò necessarium.

108 Non potest quis Episcopatui renunciare, nisi cum consensu Papæ. *Cap. Nisi cum pridem. de Renunciatione.* Nec Abbatiæ subjectæ immediatè Summo Pontifici. *Cap. Dilecti Filii. eodem tit.* Nec solet Summus Pontifex admittere resignationes prædictorum, nisi gravibus ex causis, quas enumerat *in dicto Cap. Nisi cum pridem*. Habetur etiam quædam Bulla Pii V. quæ incipit. *Quanta Ecclesia Dei.* quæ est 58. *in Bullario.* in qua assignantur justæ causæ, propter quas resignationes Beneficiorum coram Ordinariis fieri, & admitti possint, ac debeant sub pœna nullitatis, si ex alia causa fiant. Videatur Azorius *par. 2. lib. 7. cap. 19. quæst. 5.*

109 Si semel fuerit admissa resignatio à Superiore, cogitur Resignans stare illi, nec si eum pœniteat, potest Beneficium retinere. *Cap. Ex transmissa. de Renunciatone.* Potest tamen, qui renunciavit Beneficium, si nullam causam assignavit, dicere, se non spontaneè renunciasse, & sic repetere illud. Sunt tamen testes contra ipsum ab alio, cui

Digitized by Google

cui fuerit Beneficium collatum, ſuper ſpontanea Renunciatione admittendi, & poteſt Judex cauſam reſignationis inquirere, ſi voluerit, cum non ſit veriſimile, quod aliquis renunciet Beneficio ſuo ſine cauſa; non tenetur tamen Judex cauſam inquirere, ſed ſufficit, ſi inveniat, quod nec vi, nec metu ille renunciaverit, & ſic imponet ſilentium ei, qui renunciavit. Quod ſi ipſe replicet, ſe non ſponte renunciaſſe, & teſtes producat, quanvis talis aſſertio videatur negativa, & ideo non admittenda, tamen, quia implicitè eſt affirmativa, quia nimirum importat ſe coactum renunciaſſe, ideo probationes ejus ſunt admittendæ, & Judex poterit ſententiam ferre, pro quo meliores ſunt probationes. Ita *in Cap. Super hoc. de Renunciatione*.

110 Qui litteris Beneficialibus obtentis à Papa renunciavit, non ideo cenſetur renunciare Inſtitutioni jam factæ: v. g. Mandat Papa per ſuas litteras, ut quis inſtituatur Canonicus, & Inſtitutor eum Canonicum inſtituit, deinde Inſtitutus renunciat, & reddit litteras Apoſtolicas Collegio Canonicorum eum nolentium admittere, ut ſe liberet à moleſtia illorum. In tali caſu eſt admittendus in Canonicum, nec renunciatio litterarum obſtat. *Cap. Sanè dilecto. de Renunciatione*.

111 Qui petit licentiam renunciandi, & eam obtinuit, debet neceſſariò renunciare. *Cap. Quidam cedendi. de Renunciatione.* Item qui electioni ſuæ renuciavit ſponte, non poteſt beneficium, ad quod fuit electus adipiſci. *Cap. In præſentia noſtra. eodem tit.* Qui verò Beneficium obtentum renunciavit, ſi iterum ad illud eligatur, poterit denuo ipſum acquirere. *Cap. Cum inter. de Renunciat.* Si verò quis propter crimen renunciavit Epiſcopatui, & Religionem ingreſſus eſt, etiamſi denuo eligatur ad Epiſcopatum, non poteſt ad illum redire. *Cap. Poſt traslationem. eodem tit.* Si verò non ob crimen, ſed ob aliam cauſam

Digitized by Google

sam instam fuerit, renunciato Episcopatu, factus Monachus, non prohibetur iterum in Episcopum assumi. *Eodem Cap. Post translationem*. Imò si per Simoniam Parentum fuerit factus Episcopus, à se tamen ignoratam, & factus sit Monachus, & Episcopatui renunciaverit, poterit ad alium Episcopatum, non verò ad eumdem assumi. *Eodem Cap. Post translationem.* §. *Rursus.*

112 Potest renunciatio fieri per Procuratorem Clericum, sive Laicum, & tenet, etiamsi revocata fuerit à Principali procuratio, si nec Procurator, nec acceptans Superior eam revocationem sciverint; nisi per malitiam probetur occultata Revocatio. *Clement. unica. de Renunt.*

113 Denique observanda est regula quædam Cancellariæ de Infirmis, dicens, quod si quis ob infirmitatem renunciaverit quomodocumque, & in cujuscumque Collatoris manus, si intra viginti dies à die resignationis mortuus fuerit, non vacabit Beneficium per Resignationem, sed per mortem Beneficiati, ideoque liberè conferri potest, non obstante conditione à Resignante apposita. Videatur Rebuffus *in Regulam. de Infirmis*. & Azorius *par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 28.

114 Alia resignatio conditionalis fit causâ permutationis, nimirum quando duo habentes Beneficium, non reservatum Papæ, resignant in manu Superioris, sub hac conditione, quod postea Beneficium alterius alteri conferatur vicissim. Atque hanc resignationem potest Episcopus admittere, si adsit utilitas Ecclesiæ juxta *Cap. Quæsitum. de Rerum permutat.* Generaliter tamen fieri non possunt permutationes præbendarum pactione præmissa, quia ut dicitur eodem *Cap. Quæsitum*. continent labem Simoniæ, adeoque recurrendum est ad Papam. Potest insuper Episcopus urgente necessitate, motu proprio, vocatis his, ad quos spectat, permutare Beneficia, conferendo uni illud, quod erat alterius. Abbas *in dictum Cap.*

Quæ-

Digitized by Google

Quæſitum. n. 8. de Rerum. permutat. Præterea admiſſa reſignatione ob cauſam permutationis, non poteſt Epiſcopus aliis, quàm ipſis permutare volentibus conferre Beneficium illud. *Clement. unica. de Rerum permutat.* Prælatus Epiſcopo inferior regnationem causâ permutationis recipere non poteſt, etiamſi ad ipſum ſpectet Collatio illorum Beneficiorum. Ita Gloſſa *in dicta Clement. unica. verbo Conferantur. de Rerum permutat.* Abbas *in dictum Cap. Quæſitum n. 4.* & alii.

115 Eſt notandum, quod permutatio conceditur Beneficiatis habentibus Jus pacificum in Beneficio, quod permutant, quanvis poſſeſſionem ejus nondum nacti ſint; non tamen permutatio conceditur habenti expectativam in Beneficio proximè vacaturo, vel præſentationem ad illud ſine inſtitutione; quia permutatio eſt Beneficiorum quæſitorum, non quærendorum. *Cap. Cum univerſorum. de Rerum permutat.* ibi: *Præbendarum ſuarum.* & *Cap. unico. eodem tit. in 6.* ibi: *Beneficia ſua.*

116 Notandum præterea, quod ſi facta reſignatione causâ permutationis, aliquis ex volentibus permutare, moriatur antequam fuerit inſtitutus, tunc ille qui vivit, reſtituendus eſt in Beneficium ſuum per novam Collationem, quia verè vacavit Beneficium per reſignationem illam. Ita cum Abbate, Layman *lib. 4. trac. 2. cap. 17. n. 7. ver. Hinc etiam.* Hoc autem non ſervatur in permutationibus factis in manu Papæ, quia ſi permutatio effectum non habuit, ſolet permutans redire ad ſuum Beneficium, quia non cenſetur Jus revocatum ab eo, qui vult permutare, & in effectu non permutavit. Ita Garzias *de Beneficiis. par. 11. cap. 4. n. 7. & ſeq.* & deducitur *ex Cap. Si Beneficia. de Præbendis in 6.* Reliqua de Reſignatione Beneficiorum vìderi poſſunt apud Barboſam *lib. 3. Jur. Eccl. cap. 15.* & apud Azorium *par. 2. lib. 7. à cap. 19. uſq; ad 28.* & *Cap. 29. & 30.* ubi de Permutationibus agit.

§. OCTA-

Digitized by Google

§. OCTAVUS.

DE OPTIONE BENEFICIORUM.

117 EXplicatis modis, quibus acquiruntur Beneficia per Electionem, Collationem, Præsentationem, Resignationem, & Permutationem, ad modum acquirendi per Optionem venimus, acturi in sequenti §. de modo acquirendi per Unionem. Acquiritur itaque per Optionem Beneficium, quoties Canonici, vel Ecclesiastici de Collegio antiquiores, vigore Consuetudinis, aut Concessionis, aut Statuti gradatim optant meliores præbendas vacantes, adeo ut proprias deteriores cum melioribus vacantibus permutent. *Cap. In tua Ecclesia. de Consuetud. in 6.* ubi dicitur, quod prædicta Optio debet fieri intra viginti dies computandos à scientia vacationis, ita ut elapsis viginti diebus, & non collato Beneficio optare volenti, possit liberè conferri non optato. Dicunt autem Doctores, quos citat, & sequitur Barbosa *lib. 3. Jur. Eccles. cap. 13. n. 7.* quod tempus prædictum possit minui, vel prorogari per Capitulum.

118 Debet Antiquior præferri Juniori in optando, juxta *dict. Cap. Cum in tua.* ibi: *Antiquiores Canonici gradatim.* Antiquiores, inquam, non ætate, sed in Canonicatu; sed quoties Canonicus antiquior non vult, aut differt optare intra legitimum tempus, ita ut sit periculum, ne transeat cum damno Juniorum, poterit utique Junior sequens optare illam præbendam, quam debebat Antiquior, & tenebit Optio Junioris, si Antiquior intra tempus statutum non optavit. Ita Tiraquellus, Gonzalez, Moneta, & alii apud Barbosam *dicto cap. 13. lib. 3. n. 8.*

119 Potest absens optare per Procuratorem, etiam

Digitized by Google

si Procurator non habeat speciale mandatum, sed sit cum libera potestate constitutus, unde si Procurator meus habens generale mandatum, nomine meo optat, & ego ratam habeo Optionem, tenebit Optio prome. Idem Barbosa cum aliis *n.* 10.

120 Si optandus sit Titulus, v. g. si Portionarius optandus est in Canonicum, aut Canonicus in Dignitatem, ita ut requiratur nova Collatio, excluditur à tali Optione Excommunicatus. Item si Antiquior habeat vitium, ob quod excluditur ab Ordine annexo prębendæ in Cathedrali, vel Collegiata, non potest optare præbendam vacantem in eadem Ecclesia. Sustinent autem aliqui cum Moneta adducto à Barbosa citato *n.* 12. quod qui est Canonicus, & factus est Surdus, aut Cæcus, aut Mutus non excluditur ab Optione in eadem Ecclesia. Irregularitas autem præcedens, & Ordinis, aut Beneficii receptionem impediens, impedit etiam Optionem. Videantur dictus Barbosa, & Authores ab ipso relati.

121 Non habet locũ Optio in Beneficiis, seu Præbendis vacantibus in Curia, vel apud Sedem Apostolicam. *Cap. Cum in tua Ecclesia. de Consuet. in 6.* nec in Beneficiis quomodocunque reservatis, sive generaliter, sive specialiter, nec in Beneficiis vacantibus in mensibus Apostolicis; nec in jis, quæ resignantur, & permutantur. Videatur Azorius *parte 2. lib. 6. cap. 26. q.* 13. Gonzalez *ad Regulam* 8. *Cancellariæ Glossa* 34. *n.* 75. & reliqui, quos affert Barbosa *dicto lib. 3. Juris Eccles. cap.* 13. *n.* 13.

§. NONUS.

DE UNIONE BENEFICIORUM.

122 UNio est Beneficiorum annexio authoritate Prælati facta, & duplex est: perpetua, & tem-

Digitized by Google

temporalis. Prima fit ob necessitatem Ecclesiæ, vel utilitatem, quia scilicet ob tenuitatem unius Beneficii, non potest Ecclesia sufficientes Ministros habere, & ideo unitur cum illo aliud Beneficium. Secunda ob utilitatem Beneficiati, & durat durante ejus vita, quia nimirum Beneficiatus habens unum Beneficium, vult etiam aliud, dum vivit, & ideo hæc propriè non est Unio, & est odiosa, ideoque eam Episcopus facere non potest in Beneficiis incompatibilibus, sed solus Papa ex Tridentino *sess. 7. de Reform. cap. 4. & sess. 24. de Reform. cap. 17.*

123 Unio propriè dicta, nimirum perpetua Beneficiorum tribus modis fieri potest juxta Glossam *in Cap. 1. Verbo. Uniendo. Ne Sede vacante.* primò si ex duobus Beneficiis fiat unum, v. g. ex duobus Episcopatibus tenues reditus habentibus fiat authoritate Papæ unus, aut ex duabus Parochiis una. Secundò si uni Beneficio tanquam principali uniatur aliud tanquam accessorium juxta textum *in Cap. Extirpanda. §. Qui verò. de Præbendis.* v. g. Canonicatui, vel Dignitati annectitur Parochia; & debet Beneficium minus dignum annecti digniori, & non è contra, nisi ita placuerit Summo Pontifici de plenitudine potestatis; quia non decet magis dignum fieri accessorium.

124 Beneficium illud accessorium, quod unitur principali, non censetur amplius Beneficium, sed per Unionem extinguitur, & assumit qualitates, & naturam principalis, cui adhæret, adeoque non vacat per se, sed per vacationem principalis, ut docet Glossa *in Cap. Super eo. Verbo. Non obviet. de Præbendis in 6.* atque ideo obtento Beneficio principali venit etiam accessorium, nec in impetratione illius, facienda est mentio ulla de accessorio. Ita Joannes Baptista Caccialupus *trac. de Unione. art. 8. q. 7.* & alii cum Garzia *part. 12. cap. 2. n. 12.* Atque ideo si Parochia sit unita Dignitati, vel Canonicatui, qui ob-

tinet Canonicatum, non debet habere ætatem viginti quinque annorum requisitam ad Parochiam, sed sufficit ætas requisita ad Canonicatum, cum Parochia non per se ipsum, sed per Vicarium habentem sufficientem ætatem regere debeat.

125 Tertius modus Unionis est, si duo Beneficia ita sint unius Beneficiati, ut neutrum illorum sit adhærens, aut subjectum alteri, sed quodlibet retineat naturam Beneficii, adeoque debeat in impetratione fieri mentio utriusque. Deinde si sint talia Beneficia in diversis Diœcesibus, neuter Episcopus Jus conferendi illa amittit per Unionem factam, sed uterque concurrere debet ad Collationem, vel Confirmationem, ut docet Garzias *part.* 12. *cap.* 2. *n.* 47.

126 Potestas uniendi Beneficia est penes Summum Pontificem, apud quem est plenaria dispositio Beneficiorum, juxta textum *in Cap. Licet Ecclesiarum. de Prabendis in 6.* Non tollitur autem Episcopis per Unionem potestas visitandi, & Subditos puniendi circa Beneficia, quæ ante Unionem erant sub eorum Jurisdictione. *Cap. Quia Monasterium. de Religiosis domibus.*

127 Potest Episcopus unire in perpetuum Beneficia, quæ sunt in sua Diœcesi, non reservata specialiter Papæ, nec exempta, & quidem ob justam causam. *Cap. Sicut unire. de Excessibus Prælat.* eademque ratione poterit Episcopus Beneficium sibi subjectum dividere, vel extinguere.

128 Notandum primò: Quod si Beneficii alicujus ob negligentiam Collatoris, fuerit Collatio devoluta ad Papam, non impeditur Episcopus ab Unione facienda talis Beneficii alteri sibi similiter subjecto. Ita docent quamplures apud Alexandrum de Nævo *in dictum Cap. Sicut unire. n.* 6. Sanchez *lib.* 7. *moralium cap.* 29. *n.* 149. Layman *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 9. *n.* 3. *versu. Alia verò.*

129 No-

129 Notandum secundò: Quod Beneficia generaliter reservata Papæ, v. g. quæ spectant ad Papam mensibus suis, possunt ab Episcopo uniri, & sic per Unionem factam extingui mensis Pontificius, quia jam Beneficium illud per Unionem extinctum censetur, nec amplius vacat, adeoque conferri amplius non debet. Advertunt tamen Doctores, quod talis Unio non potest fieri, si Beneficium vacans sit in mense Pontificio, aut si æstimetur brevi vacaturum in tali mense ob proximam mortem Beneficiati, quia sic intercederet fraus, sed debet Unio fieri, vacante Beneficio in mense Episcopi. Ita Petrus Rebuffus *in Praxi Beneficiorum tit. de Unionibus n.* 31. Garzias *par.* 12. *cap.* 2. *n.* 104.

130 Notandum tertiò: Quod in certis casibus conceditur Episcopo potestas uniendi Beneficia non obstante eorum reservatione; casus assignantur à Tridentino *sess.* 21. *de Reform. cap.* 5. & *sess.* 23. *de Reform. cap.* 18. & *sess.* 24. *cap.* 15. *de Reform.* nimirum quoties Ecclesia Parochialis est pauper: quoties debet fieri erectio Seminarii Clericorum: quoties præbendæ Cathedralis Ecclesiæ, vel Collegiatæ sunt tenues. In his casibus licitum est Episcopo Beneficia simplicia unire, vel supprimere, non obstante reservatione generali, vel speciali, vel affectione, dummodo talia Beneficia affecta, vel reservata non sint vacantia tempore, quo uniuntur, quia si vacant eo tempore, Unio nō habet effectum, & eorum collatio spectat ad Papam.

131 Notandum quartò: quod ex eodem Tridentino *sess.* 14. *de Reform. cap.* 9. prohibetur Episcopis unire Beneficia unius Diœcesis cum Beneficiis alterius Diœcesis. Et *sess.* 24. *de Reform. cap.* 13. prohibetur unio Ecclesiæ Parochialis Monasterio, aut Abbatiæ, aut Dignitati, aut Præbendæ Cathedralis, vel Collegiatæ; si autem ante Tridentinum facta erat Unio, non infirmatur, sed revide-

re,

Digitized by Google

re, seu examinare eam debet Episcopus, & sufficit tempus quadraginta annorum ad probandam talem Unionem. Videatur Sanchez *lib. 7. moral. cap. 29. n. 178.*

132 Prædictas Uniones eodem modo, quo potest Episcopus, potest Capitulum Sede vacante facere, dummodo nullum præjudicium generetur Juri Episcopali. Rebuffus, Garzias, Sanchez, Azorius, quos citat, & sequitur Layman *lib. 4. tract. 2. cap. 9. n. 5. versu: Tertiò Capitulum.*

133 Non potest Capitulum etiam consentiente Episcopo, unire sibi Beneficium. Nec ipse Episcopus suæ mensæ, etiam consentiente Capitulo sine licentia Papæ, *Clement. Si una. de Rebus Eccles. non alienandis. §. Quod si Episcopus.* Cum hoc tamen stat, quod Episcopus possit Fabricæ Ecclesiæ Beneficia simplicia unire, aut Seminario Clericorum, aut ad augmentum præbendarum tenuium Canonicorum, quanvis inde resultet utilitas ipsi Capitulo, vel mensæ Episcopali. Ita cum Garzias, & Azorio, Layman *lib. 4. trac. 2. cap. 9. n. 6.*

134 Legatus à latere, quia potest omnia in sua Provincia, quæ potest Episcopus in sua Diœcesi, potest unire Beneficia suæ Provinciæ. Abbas *in Cap. Sicut unire. n. 5. de Excessibus Prælatorum.* Caccialupus *de Unionibus, art. 3.* & alii.

135 Cæteri Prælati inferiores Episcopo, etiamsi habeant potestatem conferendi Beneficia, non tamen ea unire possunt, sicut nec Vicarius Generalis habens potestatem conferendi Beneficia potest sine speciali mandato. Major enim est potestas uniendi, quàm conferendi Beneficia, ut Doctores communiter notant, & videri potest apud Layman citatum *n. 7.*

136 Ad Unionem faciendam requiritur causa, quæ est evidens necessitas, vel utilitas Ecclesiæ. *Cap. Exposuisti de Præbend.* Requiritur forma, & solemnitas, nimirum,

ut

Digitized by Google

ut præcedat cognitio causæ. *Clementina. Si una. de Rebus Eccl. non alienand.* Secundò: ut vocentur ii, quorum interest, seu in quorũ præjudicium potest Unio cedere juxta *Regulam 29. Juris in 6. Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet.* Unde si Beneficium erit Juris Patronatus, sive Laici, sive Ecclesiastici, debet haberi consensus Patroni, ut fiat Unio, ut indicat Tridentinum *sess. 24. de Reform. cap. 15.* ibi: *Cum Patronorum consensu.* Item si habeatur inferior Collator, debet etiam hic vocari ab Episcopo, ut consensum præbeat. *Clement. Ne in agro. §. Ad hæc. de Statu Monachor.* Ipse autem Beneficiatus vocari non debet necessariò, quia ad ipsum Unio facienda non pertinet, cum executioni dari non possit, nisi vacante Beneficio. Item requiritur consensus Capituli, ut Episcopus Unionem Beneficiorum faciat, ut diximus *lib. 1. cap. 4. §. 14. n. 76.* De Unione Beneficiorum videri possunt Castropalao *trac. 13. disp. 6. pun. ult.* Sanchez *lib. 7. Moral. cap. 29.* Caccialupus *de Unionibus*, Azorius *par. 2. lib. 6. cap. 28.* Barbosa *de Potest. Episc. Allegat. 66. & lib. 3. Juris Eccles. cap. 16.* & alii apud ipsos.

CAPUT DECIMUM.

DE RELIQUIS AD BENEFICIA SPECTANTIBUS.

§. PRIMUS.

DE VACATIONE BENEFICIORUM.

1 VAcant Beneficia vel facto tantùm, vel Jure tantùm, vel per sententiam Judicis, vel Jure, & facto simul. Jure, & facto simul vacat Beneficium per mortem naturalem Beneficiati, & quidem intelligitur Beneficiati habentis Jus in re; ita ut si Beneficium sit

Ele-

Electivum, fuerit electus, & confirmatus ante mortem; si collativum, ut ipsum acceptaverit; aliter non vacabit Beneficium de novo, si Electus non confirmatus, aut si ante acceptationem Beneficii collativi, fuerit mortuus, ut notat Vasquez *de Benefic. cap. 4. n. 242.* Item vacat ipso Jure, & facto per Resignationem, de qua locuti sumus. Vacat verò facto tantùm, cum quis vi, vel metu cogitur non acquirere possessionem, vel dejicitur à possessione Beneficii. Vacat ipso Jure tantùm, cum advenit casus, cui Jus statuit privationem Beneficii. Vacat per sententiam Judicis, cum quis ob delictum privatur à Judice Beneficio.

2 Jam ex dispositione Juris vacat Beneficium primò: si Beneficiatus fuerit factus Episcopus, aut acquisierit Beneficium aliquod incompatibile cum primo. *Cap. Cum in cunctis* §. *Cum verò de Elect.* & *Cap. De multa. de Præben.* Secundò: si Beneficiatus contraxerit matrimonium de præsenti. *Cap. 1. & Cap. Diversis. de Clericis conjugatis.* Tertiò: si Beneficiatus fecerit professionem in Religione approbata. *Cap. Benefic. de Regularib. in 6.* Quartò: si quis ad Parochiam promotus, non fuerit intra annum factus Sacerdos. *Cap. Licet Canon. de Elect. in 6.* juxta ea, quæ diximus *lib. 1. cap. 5. §. 2. n. 9. 10. & 11.*

3 Item vacat Prælatura si electus intra mensem non consenserit, aut si post consensum electioni, intra tres menses non petierit Confirmationem, amittit Jus acquisitum per electionem, juxtà Canones, quos adduximus. *Cap. 9. §. 3. n. 26.* Similiter Beneficia Episcopi, & confirmati post menses datos ad petendam consecrationem, vacant ipso Jure. *Cap. Cum in cunctis. §. Cum verò. de Elect.* Videtur Azorius *part. 2. lib. 3. cap. 16. per totum.*

4 Vacat denique Beneficium ipso Jure, quoties, ut diximus, committitur crimen à Beneficiato, cui annexa est privatio Beneficii à Jure. Sunt autem aliqua crimina, quibus lata à Jure est privatio, alia verò quibus est ferenda,

Digitized by Google

renda, adeoque requiritur ſententia Judicis, & ideo vacant etiam Beneficia per ſententiam Judicis. Verùm ex communiori ſentétia ſemper requiritur ſententia Judicis, ad hoc, ut quis privetur Beneficio ſuo ob ejus delictum; ſententia, inquam, declaratoria criminis, ſi à Jure lata eſt privatio, ſententia privans Beneficio, ſi crimini non lata, ſed ferenda eſt privatio.

5 Jam delicta, quibus à Jure lata eſt privatio Beneficii, ſunt Hæreſis. *Cap. Ad Abolendam. de Hæreticis.* & *Cap. Cum ſecundum leges. eodem tit. in 6.* Crimen læſæ Majeſtatis, juxta Doctores *in dictum Cap. Cum ſecundùm leges.* apud Azorium *par. 2. lib. 7. cap. 17. quæſt. 1. verſu Secundum.* Percuſſio Cardinalis S. R. E. aut alia vis injurioſa illi facta. *Cap. Felicis. de Pœnis. in 6.* Similiter percuſſio Epiſcopi, aut captio &c. *Clement. 1. de Pœnis.* Falſificatio literarum Apoſtolicarum. *Cap. Ad falſariorum. de Crimine falſi.* Coactio alicujus Beneficiati, ut Beneficium reſignet, aut non eat ad Papam Jure, vel ab homine citatus ad eundum. *Clement. Multorum. de Pœnis.* Alienatio bonorum Eccleſiæ. *Extravag. Ambitioſæ. de Rebus Eccleſiæ alienandis, vel non.* Simonia commiſſa ex Beneficio acquirendo, ita ut Beneficium Simoniacè acceptum ipſo Jure vacet. *Extravag. Cum Deteſtatione. de Simonia.* Alia autem Beneficia, quæ jam habebat Simoniacus manifeſtus, quanvis ipſo Jure non amittat, tamen ut Infamis privari illis debet à Judice. Intruſio in Beneficium, aut violenta occupatio Beneficii. *Cap. Eum qui. de Præben. in 6.* Propter hæc, & alia crimina, de quibus videri poteſt Azorius *par. 2. lib. 7. cap. 17. per totum* privantur Beneficiati ſuis Beneficiis à Jure. Sunt etiam alia Crimina, quibus privandi ſunt per ſententiam Judicis, nimirum homicidium, occiſio Rectoris Eccleſiæ, concubinatus publicus, perjurium, blaſphemia, perſiſtentia in excommunicatione ultra annum, ſodomia &c. de qui-

Digitized by Google

bus videri potest Azorius citatus *cap. 18. per totum.*

6 Unum est hic notandum, quod inter vacationem Beneficii ipso Jure, & ob Judicis sententiam, datum hæc differentia, nimirum si privatio Beneficii est ipso Jure lata, tunc sententia Judicis declaratoria criminis, retrotrahitur ad diem commissi criminis, adeoque omnes fructus percepti restitui debent, & si intra id tempus fuerit facta Resignatio, aut Permutatio illius Beneficii ea non tenet. At verò si privatio Beneficii non est ipso Jure lata, sed ferenda; tunc sententia Judicis privat Beneficiatum Beneficio, at non debent fructus ante percepti restitui, nec Resignatio facta rescindi. Ita cum Molina, Sanchez, Azorio, & aliis, Layman *lib. 4. trac. 2. cap. 17. n. 2.* Similiter vacante Beneficio ipso Jure, etiam ante sententiam Judicis declaratoriam, conferri potest quoad titulum, non vocato criminoso, quanvis non quo ad possessionem; at si vacet Beneficium per sententiam ferendam, non potest conferri ante sententiam latam.

§. SECUNDUS.

DE PLURALITATE, ET INCOMPATIbilitate Beneficiorum.

7 BEneficia alia sunt compatibilia, alia incompatibilia. Dicuntur compatibilia, quæ vel ex Jure communi, vel statuto, aut consuetudine, vel ex fundatione simul obtineri, & retineri possunt. Incompatibilia sunt, quæ nec de Jure communi, nec ex statuto, aut fundatione simul retineri possunt; talia sunt duo Beneficia curata, duæ Dignitates, duo Personatus, duo Officia, sive in eadam, sive in diversa Ecclesia, & omnia alia requirentia personalem residentiam. *Cap. Ad hæc. Cap. Præterea, & Cap. Cum non ignores. & Cap. Multa, de Præbendis, & Dignitatibus.*

8 Ex

28. Ex Beneficiis incompatibilibus alia taliter sunt incompatibilia, ut per adeptionem pacificam secundi, vacet ipso Jure primum, juxtà superiùs dicta; & talia sunt duo Beneficia curata, duæ Dignitates, & alia, quæ annexam aliquam habent Jurisdictionem v. g. visitandi, corrigendi, excommunicandi. *dicto Cap. De multa. de Præben. & Extravag. Execrabilis. Joannis XXII. eodem tit.* Item ex Tridentino *sess. 24. de Reform. cap. 17.* unum Beneficium Cathedrale, & aliud Parochiale ita retineri non potest, ut si intra sex menses unum non dimittatur ab habente illa duo, ipso Jure vacant omnia Beneficia, quæ habet; atque hæc Beneficia, sicut, & duo similia in eadem Ecclesia v. g. duo Canonicatus, duæ Cappellaniæ, dicuntur incompatibilia primi generis, adeo ut non possit Episcopus dispensare. *dicto Cap. De multa. de Præbendis. in fine.*

29. Alia verò sunt ita incompatibilia, ut non vacet ipso Jure primum, adepto secundo, sed datur optio habenti, ut eligat, quod velit retinere, & privari potest per Superiorem alio. Hujusmodi sunt Canonicatus in diversis Ecclesiis, & reliqua Beneficia non habentia curam animarum, aut Jurisdictionem, nec similia in eadem Ecclesia. Atque in retentione eorum posse Episcopum dispensare tenent Glossa *in Cap. Dudum. il secondo. verbo. Intitulatam. de Elect. versu. Hæc vera sunt.* & Vallensis *lib. 2. tit. 8. §. 4. n. 6.*

30. Beneficia verò compatibilia sunt Beneficia simplicia, quæ non requirunt personalem residentiam, vel quorum unum requirit illam, aliud autem non. Atque hæc Beneficia simul retineri possunt, quoties unum non est sufficiens ad congruam sustentationem Beneficiati, quia si unum est sufficiens, non potest retineri aliud de Jure communi. *Cap. Conquerente. de Clericis non resident.* & Tridentinum *sess. 24. de Reform. cap. 17.* Et ratio est

manifesta, quia aliter Ecclesiastici redditus malè, & inutiliter dispensarentur, cum darentur illi, qui jam habet ex Beneficio congruam sustentationem, & privaretur qui deservire posset Ecclesiæ sine diminutione cultus divini, quæ diminutio, quando idem pluribus Ecclesiis præest, habetur.

11 Quæres: Quandonam sufficiens reputari debeat Beneficium.

Respondeo, id decidi debet, attenta qualitate loci, temporis, & personæ, quibus variatis, quod erat magnum Beneficium, reputatur tenue, & viceversa. Dico igitur quod Beneficium sufficiens est illud, quo Clericus pro sui gradus conditione, se, suosque familiares, Parentes, Fratres, & Consanguineos egenos sustentare valet, non autem augere. Ita juxta Tridentinum *sess. 25. de Reform. cap. 1.* tradit Zipæus *de Jure Pontificio novo lib. 3. tit. de Clericis non residentibus.* Non est autem attendendum ad bona patrimonialia quæ habet Clericus, quia hæc potest sibi reservare, & vivere de aliis fructibus Beneficii, ut docent communiter Doctores.

12 Duo Beneficia dissimilia in eadem Ecclesia, si inter se non pugnent ratione residentiæ, aut servitii, de Jure communi sunt compatibilia juxta Lessium *lib. 2. de Jure, & Justitia cap. 34. n. 44.* At post Tridentinum videtur dicendum, quod post pacificam adeptionem secundi, vacare debet primum. Vallensis *lib. 2. tit. 8. §. 4. n. 12. versu: Dixi.*

13 Summus Pontifex dispensare potest ex justa causa in retentione plurium Beneficiorum quorumcunque. *Cap. Dudum. il secondo. de Electione.* ibi: *per Sedem Apostolicam dispensatum.* & *Cap. De multa. de Præbend. in fine.* ibi: *per Sedem Apostolicam poterit dispensari.* Sine autem justa causa erit quidem valida dispensatio, sed Beneficiatus in conscientia est obligatus resignare illa Beneficia,

quæ

Digitized by Google

quæ ad ſuum ſtatum non ſunt neceſſaria, vel in quibus juſta cauſa non fuit, ut diſpenſaretur. Ita cum aliis Layman *lib.* 4. *trac.* 2. *cap.* 8. *n.* 9. & ſumitur *ex Cap. Cum jam dudum. de Præbendis.* ibi: *Cum multa per patientiam tolerentur, quæ ſi deducta fuerint in judicium, exigente juſtitia, non debent tolerari.* ubi Gloſſa *verbo: Per patientiam: Per talem patientiam non fit diſpenſatio.* Videantur Layman, & Authores ab ipſo citati *lib.* 4. *trac.* 2. *cap.* 8. *n.* 2.

14 Juſta autem cauſa eſt Eccleſiæ neceſſitas, quia nimirum non habentur alii idonei, quibus poſſit alia Eccleſia conſignari, vel utilitas magna, quia non habentur alii potentes, & nobiles ad defenſionem Eccleſiæ neceſſarii. His de cauſis validè, & licitè in Septentrione diſpenſat Papa, ut plura Beneficia etiam incompatibilia Viri illuſtres poſſideant, quia nimirum ſic fiunt potentiores ad hæreticos adverſarios deprimendos.

15 Concludendum ex dictis, quod quoties plura Beneficia ſimplicia talia ſunt, ut neutrum ſufficiat ad congruam ſuſtentationem, & alterum eorum non requirit reſidentiam, ſine diſpenſatione licitè retineri poſſunt. Duo verò curata Beneficia ſimul ſine diſpenſatione Papæ ex juſta cauſa, retineri non poſſunt, etiamſi neutrum eorum ſit ſufficiens ex Tridentino *ſeſſ.* 24. *de Reform. cap.* 13. ubi præcipitur, quod tenuibus Parochiis aliunde provideatur, & cuique populo ſuus Rector aſſignetur, & *cap.* 17. ubi prohibentur duæ Parochiæ eidem conferri. Item cum Dignitate, vel Parochiali Eccleſia non ſufficiente ad congruam ſuſtentationem ſine diſpenſatione retineri poteſt Beneficium ſimplex non requirens reſidentiam. Colligitur ex eodem Tridentino *citatis Capitibus.*

16 Similiter ſi Dignitati, vel Canonicatui eſt unita Eccleſia Parochialis, quæ per Vicarium adminiſtrari ſolet, poteſt ſine diſpenſatione retineri; imò tunc, ut diximus,

mus, non censentur duo Beneficia, sed unum.

17 Denique si unum Beneficium sit in Titulum, & aliud in Commendam temporalem, non habetur incompatibilitas. Glossa *in Cap. Dudum. il secondo. de Elect. verbo. Intitulatam.* Si autem Commenda sit perpetua, quia dat Titulum canonicum, reddit Beneficium incompatibile. De pluralitate, & incompatibilitate Beneficiorum videantur Layman *lib. 4. trac. 2. cap.* 8. Azorius *par. 2. lib. 8. cap.* 10. 11. 12. & 13.

§. TERTIUS.

DE QUALITATIBUS BENEFICIATORUM.

18 JAM dictæ sunt *in primo libro de Personis Ecclesiasticis* qualitates in particulari requisitæ in talibus Beneficiatis, nimirum in Dignitate, Canonico, Parocho, Abbate, adeoque hìc solùm restat agendum de idoneitate requisita in omnibus Beneficiatis in communi. Consistit autem hæc idoneitas in carentia impedimenti Canonici, adeoque explicandum hìc est, qui nam sint de Jure incapaces Beneficiorum.

19 Sunt incapaces Beneficiorum omnes illi, qui sunt incapaces Ordinum, de quibus locuti sumus. *hoc 2. libro Cap. 2. §. 4. & 5.* Et quidem aliquæ personæ sunt, quæ nec de Jure, nec per dispensationem possunt ordinari, ut sunt Fœminæ; & hæ sunt similiter incapaces absolutè Beneficiorum, nisi forte daretur aliquod Beneficium regulare competens Monialibus, ut advertit Barbosa *lib. 3. Jur. Eccl. cap. 13. n.* 130. Aliæ verò personæ sunt incapaces Ordinum de Jure, sed ex dispensatione possunt saltem in minoribus ordinari, & hæ ex dispensatione Beneficium aliquod simplex obtinere possunt. Tales sunt viri illegitimi, cum quibus dispensat Episcopus quo ad minores

Digitized by Google

nores Ordines, & ad simplex Beneficium.

2o Sunt igitur incapaces Beneficii omnes Hæretici, eorumque Fautores, & Defensores, eorumque filii usque ad secundam generationem in linea paterna, in materna verò ad primam solùm. *Cap. Quicunque. §. Hæretici. Cap. Statutum. de Hæreticis. in 6.* Quod ipsum extenditur ad Apostatas. Barbosa *dicto lib. 3. cap. 13. n. 132. & 134.* Item Excommunicati excommunicatione majori sunt inhabiles ad Beneficia, itaut collatio ipsis facta sit irrita. *Cap. Postulasti. de Clerico excommun.* Quod si quis nesciret se esse excommunicatum, quando ipsi collatum fuit Beneficium, poterit, dispensante Collatore, post absolutionem ab excommunicatione, illud retinere. Colligitur ex eodem textu ibi: *nisi misericorditer fuerit dispensatum.* & docent plures, quos refert, & sequitur Barbosa citatus *n.* 143. Non est autem valida Collatio Beneficii Excommunicato, sive sit excommunicatio lata à jure, sive ab homine: sive sit occulta, sive publica: sive sit Clericus, denunciatus, sive non: sive reputetur communi opinione absolutus, sive non: sive post Collationem sequatur absolutio, sive non. Ita cum pluribus citatis idem Barbosa *à n. 137. usque ad 139.* Quod si excommunicatio fuerit nulla, aut superveniat Collationi, aut Electioni factæ, tenet Collatio, & Electio, & potest ille accipere possessionem Beneficii. Item si esset jam possessor triennalis, etiamsi collatio fuerit facta tempore excommunicationis, non potest turbari Beneficiatus. Item si fuerit quis excommunicatus post appellationem validam interpositam, est capax Beneficii, pendente causa appellationis; si autem fuerit appellatio notoriè invalida, tunc collatio Beneficii non tenet; si denique dubia sit appellatio, validitas collationis pendet à futuro eventu, nimirum si constabit, appellationem fuisse validam, tenebit Collatio, si verò non, neque tenebit Collatio. Ita Doctores multi apud eundem Barbosam

bosam *à n. 139. usque ad* 143.

21 Suspensi ab officio sunt incapaces Beneficiorum. *Cap. Cum dilectus. de Consuetudine*, ibi: *De suspenso electionem celebratam, eam justitia cassavimus exigente*. Intelligitur autem provisio Beneficii nulla, si Provisus fuerit ab omnibus Ordinibus suspensus; non verò de Suspenso ab uno tantum Ordine Sacro, cui non est annexa Præbenda; atque ideo Suspensus à Sacerdotio potest obtinere Præbendam diaconalem. Ita cum Lamberto, Abbate, & aliis Barbosa *dicto lib. 3. Jur. Eccles. cap. 13. n.* 144. Quod si per annum quis perstiterit in suspensione, non solùm est incapax novi Beneficii, sed amittit id quod habet. *Cap. Cum bonæ memoriæ. de Ætate, & Qualit.* Similiter Interdicti personaliter, & Violatores interdicti, neque possunt consequi Beneficia. *Cap. 1. de Postulatione Prælat.*

22 Irregulares sunt quoque incapaces Beneficiorum. *Cap. 1. de Clericis pugnantibus in duello*. ibi: *Dummodo ex ipso duello homicidium, vel membrorum diminutio non fuerit subsecuta.* & *Cap. 2. eodem tit.* ibi: *Poterit tamen cum eo circa habendum Beneficium misericorditer dispensari*. & Tridentinum *sess.* 14. *de Reform. cap.* 7. ibi: *Nec illi aliqua Ecclesiastica Beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat.*

23 Est autem hìc notandum, quod sicut ex homicidio involuntario, vel commisso cum moderamine inculpatæ tutelæ, non contrahitur Irregularitas quo ad Ordines, ita neque quo ad Beneficia, nec Tridentinum citatum novam Irregularitatem inducit, ut probat, & benè Pignatelli *tom. 7. Consult.* 20. quia tamen Tridentinum ibi dicit de tali homicida, quod possit cum eo dispensare Episcopus *ad Sacrorum Ordinum, & Altaris ministerium, & Beneficia quæcunque, ac Dignitates*. ideo sicuti circa Ordines suscipiendos diximus *Cap. 2. §. 5. n. 51. in fine, & n. 54. & sequent.* quod talis dispensatio dari possit ab

Epi-

Digitized by Google

Episcopo causa cognita; ita nunc dico, quod cognitio hujus causæ pertineat ad Episcopum, non ad Sedem Apostolicam; adeoque Episcopus declarare debet, quod homicidium fuit commissum ob defensionem propriam cum moderamine inculpatæ tutelæ. Qua declaratione posita, non habetur indigentia dispensationis propriè dictæ, quia ubi nulla fuit irregularitas, nulla ibi requiritur dispensatio; sed propter scandalum vitandum necessaria est declaratio, quæ dicitur largo modo dispensatio; atque hæc, ut dicebam, ad Episcopum spectat. Ita Pignatelli *tom. 7. Consult.* 80. ubi declarationes Sacræ Congregationis super Episcopis, & Regularibus affert, & Episcopos ipsos, ut suo Jure utantur, hortatur.

24 Sodomitæ notorii, Bigami, Aleatores publici sunt incapaces Beneficiorum, ita ut collatio sit nulla. Simoniaci in assequendo uno Beneficio sunt etiam incapaces aliorum ex Bulla Pii V. quæ incipit: *Cum primum. Kalendis Augusti 1566.* Clerici concubinarii incorrigibiles sunt ex Tridentino *sess. 25. de Reform. cap. 14.* usque ad emendationem judicio Ordinariorum incapaces Beneficiorum. Clerici conjugati durante matrimonio non possunt consequi Beneficia in Titulum, nec Pensiones clericales, nisi ex dispositione Summi Pontificis.

25 Filii presbyterorum non possunt obtinere Beneficia in eadem Ecclesia, in qua Patres fuerint Beneficiati; & quidem, si sint illegitimi, omnino excluduntur. *Cap. Ad præsentiam. Cap. Cum decorum &c. toto titulo. de Filiis Presbyterorum.* & Tridentinum *sess. 25. de Reform: cap. 15.* Si verò fuerint legitimi non possunt immediatè in eadem Ecclesia esse Beneficiati, in qua fuerint Patres sine dispensatione; possunt tamen mediatè, idest postquam defunctus est Successor Patris in Beneficio, ut ait Glossa *in Cap. Trasmissa. de Filiis Presb. ver. Media. in fine.* Cum illegitimis jam dictum fuit, quod ad minora Beneficia di-

Digitized by Google

ſpenſat Epiſcopus, non verò ad majora. Suſtinet Barboſa cum aliis, quod in ordine ad Canonicatum Collegiatæ poſſit Epiſcopus cum Illegitimis diſpenſare, non verò in ordine ad Canonicatum Cathedralis Eccleſiæ, nec in ordine ad Beneficium, quod Pater obtinuerat, etiamſi ſit ſimplex. Ita *lib. 1. Jur. Eccleſ. cap. 11. n. 162.* Laici omnes, Clerici non attingentes decimumquartum annum, Illiterati, Corpore vitiati, Infames, Perſequentes, & Offendentes aliquem Cardinalem S. R. E. eorunque Filii, & Nepotes in recta linea, Non dimittentes Beneficia incompatibilia ſecundum formam *Extrav. Joannis XXII. Execrabilis. de Præbendis*. ſunt inhabiles ad Beneficia obtinenda. Videatur Barboſa *lib. 3 Jur. Eccleſ. cap. 13. à n. 147. uſque ad 172.* Layman *lib. 4. trac. 2. cap. 14.* Vallenſis *lib. 3. tit. 7. §. 4.* Azorius *par. 2. lib. 6. à cap. 2. uſq; ad Caput* 10.

§. QUARTUS.

DE OBLIGATIONIBUS BENEFICIATORUM.

26 OBligationes Beneficiatorum in particulari præter eas, quas omnes Clerici habent, jam diximus ſuis locis in primo libro. Reſtat hìc ſolùm de obligatione omnibus communi recitandi divinum Officium diſcurrere breviter de more.

27 Dico primò: Omnes Beneficiati ſive cum cura, ſive ſine cura tenentur ad recitationem Officii divini, taliter ut, ſi poſt ſex menſes ab obtento Beneficio, non recitent, tenentur ad reſtituendos fructus Beneficii perceptos vel fabricæ Eccleſiæ, vel Pauperibus. Concilium Lateranenſe ſub Leone X. *ſeſſ. 9. §. Statuimus.* & Pius V. in ſua Bulla, quæ incipit: *Ex Proximo Lateranenſi. 12. Kalendas Octobris* 1571.

28 No-

Digitized by Google

28 Notandum primò, quod primis sex mensibus, quanvis peccet mortaliter Beneficiatus, non recitans officium, tamen non tenetur ad restitutionem fructuum. Atque ita docent probabile esse Layman *lib.* 4. *trac.* 2. *cap.* 5. *n.* 1. *versu*: *Veruntamen.* & probabilius oppositò censet Castropalao *trac.* 7. *dis.* 2. *pun.* 7. *n.* 2. *versu*: *Cæterum.* cum Navarro, Vasquez, Lessio, Bonacina, Filliucio, & Garzia ab ipso citatis, quia etiamsi obligatio recitandi in Beneficiato esset Jure naturali, ut volunt Adversarii, adhuc potuit Ecclesia liberare Beneficiatum ab obligatione restituendi per illud primum semestre; ergo si ex allegatis Decretis Concilii, & Pii V. solùm imponitur talis obligatio post elapsum semestre, non debet extendi ad ipsum primum semestre.

29 Notandum secundò, quod talis obligatio post primum semestre est in eo, qui culpabiliter omisit officium pro eo primo semestri, non in eo, qui impotens fuit recitare; item post elapsum semestre, qui culpabiliter omittit officium, tenetur pro rata restituere fructus Pauperibus, vel Ecclesiæ. Totum hoc colligitur ex ipsis Constitutionibus, & docent Doctores adducti à Castropalao citato *n.* 3. & 4.

30 Varias quæstiones movent hìc Doctores, nimirum an Beneficiatus cum Titulo, & sine possessione teneatur recitare officium? Et probabilius esse docent, quòd non. An qui possidet sine justo Titulo, teneatur? Et dicunt, quod sic, quia jam percipit commoda Beneficii, & fructus. An teneatur, qui nullos fructus percipit, nec sperat accipere? Et dicunt, quod non, si sine culpa sua illos non percipiat. An teneatur recitare, qui Beneficium valde tenue habet? Et in hoc sunt divisi Doctores, aliqui enim affirmant, & quidem meo judicio probabilius, aliqui verò negant. An qui Beneficium habet cum cura animarum, vel cum aliis muneribus exercendis, debeat

Digitized by Google

omnes fructus restituere, si non recitet primo semestri, & post primum semestre pro rata dierum correspondente omnibus fructibus Beneficii, an solum pro rata correspondente recitationi officii? Et in hoc utique certant Doctores, & multi sustinent, & quidem probabiliter Bullam Pii V. ita intelligendam esse, ut Parochus, vel Episcopus teneatur ad quintam partem restituendam, Canonicus ad quartam, reliquos ad tertiam. Ratio est, quia fructus Beneficii non dantur his Beneficiatis propter solum officium recitandum, sed etiam ob alia spiritualia munera exercenda, nimirum ministrare Sacramenta, assistere Ecclesiæ, celebrare Missas &c. ergo si quis hæc alia munera exercet, & omittit officium, non est rationabile, quod omnes fructus amittat; adeoque fuisset valde pœnale statutum Pii V. & Decretum Concilii. Pars igitur illa fructuum, quæ correspondet officio recitando, restitui debet, si culpabiliter omittatur recitatio, & talis pars est, ut dixi, per aliquos Doctores quinta in Curatis, tertia in Cappellanis, quarta in Canonicis. Verùm melior sententia est; ut bene perpendantur, quot sint fructus, & quales labores, quos præter officium habeat Beneficiatus, potest enim accidere, ut tales sint labores, qui sextuplo, vel etiam decuplo superent laborem in officio recitando, & similiter potest accidere, ut fructus Beneficii vix æquent stipendium justum vitæ, quod naturali Jure debetur ob munerum illorum obligationem; ac proinde si Parochus omnibus computatis percipiat uncias quinquaginta, & Cappellanus quotidie celebrans uncias viginti, potest dici, quod si omittat officium, vel ad nullam, vel ad modicam restitutionem teneatur. Ita Layman *lib. 4. trac. 2. cap. 5. num. 2.* De his, & aliis quæstionibus videantur præcitatus Layman *toto Cap. 5. citato*, Castropalao *trac. 7. disp. 2. pun. 7. per totum*, & P. Suarez *tom. 2. de Religio-*

Digitized by Google

ligione lib. 4. de Horis Canonicis cap. 29. Atque hæc de Beneficiis pro nostris institutionibus dixisse satis sit. Ad alias res Ecclesiasticas temporales veniendum nunc est. Sit igitur.

CAPUT UNDECIMUM.

DE RELIQUIS REBUS TEMPORALIBUS.

§. PRIMUS.

DE CANONICA PORTIONE EPISCOPALI.

1 CAnonica portio Episcopalis sic dicta, quia à Canonibus approbata, & debita Jure Canonico. *Can. De his. 10. quæst. 1.* & *Can. Constitutum. 16. quæst. 1.* & *Clement. Dudum. de Sepulturis.* & *Cap. Conquerente. verbo Mortuariorum. de Offic. Ordin.* & *Cap. Officii. cum sequentibus. de Testamentis.* Canonica, inquam, portio Episcopalis est nunc tertia pars, nunc quarta, nunc media juxta consuetudinem locorum ex his, quæ Ecclesiis subjectis Episcopo relinquuntur à Fidelibus causâ pietatis solvenda ab jisdem; sunt plura in hac re notanda, quare

2 Noto primò: Quod potest Episcopus detrahere hanc portionem, etiamsi defunctus testator dixerit, se nolle aliquid Episcopo relinquere, sed solùm Ecclesiæ. Ratio est, quia privata dispositio Testatoris, non potest mutare Constitutionem generalem Canonis. *Cap. Requisisti.* ibi: *Secus autem. de Testamentis.* è contra si Testator expresserit se soli Episcopo res suas relinquere, non debet Episcopus solvere portionem Canonicam Ecclesiæ Cathedrali. *eodem Cap. Requisisti.* ibi: *Nisi Testator expo-*

nat

nat &c. Quoties igitur relinquitur aliquid Episcopo intuitu personæ, quia nimirum ut conjuncto Testatori, totiès totum acquirit Episcopus; si verò ratione Ecclesiæ relinquatur Episcopo, tunc debetur portio Ecclesiæ Cathedrali. Quod si conjunctim Episcopo, & Ecclesiæ relinquatur aliquid, tunc facienda est divisio inter Episcopum, & Ecclesiam Cathedralem. *dicto Cap. Requisisti.* ibi: *Si verò istud. de Testamentis.* Cum aliis Ecclesiis non fit talis divisio, quia non est Episcopus ita conjunctus cum illis, ac cum Cathedrali; bene tamen Episcopus suam detrahit portionem ex relictis talibus Ecclesiis. *dicto Cap. Requisisti.*

3 Noto secundò: Quod potest consuetudine, vel legitima præscriptione, vel privilegio tolli Episcopo prædicta Portio. *Cap. De quarta. de Præscriptionibus.* & *Cap. Officii.* ibi: *Salvis Indulgentiis Romani Pontificis, quæ quibusdam Regularibus sunt concessæ. de Testamentis.* Atque ideo Regulares Ecclesiæ non solvunt Portionem Canonicam Episcopo ex bonis sibi relictis à Defunctis. Præscriptio autem, si consuetudo sit cum Titulo, fit per tempus quadraginta annorum; si verò fuerit sine Titulo, requiritur tempus, cujus initium non sit in memoria; quia Jus commune stat pro Episcopo; ergo qui solvere non vult, debet probare Titulum, per quem tollatur præsumptio pro Episcopo: probari autem non potest, nisi per hoc quod non habeatur memoria; quod soluta fuerit talis Portio Episcopalis. Atque ita plures Doctores, quos refert, & sequitur Barbosa *lib. 3. Jur. Eccl. cap. 19. n. 6.* At verò alii, quos refert Azorius *par. 2. lib. 9. cap. 12. quæst. 3.* distinguunt hoc pacto, & dicunt, quod si consuetudo sit contra Jus, nimirum solvendi Episcopo ex bonis relictis Ecclesiæ partem minorem quartâ, nimirum quintam, vel sextam, non valet, nisi fuerit præscripta quadraginta annorum spatio. Si fuerit consuetu-

do

Digitized by Google

do dandi partem minorem dimidiâ, quia non est contra, sed præter Jus, tenet spatio decem annorum recepta. Alii denique sustinent, quod etiam consuetudo nihil prorsus dandi Episcopo de bonis relictis Ecclesiæ tenet, si fuerit quadraginta annorum spatio præscripta, & multò magis si fuerit tanto tempore, cujus initium nescitur.

4 Noto tertiò: Quod non debetur quarta Episcopo de his, quæ relinquuntur Pauperibus in genere, vel Consanguineis causâ pietatis; quia talia bona sunt relicta personis, non locis piis; de relictis autem personis non detrahitur Portio Episcopalis. *Cap. Ex parte. de Verbor. signific.* Atque ita docent quamplures, quos refert, & sequitur idem Barbosa *n.* 16.

5 Noto quartò: Quod nec debetur portio Episcopalis ex bonis relictis pro ornamentis Ecclesiæ, pro restauratione Matricis, pro ædificatione, aut reparatione aliarum Ecclesiarum, Hospitalium, aut aliorum locorum piorum, pro luminaribus, vel pro anniversario Defuncti. *Eodem Cap. Ex parte. de Verborum signific.* & *Cap. finali. de Testamentis.* Hinc si defunctus reliquerit sua bona pro piis operibus in genere, & executor testamenti probet distribuisse illa in fabricam, luminaria, ornamenta Ecclesiæ, vel in concernentia ad divinum Cultum, non debet detrahi quarta Episcopalis; si verò in aliquem locum pium non privilegiatum, utique debet detrahi. Dixi, *non privilegiatum*, quia omnis Ecclesia exempta non debet solvere quartam Episcopo, ut docet Panormitanus *in Cap. Officii. de Testamentis.* & est opinio omnium consensu recepta, ut ait Azorius *par. 2. lib. 9. cap. 12. quæst. 5. ver. Altera sententia.* Quod ipsum ait Barbosa cum aliis *dicto Cap. 19. lib. 3. Jur. Eccles. n. 11. usque ad 15.* in quo resolvit quæstionem, utrum solvenda sit portio Canonica Episcopo, quoties Ecclesia erat subjecta tempore testamenti, & facta sit exempta tempore mortis, & dicit

quod

quod non, quia respicitur tempus, quo legatum cedit, non verò quo legatur. *L. Post diem. ff. Quando dies legati. L. Quæ legata. ff. de Regulis Juris.* Unde si tempore Testamenti fuerit Ecclesia exempta, & tempore mortis subjecta, debet solvere quartam Episcopo.

6 Noto quintò: Quod de bonis relictis à Clerico, qui moritur intestatus, permittitur Episcopo retinere quartam. *Cap. Sancto. §. Peculium verò. de Successionibus ab intestato.* De bonis autem Laicorum decedentium ab intestato, potest etiam Episcopus deducere quartam applicandam ad usus pios, ubi fuerit talis consuetudo. Vallensis cum aliis *lib. 3. tit. 28. §. 6. n. 8.* sed in utroque casu debent priùs deduci expensæ pro funere, & solvi debita omnia juxta *Cap. ultimum. §. Porrò. de Offic. Ordinar. in 6.*

7 Noto sextò: Quod non detrahitur quarta ex legatis relictis pro maritandis puellis quolibet anno, quia vel sunt pauperes, & sic legatum est relictum personis, non loco pio; vel sunt divites, aut consanguineæ, & sic non solùm relictum est legatum personis, sed neque venit nomine legati pii. Ita Rota *in Syracusana Quartæ. apud Quaranta in summa Bullarii. Verbo. Quarta Episcopalis.*

8 Noto septimò: Quod non debetur quarta Episcopo ex his, quæ aliquis donat Ecclesiæ in vita, seu donatione inter vivos. Panormitanus apud Azorium *citatum quæst. 7. ver. Nonum etiam.* Barbosa *citatus n. 26.* cum Silvestro, & Miranda.

9 Noto octavò: Quod neque debetur portio Canonica Episcopo, quando Subditus ejus legat aliquod Ecclesiæ extra Diœcesim constitutæ, quia cura illius Ecclesiæ non est penes Episcopum, adeoque cessat ratio propter quam fuit talis portio à Canone decreta. Atque ita Abbas *in Cap. Requisisti. de Testamentis.* Innocentius *in Cap. Officii.* & Joannes Andreas *in Cap. Certificati. eodem titulo.*

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM DEBEATUR QUARTA EPISCOPO ex legatis relictis Hospitalibus, & Confraternitatibus?

AGitatur hęc quæstio inter Doctores, qui sunt hinc inde divisi, ut videre est apud Azorium *par. 2. lib. 9. cap. 12. quæst. 8. & 11.* & Barbosam *lib. 3. Juris Eccles. cap. 19. n. 17. & 20.*

10 Dicendum videtur, quod Confraternitates unitæ alicui Ecclesiæ, & illi affixæ, & authoritate Episcopi constitutæ, ut aliquod pium opus exerceant, teneantur solvere quartam; & similiter Hospitalia authoritate Episcopi erecta, & ipsius subjecta Jurisdictioni. Ratio est, quia si talia sint, verè sunt loca pia. ergo verificatur textus *in Cap. ultimo. de Testamentis.* nimirum *Ecclesiis, vel reliquis piis locis.* Si verò Confraternitates sint merè profanæ, ut Congregationes Mercatorum, aut artium, quæ non eriguntur authoritate Episcopi, vel si fint ad devotionem institutæ cum authoritate Episcopi, sed non adhęrent, nec unitæ, & affixæ sint alicui Ecclesiæ; & similiter Hospitalia non subjecta Jurisdictioni Episcopi, aut non erecta ejus authoritate, nullam solvere debent portionem ex legatis relictis. Ratio est, quia tales Confraternitates, seu Societates non sunt loca pia, sed sunt quoddam corpus fictum plurium personarum piarum; ergo legatum censetur relictum personis, seu Collegio personarum pio, non loco pio, adeoque non debet ex eo detrahi portio Episcopalis. Similiter Hospitalia etiam authoritate Episcopi erecta, sed ejus non subjecta Jurisdictioni, etiamsi censerentur loca pia, jam sunt exempta; ergo ab eis non debetur portio Episcopalis. Videantur præcitati Azorius, & Barbosa, & Doctores alii ab ipsis relati.

Digitized by Google

QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM EPISCOPUS, CUI RELICTUM EST à Testatore Legatum, possit etiam Canonicam portionem exigere, & præsertim si modicum ipsi legatum fuerit in fraudem?

11 Dico primò: Si quis Legatum relinquit Episcopo, & non ponit conditionem, ut eo contentus sit, & ideo non exigat suam portionem ex aliis, quæ relinquit locis piis, potest Episcopus & accipere sibi Legatum, & portionem quartam exigere ab illis locis. Ratio est, quia duo sunt debita in tali casu, unum ex parte legantis volentis, ut detur Episcopo tale quid, & alterum ex parte loci pii, cui sunt relicta alia bona; ergo utrunque debitum exigere potest Episcopus. Atque ita habetur *in Cap. Officii. de Testamentis.* ibi: *Quod si eam &c.*

12 Dico secundò: Si testator posuit conditionem, ut Episcopus solùm sit contentus de suo legato, & non quærat portionem ex aliis bonis relictis Ecclesiæ; tunc si Episcopus talem conditionem acceptat, non potest exigere portionem, quia jam censetur Episcopus per acceptationem Legati sui sub tali conditione renunciasse portioni Canonicæ, & habetur textus *in Cap. Officii. de Testament.* ibi: *Non poterit de cæteris exigere portionem.*

13 Dico tertiò: Si quis modicum Legatum relinquit Episcopo, & multa legata aliis Ecclesiis, si constat in fraudem feciſſe, ut nimirum Episcopus contentus esset de suo legato, poterit Episcopus restituto, aut compensato legato, si illud acceptavit, exigere canonicam portionem, vel non acceptare legatum suum, & velle portionem suam. *dicto Cap. Officii. de Testamentis.* ibi: *Si verò constiterit,*

rit, *quod in fraudem*. atque ideo textus præcedens paulò ante adductus *eodem Cap. Officii*. Nimirum: *Non poterit de cæteris exigere portionem*, cũ textu hìc adducto, sic intelligi debet, ut quanvis Episcopus, si conditionem acceptat, sub qua sibi Legatum fuit relictum non possit amplius aliquid petere, tamen si de fraude constet, poterit restituto, vel compensato Legato, canonicam integram portionem exigere. Atque ita Barbosa *citatus n. 34. & de Officio, & Potestate Episcopi. Allegat. 86. à n. 30. usque ad 33.*

§. SECUNDUS.

DE CHARITATIVO SUBSIDIO.

14 CHaritativum subsidium dicitur, Charitatis auxilium, quia à principio ex charitate, non vi peti debet, nec extorqueri, ut colligitur *ex Cap. Ex parte. de Censibus*. Subsidium autem dicitur, quia petitur ad sustinenda onera Episcopalia, quando redditus proprii ad ea non sufficiunt. Azorius *par. 2. lib. 9. cap. 14. quæst. 2.* Barbosa *lib. 3. Jur. Eccles. cap. 21. n. 1. & 2.* Habet igitur Charitativum subsidium similitudinem cum tributo, quia sicut Principes exigunt à Vassallis pro suis necessitatibus tributa, ita Papa ab omnibus Ecclesiis; Cardinales in Ecclesiis suorum Titulorum; Legatus in sua Provincia, Patriarchæ, Primates, & Archiepiscopi in suis Diœcesibus, non autem extra Diœcesim in Provincia, quia non habent immediatam Jurisdictionem in Subditos Suffraganeorum. Barbosa *lib. 3. Jur. Eccles. cap. 21. n. 12.* & Episcopi, aliique Prælati habentes Jurisdictionem Episcopalem, & populum pleno Jure subjectum, petere possunt à suis Subditis Clericis propter suas necessitates pecuniam, & quidem moderatam. Ut dicitur *in Cap. Cum Apostolus. de Censibus. §. Prohibemus*. ibi: *Si manifesta, &*

Digitized by Google

rationabilis causa extiterit cum Charitate moderatum ab eis auxilium valeant postulare. & *Cap. Conquerente. de Officio Ordin.* ibi: *non amplius exigas, præter moderatum auxilium &c.* Quænam autem sit quantitas pecuniæ moderata, non stabilitur in Jure, ut cum aliis sustinet Barbosa citatus *n.* 6. Putant aliqui esse decimam partem fructuum annuorum. Certum tamen est, quod non possit exigi major solito contributio ex Decreto Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, quod affert Barbosa.

15 Debet ex præcitatis textibus dari causa petendi Charitativum subsidium, quæ est publica necessitas, aut magna utilitas manifesta, ut e. g. Ecclesia ab hostibus defendatur, ut Ecclesia restauretur, ut Episcopus pergat ad Concilium generale, & similia, quæ videri possunt apud Bartholomæum Bellencinum *quæst.* 16. & Remigium Gonnii *qu.* 5. qui de Charitativo subsidio plenè scripserunt: & Azorium *par.* 2. *lib.* 9, *cap.* 14. *tota quæst.* 4. Quod si inter Episcopum, & Clerum orta esset quæstio de justitiæ causa petendi subsidium, ita ut Episcopus dicat haberi necessitatem, & Clerus dicat non haberi, juxta Glossam *in dictum Cap. Cum Apostolus. Verbo. Rationabilis*, recurrendum est ad Superiorem: juxta autem Bellencinum *quæst.* 17. & Azorium *dicta quæst.* 4. *ver. In dubium etiam*, constituendi sunt Arbitri, qui litem componant.

16 Quanvis hoc subsidium sit Charitativum, idest derivatum ex charitate, & unione, quæ debet haberi inter Clerum, & Episcopum, tamen si Clerus existente manifesta necessitate, nolit solvere moderatum subsidium, compelli potest etiam excommunicationis pœna, ut docent Innocentius *in dictum Cap. Cum Apostolus. de Censibus.* Bellencinus *quæst.* 15. Gonnii *quæst.* 8. Azorius citatus *quæst.* 3. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *par.* 1. *cap.* 3. §. *unico. n.* 10. Barbosa *lib.* 3. *Juris Eccles. cap.* 21. *n.* 3. & alii apud ipsum. Ratio est, quia stante causa rationabili, si

desi-

deficit Charitas, valere debet Potestas.

17 Exigi potest subsidium prædictum ab omnibus Clericis subjectis Episcopo Beneficiatis, non verò ab aliis non Beneficiatis, etiamsi habeant multa bona patrimonialia. Ratio est, quia hoc est onus annexum personis in ordine ad Ecclesias, ex quibus percipiunt fructus. Ita Bellencinus *quæst.* 37. & Gonnii *quæst.* 40. & 41. & Barbosa citatus cum pluribus *à n.* 32. *usque ad* 46. Quod si aliquis habeat Ecclesiam in una Diœcesi, & redditus in alia, debet solvere subsidium Episcopo ubi est Ecclesia, quia subsidium non est onus reale adhærens prædio, qualia sunt tributa agrorum, sed est onus adhærens personæ habenti redditus Ecclesiasticos. Ita *ex Cap. Conquerente. de Offic. Ordinar.* ibi: *Ecclesiæ ejusdem Diœcesis.* Bellencinus *quæst.* 35. & Gonnii *quæst.* 25. Layman *n.* 11. & alii.

18 Canonici Collegiatæ, & Canonici Cathedralis Ecclesiæ certum apud omnes est, quod teneantur ad subsidium Charitativum, spectato Jure communi; quia sunt magis Episcopo conjuncti Canonici, quàm alii Clerici. Ita Hostiensis, Bellencinus, Gonnii, & alii, quos affert Layman citatus *n.* 12. & Barbosa citatus cum aliis *n.* 48.

19 Regulares Ecclesiæ, & omnes Ecclesiæ exemptæ si Clerum non habent subjectum, non obligantur ad Subsidium, quia si tales sunt, non sunt legi diœcesanæ subjectæ. Si verò populum habent, quia censentur esse de lege diœcesana, debent solvere Subsidium Charitativum. Barbosa citatus cum aliis *n.* 53. *usque ad* 56. Imò si Ecclesia aliqua fuerat antea subjecta Episcopo, & postea incorporata Ecclesiæ regulari exemptæ, debet tunc Ecclesia regularis solvere Subsidium, quia nunquam præsumitur unio facta cum præjudicio Jurium Episcopalium. Ita Layman cum aliis *n.* 13. nec potest Episcopus in totum remittere alicui Ecclesiæ Charitativum Subsidium, ita ut omnino non teneatur solvere, quia hoc ce-

deret

deret in detrimentum Ecclesiæ, & gravamen aliorum; quanvis possit semel, atque iterum remittere, quia hoc solùm sibi nocet, & quidem remittere debet ex æquitate Clerico pauperi ex beneficio suo vix victum, & vestitum percipienti; ita Layman cum aliis *dicto §. unica lib. 3. par. 1. trac. 3. cap. 3. n. 14.* Barbosa autem *n. 35.* cum Moneta docet, non posse cogi ad solvendum Subsidium Clericum beneficiatum, qui ex beneficio solum victum, & vestitum habet, quia certè gravaretur, si ejus victus, & vestitus minueretur.

QUÆSTIO UNICA.

UTRUM POSSIT CONTRA CHARITATIvum Subsidium legitimè præscribi?

20 NEgant posse præscribi contra Charitativum Subsidium Bellencinus *quæst.* 50. Azorius *par. 2. dicto cap. 14. lib. 9. versu. Ex dictis.* citans pro se Hostiensem, Joannem Andream, Butrium, & Abbatem *in Cap. Cum Apostolus. de Censibus*, & alios, & Barbosa *lib. 3. Jur. Eccl. cap. 21. n. 56.* Rationes eorum sunt, quia præscriptio contra Charitatem, qualis esset in præsenti, non habet justam causam. Item non procedit præscriptio contra tributa, & functiones publicas, ut habetur in *l. Competit. Codice. de Præscriptionibus triginta annorum*, & docet Glossa *in Cap. Cum non liceat. de Præscript.* Item præscribi non potest in jis, quæ sunt meræ facultatis; petere autem Subsidium Charitativum est in arbitratu Episcopi. Denique non datur præscriptio contra procurationes debitas Visitatoribus. *Cap. Cum Officii. de Præscriptionibus*; ergo neque contra Subsidium Charitativum.

21 Dicendum cum Layman *lib. 3. tr. 3. par. 1. cap. 3. n. 15.* posse

posse dari contra Subsidium Charitativum, præscriptionem temporis immemorabilis. Probatur solvendo rationes oppositas. Ad primam enim respondetur, quod sicut non est contra Charitatem, quod aliqua Ecclesia per privilegium Summi Pontificis eximatur ab oneribus aliarum, ita neque erit contra Charitatem, quod per præscriptionem temporis immemorabilis sit aliqua Ecclesia exempta ab onere præstandi Subsidium Charitativum, quia quod privilegio, vel alio modo concessionis obtineri potest, id etiam per præscriptionem temporis, cujus initium non est in memoria, consequi potest; adeoque habetur responsio ad secundam, quia licet non currat tempore præscriptio contra tributa, tamen si tempore immemorabili non sit ab aliquo Subdito solutum tributum, præsumitur titulus ex fama alicujus privilegii. Ad tertiam similiter respondetur, quod si Episcopus ab aliis sæpe exegit Subsidium, & ab aliqua Ecclesia per temporis immemorabilis spatium non exegit, præsumitur id fecisse non ex gratuita voluntate, sed propter aliquod privilegium, quod ea habeat, adeoque licèt verum sit, quod omnis gratuita remissio non tribuat Jus præscriptionis, tamen si diuturno tempore ea fiat remissio, præsumitur fieri ex debito; quia nemo censetur sua bona indebitè jactare. *l. Cum de Indebita. ff. de Præsumptionibus.* Ad quartam respondetur, quod non est similis ratio de procurationibus, quia procurationes inserviunt in bonum ipsarum Ecclesiarum, nempe ut fiat visitatio earum, & tollantur abusus, & reparentur earum damna. Hoc bonum non haberetur si Episcopus deberet propriis sumptibus illas visitare, quia sic negligeret visitare. At verò si aliqua Ecclesia non solvat Subsidium Charitativum, nullum noeumentum patitur. Restat igitur, quod sicut tributum privilegio, aut pacto, aut compositione remitti potest, & sicut ipsum Charitativum Subsi-

dium similiter privilegio, aut pacto remitti potest; ita & præscriptione temporis immemorialis, quæ vim Tituli, & Constituti habet.

§. TERTIUS.

DE CENSIBUS, CATHEDRATICO, ET PROCURATIONIBUS.

22 CEnsus in communi est quantitas, seu summa, quæ alteri annuatim solvitur; unde etiam tributum, & pensionem comprehendit. Verùm hìc sumitur Census pro annuo reddìtu, qui ex bonis Ecclesiæ solvitur, vel Superiori in signum subjectionis, ut Episcopo. *Cap. Constitutus. de Religios. Domib.* Summo Pontifici. *Cap. Recepimus. de Privilegiis*, vel etiam Inferiori. *Cap. Querelam. de Elect. Cap. Cum Canonicus. de Censibus*, vel denique Patronis, qui in dotatione Ecclesiæ authoritate Episcopi illum sibi reservarunt. *Cap. Præterea. de Jure Patronatus.*

23 Debentur etiam Episcopo à qualibet Ecclesia suę Diœcesis duo solidi, ideſt duo aurei, quorum septuaginta duo faciunt libra auri, ut ait Nebrissensis *in Vocabulario utriusque Juris. Verbo. Solidus*. in signum subjectionis, & honorem Cathedræ, atque ideo nomine Synodatici, seu Cathedratici donantur. *Cap. Conquerente. de Offic. Ordinar.* ibi: *Synodatici, seu Cathedratici nomine duos solidos. Cap. Pastoralis. de Donationibus.* ibi: *Præter Cathedraticum.* & *Can. Placuit. 10. quæst. 3.* ibi: *nullus Episcoporum præter honorem Cathedræ suæ, ideſt duos solidos, aliquid aliud per Ecclesias tollat.*

24 Notandum quod Census ab initio fundationis, & dotationis Ecclesiæ imponi debet, quia postquam fundata, & dotata est, non potest novus Census imponi,

nec

Digitized by Google

nec vetus augeri. *Cap. Scientes. Cap. Prohibemus. Cap. Significavit. de Cenſibus.* Nec Patronus ſive Laicus, ſive Clericus, nec Epiſcopus poteſt novum Cenſum imponere, aut veterem augere. *Cap. Præterea, & Sequentib. de Cenſibus &c.* Permittitur autem Epiſcopo quoties Eccleſiam ſuæ Diœceſis de conſenſu Capituli reddit exemptam, reſervare ſibi Cenſum aliquem. *Cap. Paſtoralis. de Donation. Cap. Conſtitutus. de Religioſis Domib.* & *Cap. Cum venerabilis. de Cenſibus.*

25 Procuratio eſt exhibitio neceſſariarum expenſarum pro Viſitatione debitarum habenti Jus viſitandi. *Cap. Cum Apoſtolus. Cap. Cum inſtantia.* & *Cap. Procurationes. de Cenſibus, Exactionibus, & Procurationibus.* Nec ulla Eccleſia excuſatur à ſolvendis Procurationibus, nec ulla præſcriptio in contrarium tenet. *Cap. Cum Inſtantia. de Cenſibus &c.* & *Cap. Conquerente. de Officio Ordin.* Ratio eſt, quia Procuratio datur in ſignum ſubjectionis, & obedientiæ Prælato habenti Jus viſitandi; ſed contra talem obedientiam Subditus præſcribere nequit. *Cap. Cum non liceat. de Præſcription.* ergo &c. Poteſt tamen Summus Pontifex per ſpeciale privilegium concedere exemptionem. *dicto Cap. Cum inſtantia. de Cenſibus &c.* ſed in textu. *Niſi fortè per ſpeciale privilegium Sedis Apoſtolicæ*: adduntur hæc verba: *quod non credimus.* Unde videtur, quod non ſoleat dari talis exemptio Eccleſiis non ſolvendi Procurationes ſuis Viſitatoribus. Debent igitur Eccleſiæ, & pia loca, & Clerici ſolvere Procurationes Epiſcopo viſitanti, non verò Laici, quia in textibus ſolùm de Eccleſiis, & Clericis fit mentio. Vallenſis *lib. 3. tit. 39. §. 4. n. 1. & 2.*

26 Notandum, quod quanvis contra Procurationes non poſſit præſcribi, ſicut nec contra Jus Cathedraticum, & etiam contra Charitativum Subſidium ſecundùm Doctores ſuo loco adductos, tamen conſuetudine poteſt in-

Digitized by Google

troduci, ut Ecclesiæ gratis visitentur, & talis consuetudo servari potest, dicente Tridentino *sess. 24. de Reform. cap. 3. In jis verò locis, aut provinciis, ubi consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud à visitantibus accipiatur, sed omnia gratis fiant, ibi id observetur.*

27 Notandum secundò, quod juxta Tridentinum citatum, & Canones supra adductos non debent Visitatores Prælati gravare Ecclesias, & Clericos, sed solùm quæ necessaria sunt ad victum, & iter peragendum pro se, & suis exigere. Item si loco pecuniæ solitæ velint visitati victualia præbere, est in eorum optione, salvo tamen Jure antiquarum conventionum Prælatorum cum Ecclesiis non Parochialibus, & Monasteriis, & piis locis inito, quod Jus debet illæsum permanere. Reliquæ quæstiones, quæ occurrunt de Procurationibus, apud Barbosã *lib. 3. Jur. Eccl. cap. 22.* videri possunt. Extat hodie Bulla Innocentii XI. quæ dicitur Taxa Innocentiana, in qua taxantur omnia emolumenta in omni materia spirituali, quæ percipi possint ab Episcopis. Videatur Pignatelli *to. 8. consult. 11. in fine.* ubi ea Bulla refertur.

§. QUARTUS.

DE OBLATIONIBUS, ET PRIMITIIS.

28 OBlatio in genere complectitur non solùm ipsas Oblationes, sed etiam Primitias, & Decimas. Quia Oblatio ut sic est quidquid Fidelis offert Deo, & Ecclesiæ. Quidquid autem Deo, & Ecclesiæ offertur dividitur tanquam in species, in Oblationes, Primitias, & Decimas. *Cap. Causa Carpensis. de Verbor. Significat.*

29 Est igitur Oblatio specialiter dicta rei mobilis, vel

vel immobilis ex propriis, & licitis bonis ad divinum cultum Deo, vel Ecclesiæ donatio. *dicto Cap. Causa Carpensis. de Verbor. Signific.* Atque fieri potest vel inter vivos, vel causâ mortis, vel ad manum Sacerdotis celebrantis se convertentis ad populum, atque hæc ultima ex consuetudine vocatur specialissimè Oblatio. Est autem naturâ suâ voluntaria, & nemo tenetur ex lege diebus festis ad offerendum; nihilominus potest esse de necessitate, primò si consuetudo adsit, quod major pars Populi, vel Capituli, aut Collegii offerat in manu Sacerdotis celebrantis diebus festis aliquid. Secundò si Ecclesia Parochialis sit indigens. Tertiò si concedatur Universitati fundus sub ea conditione, ut fiat Oblatio. Quartò si quis reliquerit aliquid Ecclesiæ offerendum. Vallensis *lib. 3. tit. 29. §. 1. n. 4.* Barbosa *lib. 3. Jur. Eccles. cap. 23. n. 9. 10. 11. & 12.*

30 Diximus Oblationem esse de propriis, & licitis bonis, quia quidquid illicitè acquisitum est, v. g. ex furto, usuris, meretricio &c. non recipitur ut Oblatio, dicente Ecclesiastico. *cap. 35. v. 14. Noli offerre munera prava, non enim suscipiet illa.* Item Oblationes ad Altare non recipiuntur ab opprimentibus pauperes, à sacrilegis, à publicis meretricibus, & aliis perditis personis enumeratis juxta sententias Authorum à Barbosa *lib. 3. Jur. Eccles. cap. 23. à n. 14. usque ad 22.*

31 Hæ autem oblationes, si fiant in Parochiali Ecclesia, cedunt Parocho, si in alia, Prælato ejus. *Can. Quia Sacerdotes 10. q. 1.* Nec possunt Laici eas sibi usurpare. Si fiant Cappellæ habenti gubernationem separatam, & bona propria distincta à bonis Ecclesiæ, in qua est, aut altari intuitu ipsius, cedunt Oblationes in bonum ipsius Cappellæ, vel Altaris; si autem non fiant tali intuitu, cedunt non Cappellano, sed Rectori Ecclesiæ. Et similiter si fiant Oratorio sito intra fines Parochiæ, non Oratorio,

Digitized by Google

ſed Eccleſiæ Parochiali acquiruntur Oblationes. Ita cum pluribus Barboſa *dicto Cap. 23. à n. 22. uſque ad 27.* Vallenſis *dicto lib. 3. tit 29. §. 2. n. 3.* Eſt autem magna quæſtio, an Oblationes factæ Imagini depictæ in pariete perſonæ privatæ debeantur Eccleſiæ Parochiali, intra cujus limites eſt illa Imago? Et quod ipſi debeantur, relatis aliorum opinionibus, firmat Fagnanus *in Cap. Paſtoralis. de Iis, quæ fiunt à Prælatis. à n. 16. uſq; in finem.*

32 Epiſcopus poteſt participare de Oblationibus, quæ fiunt Eccleſiis juxta *Can. Conceſſo. 12. q. 2.* ubi tamen fuerit conſuetudo, ut ipſe (ut ibi dicitur) unam ex quatuor partibus, in quas dividi debent Oblationes, recipiat. Cæterum Parochus de Jure habet intentionem fundatam ſuper Oblationes, quæ fiunt intra fines ſuæ Parochiæ, vel circa benedictionem nuptiarum, in adminiſtratione Sacramentorum, ac celebratione Miſſarum. *Can. Statuimus. 16. quæſt. 1.* Etiamſi non ipſe Parochus per ſe ipſum, ſed per alios exerceret ea miniſteria; quia quidquid per alios facit, per ſe ipſum facere videtur. *Cap. Qui facit. de Regul. Jur. in 6.* Quod ſi Epiſcopus celebret in ſua Cathedrali, vel in Parochia, tunc ei ſoli Oblationes cedunt. Fagnanus *citatus n. 28.* Sicut etiam Archiepiſcopo celebranti in Provincia. Si verò ex cõſuetudine, etiam in tali caſu percipiat Parochus Oblationes, debetur Epiſcopo canonica portio juxta Vallenſem *lib. 3. tit. 29. §. 2. n. 4. verſ. Si verò.* Verùm Oblationes factas in Cathedrali ſpectare ad Archipresbyterum, vel alium, qui in ea curam animarum habet, & Sacramenta miniſtrat, non verò ad Epiſcopum, aut Archiepiſcopum deciſum eſſe refert Barboſa citatus *n. 29. prope finem.* & Fagnanus *in dictum Cap. Paſtoralis. de Iis, quæ fiunt à Prælatis n. 26.*

33 Eſt notandum, quod Parochus ſibi retinere poteſt Oblationes, quoties voluntas offerentium non exprimitur eſſe ad certum finem, v. g. pro Fabrica, pro Miſſis &c.

Si

Digitized by Google

Si enim talis finis exprimitur, solùm habet Parochus administrationem illarum Oblationum, non autem eas omnes in usum proprium convertere potest. Barbosa cum aliis *loco citato n.* 30. & habetur expressè *in Can. Quatuor autem.* 12. *quæst.* 2. ibi: *Nefas est, si Sacris ædibus destitutis in lucrum suum Præsul impendia his deputata convertat.* Omnes dixi, quia pro suo labore partem aliquam retinere potest.

34 Notandum secundò, quod quando dicimus Oblationes cedere Parocho, vel Rectori Ecclesiæ, non contradicimus. *Can. Quatuor. Can. Vulterranæ. Can. Confesso. & aliis sequentibus.* 12. *quæst.* 2. in quibus omnibus dicitur Oblationes Fidelium, sicut & redditus Ecclesiæ dividi debere in quatuor partes, quarum una sit Episcopi, alia ministrorum Ecclesiæ, tertia pauperum, & quarta fabricæ applicanda, itaut si aliter fiat, teneatur ad restitutionem Presbyter, qui sibi soli Oblationes, seu redditus Ecclesiæ applicaverit. *Can. De redditibus, eadem causa.* 12. *quæst.* 2. *in fine.* Non contradicimus, inquam, talibus Canonibus, sed in primis supponimus, talem divisionem institutam fuisse ante divisionem Beneficiorum, quando redditus Ecclesiæ, & oblationes Fidelium factæ illis erant in communi; nunc autem quia cuilibet Episcopo, & cuilibet Beneficiato assignantur sui redditus, adeoque quilibet est verè Dominus illorum, juxta sententiam gravissimorum Doctorum, non debet ex justitia fieri supradicta divisio, adeoque, si non fiat, non datur obligatio restituendi; datur tamen obligatio ex Religionis virtute in Rectore Ecclesiæ, ut de superfluis congruæ suæ sustentationi largiatur pauperibus, & restaurationi Ecclesiæ; adeoque sicut, si redditus omnes in profanos usus expendat, peccat mortaliter, ita si Oblationes, quæ sunt liberæ, idest non cum expressa voluntate offerentis ad aliquem finem, si omnes in profanos usus impendat,

pec-

peccabit graviter, ut docent communiter Theologi asserentes Beneficiatos esse Dominos fructuum, & proventuum. Deinde dicimus, quod prædicti Canones loquantur de Ecclesiis Matricibus, seu Cathedralibus, non verò de Parochialibus, in quibus salva portione Episcopi, ubi est consuetudo, omnia sunt Rectoris, ut ait Fagnanus *in dictum Cap. Pastoralis, de his, quæ fiunt à Prælatis n.* 31. Sunt, inquam, modo supradicto, scilicet si non ex justitia, saltem ex Religione, ut aliqua ab proprium usum, alia in bonum Ecclesiæ, & Cultus divini, alia in subventionē pauperum convertat.

35 Præterea Oblationes, quæ sunt in Ecclesiis Regularium acquiruntur Monasterio pro Religiosis ibi servientibus, non verò Parochio; quia quanvis sint Monasteria in Parochia, non sunt tamen de Parochia, & Diœcesi: Fagnanus citatus *n.* 34. & 35. Denique quanvis Laici, ut dixi, non possint accipere Oblationes, tamen possunt Confraternitates Laicorum ex consuetudine accipere eas, dummodo nihil sibi applicent, sed in usus pios omnia convertant. Idem Fagnanus citatus *n.* 22. Videri potest de Oblationibus Pignatelli *tom.* 4. *Consult.* 160. ubi plura dicit.

36 Primitiæ distinguuntur ab Oblationibus, quia Oblationes sunt quæcunque res Deo offeruntur: Primitiæ verò sunt primi fructus agrorum, & arborum, qui antequam nobis inserviant, Deo ut datori illorum offerimus in signum grati animi. Fuerunt in veteri lege in præcepto, ut constat ex Exodi. *Cap.* 23. *v.* 19. *Primitias frugum terræ tuæ deferas in domum Domini Dei tui.* & aliis Scripturæ locis. Nunc de Jure Canonico non sunt de præcepto, sed de consilio, nisi ubi est consuetudo Primitias offerendi, & ubi Minister Ecclesiæ est indigens, in quibus casibus, qui Primitias non reddunt, excommunicari possunt. *Can. Præterea. §. deinde Distinct.* 32.

37 Quan-

37 Quantitas non est præfixa ipsa, sed arbitrio ipsorum relicta. *Cap. 1. de Decimis, Primitiis, & Oblationibus. §. At vero*; adeoque ad consuetudinem nunc recurrendum est. Et quanvis Primitiæ Deo offerantur, tamen ex voluntate ipsius Dei dantis suam partem Sacerdotibus, & Ministris ejus, solvendæ sunt proprio Parocho. Videatur Azorius *par. prima lib. 7. cap. 8.* ubi etiam de Oblationibus agit.

§. QUINTUS.

DE DECIMIS.

38 DEcima est decima pars omnium mobilium, seu fructuum Jure quæsitorum solvenda quotannis Ministris Ecclesiæ. Dicitur omnium fructuum, quia sic habetur *ex Cap. Pervenit. & Cap. Nuntios. de Decimis*. in quibus numerantur omnia, ex quibus Decimæ solvi debent, & ea etiam numerat Barbosa *lib. 3. Juris Eccles. cap. 26. §. 1.* Dicitur Jure quæsitorum; quia Fidelis homo de omnibus, quæ licitè potest acquirere, non verò de illicitè acquisitis Decimas solvere debet. *Cap. Ex transmissa. eodem titulo.* Dicitur Decima pars, quia sic habetur in toto titulo de Decimis, cum quo tamen stat, quod si solvatur duodecima, vel vigesima, semper vocatur Decima.

39 Decimæ aliæ sunt Prædiales, aliæ Personales, aliæ Mixtæ. Prædiales sunt, quæ solvuntur ex bonis immobilibus, v. g. Agris, Vineis, Silvis, Hortis, Molendinis, Domorum locationibus. Personales sunt, quæ solvuntur ex lucris industriæ personalis, v. g. ex negotiatione, artificio, venatione, militia, artium professione. Mixtæ sunt, quæ partim prædiales, partim sunt personales, v. g. ex fructibus Pecorum, aut Avium in propriis

præ-

Digitized by Google

prædiis concurrente personali industria acquisitis. Differentiæ inter has Decimas est, quod Prædiales, & Mixtæ debent integræ solvi statim fructibus collectis, non detractis expensis, neque detracta portione Census, aut Tributi *Cap. Cum homines. Cap. Tua nobis. de Decimis &c.* Decimæ autem personales solvi debent detractis expensis *Cap. Pastoralis. eodem titulo.* Ratio est, quia hæ solvuntur ex fructibus, seu lucro; lucrum autem, seu fructus non intelligitur, nisi detrahantur expensæ. Illæ autem solvuntur ex fructibus terræ, qui fructus esse censentur, etiam non deductis expensis; cum nulli fructus acquirantur in prædiis, nisi salvâ Decima, quam sibi Dominus reservavit; & ideo priùs solvendæ sunt Decimæ, quàm census *Cap. Cum non sit in homine. de Decimis &c.* Sunt hic variæ solvendæ quæstiones. Ideo sit.

QUÆSTIO PRIMA.

QUO JURE DEBEANTUR DECIMÆ?

40 NOn est quæstio, an aliqua pars indeterminata fructuum, quos percipimus, debeatur Jure divino, & naturali Presbyteris ministrantibus Sacramenta; quia certum apud omnes est, quod utrumque Jus naturale, & divinum præcipit, ut Ministris Ecclesiæ præbeatur necessaria sustentatio; dicente Apostolo 1. *ad Corinthios. cap. 9. ver. 12. Si nos vobis Spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus. Dominus annunciavit, ut qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivant, & qui Altari deserviunt, de Altari vivant.* Et Christus *Matth. 10. ver. 11.* dicit: *Dignus est enim Operarius cibo suo.* Naturalis autem ratio dictat, ut qui pro nobis laborat, à nobis sustentetur, & stipendium accipiat.

Digitized by Google

41 Quæstio igitur est, an talis pars determinata, nimirum decima pars fructuum omnium sit Jure divino, an verò Jure Canonico debita Ministris Ecclesiæ, & quidem in lege Evangelica, nam in lege veteri, certum est debitam fuisse de præcepto divino, ut constat *ex Levitici cap. 27. vers. 30.* & aliis scripturæ locis. Atque in hac quæstione quanvis plurimi Canonistæ, quos refert Azorius *par. 1. lib. 7. cap. 34. quæst. 4.* sustineant debere ex Jure divino solvi decimam partem; dicendum nihilominus cum ipso Azorio *versu: In his igitur.* Andrea Vallensi *lib. 3. tit. 30. §. 4. n. 4.* Layman *lib. 4. trac. 6. cap. 2. n. 2. versu: Altera verò.* & aliis ab ipsis relatis Doctoribus, quod in lege Evangelica pars determinata fructuum, nimirum Decima, debetur tantum ex Jure Canonico. Acquita Divus Thomas 2. 2. *quæst. 87. art. 1. in Corp.* dicens: *Ita etiam determinatio Decimæ partis solvendæ est authoritate Ecclesiæ tempore novæ legis instituta.* Probatur, quia in lege Evangelica nullum datur præceptum de tali determinata quantitate solvenda Ministris Ecclesiæ, sed solùm dicitur, quod debeatur illis congrua sustentatio, & quod debeant de Evangelio, & Altari vivere. Item si esset de Jure divino, non potuisset tolli, aut minui per contrariam consuetudinem, & tamen quod possit, supponitur *in Cap. In aliquibus. §. finali. de Decimis, Primitiis, & Oblationibus.*

42 Nec obstant, quæ in contrarium adducuntur; nam præceptum legis antiquæ, quia non morale, sed Judiciale, morte Christi sublatum est, ut docent cum Divo Thoma Theologi omnes. Ait enim Divus Thomas, quod præcepta antiquæ legis, quæ erant ceremonialia, ita sublata sunt in lege gratiæ, ut non liceat illa amplius servare. Præcepta verò moralia, omnia remanserunt; præcepta verò Judicialia sublata sunt; sed possunt servari sine peccato; & quoties Ecclesia illa approbat, ut est

Digitized by Google

præceptum de Decimis, tunc debet servari. Ita Divus Thomas 2. 2. *dicta quæst. 87. art. 1. in Corpore.*

43 Nec obstat secundò locus *Matthæi 23. ver. 23.* in quo Christus dicit Pharisæis: *Decimatis mentam, & anethum &c.* & subjungit: *hæc oportet facere*, quia verbum, *oportet*, refertur ad ipsos Pharisæos, quibus erant præceptæ à Deo Decimæ.

44 Similiter nec obstat alius textus *Matth. 5. Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum*, quia sensus est, quod justitia nostra debet esse major, non in solvenda Decima, aliàs deberemus solvere plusquam Decimam, sed in interiori homine, de quo Pharisæi non curabant, qui solùm erant in quibusdam externis actionibus solliciti.

45 Denique neque obstant aliqui Canones, in quibus dicuntur Decimæ solvi debere ex Jure divino; nam sensus est, quod Decimæ ortum habent à Jure divino, quatenus ad similitudinem veteris legis Ecclesia eas præcipit, sicut Jejunium quadragesimale, vocatur à Patribus præceptum divinum, quia ad imitationem Christi Domini fuit institutum ab Apostolis. Vel intelligendi sunt Canones juxta sententiam nostram, quamvis de Jure divino sit, quod detur pars fructuum Clericis pro sustentatione, non autem quod detur talis determinata pars.

QUÆSTIO SECUNDA.

QUIBUS DEBEANTUR DECIMÆ?

46 DEcimæ personales spectato Jure communi solvi debent Ecclesiæ Parochiali, in quâ tenetur quisque Sacramenta percipere. *Cap. Ad Apostolicæ. de Decimis &c.* ibi: *Æquum est, ut illi Ecclesiæ Decimæ per-*

personales reddantur ab eis, in qua Ecclesiastica percipiunt Sacramenta. Prædiales verò illi Ecclesiæ Parochiali, intra cujus fines sunt Prædia constituta. Quod si quis in una Parochia percipit Sacramenta, & in alia habet Prædia sita, standum est consuetudini, cui nam Parochiæ ex illis debeantur Decimæ prædiales. Ita *in dicto Cap. Ad Apostolicæ. de Decimis &c.* ibi: *Eligas in hoc casu, quod per consuetudinem diu obtentam ibidem noveris observatum.* Decimæ mixtæ, quæ ex fructu Pecorum debentur, solvi debent Parochiæ, intra cujus fines Pecora pascuntur. Ita Glossa *in dictum Cap. Ad Apostolicæ. de Decimis, &c. verbo: Personales.* ubi dicit, quod si diversis temporibus in locis intra terminos diversarum Parochiarum pascantur, æquum est, ut Decimæ dividantur.

47 Quæritur hìc si Ecclesia Baptismalis, nimirum in qua est fons Baptismi, & Parochiani baptizantur, sit distincta ab Ecclesia Parochiali, nimirum ab ea, in qua recipiuntur Sacramenta reliqua, cui nam debeantur Decimæ? Et dicendum est, quod Decimæ personales debent solvi Ecclesiæ Parochiali, in qua recipiuntur Sacramenta; prædiales verò, si quæ ex illis Ecclesiis habet assignatos terminos, debent solvi illi, intra cujus terminos sunt Prædia. Si denique Ecclesia Baptismalis sit veluti Matrix, & Parochialis sit subjecta illi, ut filialis, debentur Decimæ Ecclesiæ Matrici, cujus Rector justum stipendium dabit illi Cappellano. Ita communiter Doctores. Videatur Layman *lib. 4. trac. 6. cap. 4. n. 3. versu, Sed quærunt.* & *n. 4.* & Vallensis. *lib. 3. tit. 30. §. 6. n. 10.*

48 Episcopo de Jure communi solvenda est quarta decimarum Parochialium à Parochis. *Cap. Conquerente. de Officio Ordin.* & *Cap. De quarta. de Præsumptionibus.* & *Cap. Cum olim. de Censib.* Verùm quia Episcopis jam assignati sunt proprii redditus sufficientes, ideo in pluribus locis non solvitur talis quarta. Sunt tamen aliqui casus

Digitized by Google

certi, in quibus adhuc hodie debentur Decimæ integræ Episcopo; & primò: si ipse met sit immediatus Curatus Ecclesiæ suæ Cathedralis, vel alterius Parochialis, quam per Vicarium administret. Secundò: si prædia sita sint intra suam Diœcesim, & nulli Parochiæ sint assignata. Tertiò: si detur aliqua Diœcesis, in qua non facta est divisio Parochiarum, sed omnis cura ad Episcopum spectat, Decimæ integræ ipsi debentur, & ipse subministrabit Vicariis, & Cappellanis congruam sustentationem. Ita cum aliis ex variis textibus Vallensis *lib. 3. tit. 30. §. 6. n. 12.* Layman citatus *n. 6.* Azorius *par. 1. lib. 7. cap. 36. qu. 9.*

49 Summo Pontifici debentur Decimę ex triplici titulo, nimirùm ut Pastori universali, ut supremo administratori bonorum Ecclesiasticorum, & ut Principi etiam supremo in spiritualibus, unde si eas voluerit ipse exigere potest ab omnibus Christianis. Ita Leßius *lib. 2. de Just. & Jur. Cap. 39. dubit. 5. n. 28.* Non solet tamen Summus Pontifex annualem Decimam exigere; sed loco illius solet in Beneficiis majoribus fructus unius anni exigere pro toto tempore vitæ Beneficiati, qui fructus dicuntur Annatæ.

QUÆSTIO TERTIA.

A QUIBUS DEBEANTUR DECIMÆ SOLVI?

50 DEbentur Decimæ Prædiales solvi ab omnibus Christianis cujuscumque generis, & conditionis, etiam Regularibus, qui prædia possident, nisi habeant exemptionem, de qua *in quæst. 5.* loquemur. *Cap. Tua nobis. de Decimis &c.* Item etiam à Judæis, & Paganis, qui agros possident, aut colunt in terris Christianorum. *Cap. De terris. de Decimis &c.* Ratio est quia Decima est onus annexum rei, ideoque transit cum re ad quemcunque

Digitized by Google

que possessorem. *Cap. Cum non sit. de Decimis &c.* ibi: *Quoniam res cum onere suo transit.* Et quia Decimæ debentur ex fructibus prædiorum, non Domini, sed Conductores illorum debent solvere Decimas, quoties prædia sunt elocata. *Cap. Dilecto. Cap. A nobis.* & *Cap. Tua nobis. de Decimis &c.*

51 Decimæ personales solùm debentur à personis, quæ Sacramenta recipiunt, aut tenentur recipere in Ecclesia Parochiali. Sunt qui docent, quod etiam Judæi teneantur, quia non stat per Ecclesiam, quæ omnibus sinum suum aperit, sed per ipsos, quod Divina non percipiunt. Similiter Meretrices, & Histriones ex meretricio, & histrionio solvere debet Decimam, quia licèt turpiter faciant ad tale exercitium se exponentes, non tamen turpiter pretium accipiunt. Vallensis *lib. 3. tit. 30. §. 7. n. 4.* Verum tamen est quod Decimæ personales, ut dicemus *quæst. 5.* ferè nullibi solvuntur.

QUÆSTIO QUARTA.

QUANDO, ET UBI DEBEANTUR Decimæ, & an debeantur de Novalibus?

52 Decimæ prædiales debentur statim ac fructus terræ collecti sunt, & separati à solo. *Cap. Cum homines. de Decimis.* juncta Glossa *Verbo. Fructibus collectis.* ubi addit, quod si rusticus est in mora solvendi, ad ipsum spectat periculum Decimarum.

53 Non obligatur Dominus prædii, aut Colonus deferre Decimas ad horreum Ecclesiæ Parochialis, sed sufficit, si statim ac colligit fructus, moneat Parochum, ut Decimam auferat; Quod si Parochus negligat auferre, & fructus patiantur damnum, ipsi imputabitur. Ita cum pluribus Doctoribus Laymann *lib. 4. trat. 6. cap. 5. n. 2.*

Digitized by Google

54 Ubi sunt in usu Decimæ personales, solvi debent singulis annis, sicut alii census, & pensiones. Decimæ verò mixtæ quando solvi debeant, pendet à locorum consuetudine.

55 Unum hìc noto, quod Parochus non potest cogere Dominum, aut Colonum prędii ad Decimas solvendas, quia ipse non habet Jurisdictionem Forensem in Parochianos, ideoque debet recurrere ad Episcopum, qui non solventes cogere potest, & post trinam monitionem excommunicare. Juxta *Cap. Ad hæc. de Decimis.* ibi: *Vinculo excommunicationis astringat.* & Tridentinum *sess. 25. de Reform. cap. 12.*

56 Novale hìc sumitur pro agro de novo ad culturam redacto, ita ut non extet memoria, quod antea fuerit cultus vel si talis sit, ut antea vel nullum, vel modicum fructum dederit. Glossa *in Cap. Commissum. Verbo. Pascuis. de Decimis &c.* Jam si nullum sit privilegium, præscriptio, consuetudo, aut compositio cum Ecclesia Parochiali, intra cujus fines tales agri incipiunt facere fructus, debent solvi ex ipsis Decimę, & quidem juxta modum limitum: si tres v. g. partes sint intra limites unius Parochiæ, & quarta pars intra limites alterius, tres partes Decimarum conveniunt illi, & quarta pars huic. *Cap. Cum contingat. de Decimis &c.* Quod si non appareant limites Parochiarum, vel fiet divisio, vel Episcopus judicio suo assignabit. Vallensis cum aliis *lib. 3. tit. 30. §. 9. n. 3.*

QUÆSTIO QUINTA.

QUOT MODIS POSSIT QUIS EXIMI A SOLVENDIS DECIMIS?

57 PRimus modus est ex privilegio, non quidem Principis Laici, quia ipse non potest de Decimis

cimis disponere. *Cap. Dudum. de Decimis*. Nec Episcopi, quia ipse non potest Jus Canonicum relaxare, sed Summi Pontificis, qui plenam habet potestatem. Atque ita *in Cap. Ex parte. de Decimis*. conceditur privilegium Cistercienſibus, Hospitalariis, & Templariis non solvendi Decimas hortorum suorum, aut novalium, quos ipsi propriis sumptibus, vel laboribus excoluerint. Privilegium etiam habuerunt alii Regulares, & Societas nostra, ut de prædiis, terris, aliisque locis, quæ potest possidere, nullam Decimam solvat, ut *in Compendio privilegiorum Societatis Jesu. Verbo. Exemptio.* §. 4. & 5. & de eo *in quæst: sequenti* redibit sermo. Videatur Azorius *par.* 1. *lib.* 7. *cap.* 37. *quæst.* 6. *per totam.*

58 Secundus modus est per consuetudinem legitimè introductam, unde tenet consuetudo, quæ est in aliquibus locis non solvendi decimas ex fabis, rapis, & similibus, vel solvendi partem minorem Decimæ, vel de nullis rebus solvendi Decimam. Ratio est, quia sicut Summus Pontifex potest Decimam remittere, si Clerici aliunde habeant bona, quibus sustententur, ita etiam consuetudo potest tollere onus solvendi Decimas, ubi jam sit introducta, ex eo quod Parochus habet unde vivat ex Beneficio Ecclesiastico assignato. Ita Azorius *dicta par.* 1. *lib.* 7. *cap.* 37. *quæst.* 2. *vers. Attamen. usque ad quæst.* 3. & Barbosa *lib.* 3. *Jur. Eccles. cap.* 26. §. 3. *à n.* 64. *usque in finem.* Decimæ personales videntur per consuetudinem sublatæ. Vallensis *lib.* 3. *tit.* 30. §. 8. *n.* 3. Barbosa citatus *n.* 30. & alii.

59 Tertius modus exemptionis est per præscriptionem, quia quanvis Laici sint incapaces. Juris percipiendi Decimas; adeoque nulla præscriptione illud acquirere valeant, juxta *Cap. Causam. de Præscription.* ibi: *Cum Laici Decimas detinere non possint, eas nulla valent præscribere ratione*. tamen non sunt incapaces exemptionis ab eis solven-

ſolvendis; adeòque poſſunt præſcribere, & quidem ſine titulo per tempus memoriam hominum excedens; cum titulo, per ſpatium quadraginta annorum, cum non minori tempore, quàm quadraginta annorum currat contra Eccleſiam præſcriptio. *Cap. Illud autem. de Præſcript.*

60 Quartus modus exemptionis à ſolvendis Decimis eſt per Compoſitionem, vel Trãſactionem. Eſt Compoſitio gratis, & liberaliter facta conventio fieri ſolita inter amicos. Tranſactio autem eſt de re dubia, & lite incerta facta conventio aliquo dato, vel retento pacto. *Cap. Super eo. de Tranſactionibus*. Jam fieri poſſe compoſitionem inter Clericos, ut potius uni, quàm alteri Decimæ ſolvantur, eſt certum *ex Cap. Statuimus. de Tranſactionibus.* & *Cap. Dilecti. de Decimis*. Et quidem ſi facta ſit cum conſenſu Epiſcopi, eſt firma, & tranſit ad Succeſſores; ſi verò privata authoritate ſit facta, ſolùm tenet inter ipſos, non verò obligat Succeſſores. Compoſitio verò, in qua Laicus non ſolvat integram Decimam, aut quod non ſolvat, ex talibus fructibus, non tenet, niſi authoritate Summi Pontificis fiat. Tranſactio verò rigoroſè ſumpta, nimirum cum pacto aliquo non poteſt fieri, quia ſapit Simoniam. *ex dicto Cap. Super eo. de Tranſactionibus.* Si verò Tranſactio confundatur cum Compoſitione, & amicabiliter fiat, & ſine ullo pacto aliquid temporale præſtandi ab uno ex contrahentibus, utique tenet. juxta *Cap. Dilecti. de Decimis in fine.* ibi: *Vel cum ipſis amicabiliter componatis*.

61 Denique poſſunt Decimæ non ſolvi, quoties habetur ab eo, cui debent ſolvi, Remiſſio. juxta *Cap. Quia circa. de Privilegiis*.

QUÆ-

QUÆSTIO ULTIMA.

UTRUM PRIVILEGIUM NON SOLVENDI Decimas, tantùm intelligi debeat de prædiis ante Privilegium; & an Coloni prædiorum exemptorum eximantur à Decimis solvendis?

62 QUæstio est, an prædium, quod relinquitur Religiosis Societatis Jesu, aut aliis ejusdem tenoris privilegium habentibus, transeat cum onere, quod habebat de solvendis Decimis; & an Coloni excolentes prædia dictorum Religiosorum, debeant solvere Decimas ex fructibus, quos percipiunt Coloni ipsi, nimirum si ipsis pars fructuum, vel medietas fuerit à Religiosis concessa, sibi ipsis retenta alia medietate, vel aliis partibus.

Respondeo cum Azorio *par.* 1. *lib.* 7. *cap.* 37. *quæst.* 6. *versu: Tertiò vocatur.* quod privilegium extenditur ad quæcunque prædia sive antea, sive postea acquisita. Ratio est, quia tale privilegium non solùm est personale, quo personæ eximuntur à solvendis Decimis, sed etiam reale, quo bona ipsa, seu prædia eximuntur à Decimis, nec privilegium aliquid distinguit, sed concedit, ut à quibusvis Decimis sint liberi Religiosi prædicti, quod melius infra constabit relatis verbis privilegii.

63 Nec obstat *Cap. Cum non sit in homine. de Decimis.* ubi dicitur, quod quia res cum onere suo transit, debent Decimæ solvi ab eo, ad quem res transit, adeoque prædium transiens in dominium Religiosorum, transit cum onere, quod habebat, Decimas solvendi; non obstat, quia ibi est sermo de privilegio personali, quo personæ

Digitized by Google

fiunt immunes, non res, quæ ad ipsas veniunt. At verò cum Religiosi prædicti, non solum ipsi, sed eorum prædia habeant immunitatem, sequitur, quod prædia, si fiant ipsorum, jam fiunt ipsa etiam exempta.

64 Propter eamdem rationem Colonus prædiorum Religiosorum prædictorum non tenetur ad Decimas solvendas, quia privilegium non est personale tantùm respiciens personas Regulares, sed reale respiciens ipsa prædia; ergo si prædia ipsa à Decima eximuntur, etiam Coloni, seu Conductores eorum eximuntur. Ita cum Ancharano, Imola, Cardinali, & Abbate Azorius *dicto Cap. 37. par. 1. lib. 7. quæst. 7.*

65 Nec obstat *Cap. Licèt. de Decimis.* ubi dicitur, quod privilegium non extenditur ad eos, quibus terras suas dant Religiosi excolendas; non obstat, inquam, quia ibi sermo est de Templariis, Hospitalariis, & Cisterciensibus, quibus fuerat concessum privilegium, ut de laboribus, & terris, quas ipsi propriis manibus, vel sumptibus excolebant, non solverent Decimas; adeoque tale privilegium, non se extendere debebat ad Colonos, vel Conductores suarum terrarum. At nunc hoc privilegium est generalius concessum Religiosis prædictis, ut omnia eorum bona sint libera. Et ideo etiam illi agri, quos Religiosi habent in emphitheusim, vel locati, sunt liberi à Decimis, quia verè agri in Emphitheusim accepti sunt in ipsorum Religiosorum bonis; & quia Emphitheusis est quædam locatio ad longum tempus, sequitur quod etiam agri locati ad breve tempus sint liberi, quia longum, vel breve tempus non mutat rei substantiam. Ita idem Azorius ibidem *quæst.* 8.

66 Nec obstat *Cap. Dilecti. de Decimis.* ubi dicitur, quod ex agris conductis debeant Privilegiati Decimas solvere; non obstat, inquam, quia privilegium, de quo ibi est sermo, ut videre est apud Glossam *verbo: Casus.* non

est

est concessum simpliciter, sed eatenus dumtaxat, ut de illis prædiis, quæ propriis sumptibus colebant, non solverent Decimas; adeoque tale privilegium non debuit extendi ad prædia ab aliis conducta, quæ Decimas solita erant solvere; at verò privilegium absolutum, quo conceditur, ut Jesuitæ non solvant Decimas ex prædiis, quæ habent, comprehendit, & propria, & conductitia; quia utraque habent. Verba autem privilegii Societatis nostræ concessi à Pio IV. & Paulo III. quæ referuntur à Gregorio XIII. in Constitut. quæ incipit: *Pastoralis Officii. sub die prima Januarii* 1578. §. 2. *in Bullario novo to.* 2. *pag.* 421. & confirmantur, & ampliantur in §. 4. ut valeant, non obstante Constitutione Innocentii III. super Decimis in Concilio generali, quæ Constitutio incipit *Nuper.* sunt sequentia: *Universam Societatem prædictam, omniaque, & singula illius Domos etiam Probationis, & Collegia ubique consistentia, præsentia, & futura, eorumque personas, fructus, redditus, & proventus etiam Bonorum Ecclesiasticorum, Sæcularium, & Regularium quorumcunque illis pro tempore unitorum, aliasque res, & bona quæcunque à quibusvis Decimis, etiam papalibus, prædialibus, personalibus &c.* Ex quibus patet, quod non solum personæ, sed res, & bona eximuntur; adeoque stat, quod dictum est, nimirum privilegium esse non solum personale, sed reale. Qui plura desiderat de Decimis, legat Barbosam *lib.* 3. *Jur. Eccles. cap.* 26. per totum, & Azorium *par.* 1. *lib.* 7. *cap.* 34. 35. 36. & 37.

§. SEXTUS.

DE LEGATIS AD PIAS CAUSAS.

67 LEgatum ad pias causas est quidquid in ultima voluntate relinquitur amore Dei, seu

Digitized by Google

pro ejus honore, & Sanctorum, vel pro salute Animæ, quia semper est pium, quod fit propter cultum divinum, & non pro honore mundi, aut perpetuâ famâ. Ita Silvester *verbo: Legatum quartò. n.* 1. *in fine*, & Armilla *verbo. Legatum. n.* 44. Hinc Legatum pium est, quod relinquitur miserabilibus personis, ut pupillis, viduis, peregrinis, pauperibus. Item quod relinquitur Ecclesiæ, aut locis piis, qualia sunt Hospitalia, Monasteria &c. aut pro ornamentis Ecclesiæ, fabrica, luminaribus, & aliis spectantibus ad divinum cultum. Item quod relinquitur ad custodiam Civitatis, vel aliorum locorum communium, & quod relinquitur pro refectione pontium, viarum, & murorum, & quidem imminente necessitate, nam si non est necessitas, qua respicitur utilitas personarum, non videtur esse pium Legatum, ut ait *loco citando* Barbosa *num.* 21. Item pro maritandis puellis, pro redimendis captivis, pro alimentis egenorum, & generaliter quod relinquitur Deo, intelligitur relictum pro anima. Ita ex variis Juribus Silvester, & Armilla citati, & Barbosa *lib. 3. Jur. Eccles. cap.* 27. *à n.* 2. *usque ad* 22.

68 Est in controversia an quod relinquitur Consanguineo pauperi, censeri debeat Legatum pium? & dicendum quod sit, quia jam habetur pietas in persona, & præsumi debet, quod Testator cogitet de sua salute, & ideo non ex affectu carnali, sed pro Dei amore, & animæ suæ salute relinquat; ac proinde causâ pietatis; ergo nihil deficit ad Legatum pium. Ita cum pluribus Barbosa *cit. n.* 10. E contra non est pietas in persona, si legetur aliquid diviti etiamsi dicatur quod legetur pro amore Dei, quia pietas non stat in nomine pietatis, sed in substantia veritatis; unde dicunt Doctores, quod Legatum in favorem alicujus privati, qui non est pauper, non censetur Legatum pium, sicut neque quod legatur pauperi, & non intuitu pietatis, quanvis in tali casu, ut dicebam, si Testa-

tor

tor nihil expresit de titulo, propter quem reliquerit, censendum est reliquisse pro anima, adeoque tale Legatum reputari debet pium. Videatur Sanchez *de Matrim. lib. 1. disp. 4. n. 9.* & Barbosa *lib. 3. Jur. Eccl. cap. 27. à n. 2. usque ad 11.* Sunt hic aliquæ quæstiones solvendæ. ideo sit.

QUÆSTIO PRIMA.

AD QUEM SPECTAT EXECUTIO LEGATI pii, & quo tempore facienda sit?

69 Dico primò: In exequendis ultimis voluntatibus tam Judex sæcularis, quàm Episcopus habent Jurisdictionem à Jure; cum tam lege, quàm consuetudine ad utrumque forum executio ultimarum voluntatum spectet, ut ex variis textibus, & Doctoribus probat Barbosa *lib. 3. Juris Eccles. cap. 27. n. 24.* & Tridentinum *sess. 22. de Reform. cap. 8.* constituit Episcopos executores omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate, quàm inter vivos; & bene congruit Episcopo omnia ad pietatem spectantia cognoscere, & præcipuè id, quod maximè piũ est, nimirũ animas e Purgatorio liberare, quod fit, quando eorum legata pia executioni mandantur; unde datur locus præventioni inter Judicem Ecclesiasticum, & Sæcularem in exequendis legatis piis.

70 Dico secundò: Si spatium fuerit à Testatore præfinitum, non potest Judex Ecclesiasticus, aut Sæcularis cogere hæredes, ut intra brevius tempus exequantur Legatum pium. Ita Abbas *in Cap. Nos quidem n. 10. de Testamentis.* & est communis sententia, quia voluntas Testatoris servari debet. Si verò Testator nullum tempus stabilivit, datur à Jure tempus sex mensium ad adimplendum Legatum pium. Covarruvias *de Testamentis. cap. 3. n. 6.*

Digitized by Google

n. 6. concluſ. 4. Abbas *in dictum Cap. Nos quidem. n. 10. de Teſtamen.* quanvis *in dicto Cap. Nos quidem.* & aliis Juribus ſpatium unius anni concedatur, quo elapſo, ſi hæres non adimplet voluntatem Teſtatoris, Epiſcopus fit executor illius. Igitur ſunt, qui ſuſtinent à Jure ſpatium unius anni aſſignatum eſſe, alii verò volunt, quod hoc ſpatium eſt pro aliis Legatis, & pro piis tunc eſt, quando intra ſex menſes non poſſit opus pium impleri. Denique poteſt Princeps vel longius tempus, vel brevius præfinire ex aliqua juſta cauſa ab eo, quod aſſignavit Teſtator. Imò ſi nullum præfinivit, poteſt Judex reſtringere ſpatium præfixum à lege; quia præſumitur Teſtatorem voluiſſe, ut quanto citius poſſit, impleatur ſua voluntas.

71 Incipit autem tempus exequendi Legata à die aditæ hæreditatis, tempus autem exequendi Legata pia à die inſinuationis teſtamenti, ſeu publicationis. Videatur Barboſa *lib. 3. Jur. Eccleſ. cap. 27. à n. 25. uſque ad* 30. in quibus affert textus, & Doctores pro his quæ dicta ſunt.

72 Notandum eſt hîc, quod dictum ſpatium unius anni cõceſſum à lege, habet locum, quoties agitur ad effectũ, ut ad Judicem ſæcularem, vel Epiſcopum devoluatur poteſtas exequendi Legatum pium, & hæres privetur emolumento hæreditatis; tunc enim elapſo anno, poſito quod Teſtator non præfinierit tempus, debet moneri hæres, & ſi neglexerit poſt monitionem exequi voluntatem Teſtatoris, privari poteſt ab Epiſcopo emolumento hæreditatis, & poteſtate executionis. Si verò agitur de cogendõ hærede, ut exequatur voluntatem Teſtatoris, tunc non eſt expectandum tempus, ſed ſtatim ac adierit hæres hæreditatem, poteſt à Judice ad petitionem partium cogi, ut impleat Legatum, quanvis Teſtator non præfinierit tempus. Ita ex variis legibus Barboſa citatus *n. 30. & 31.* qui deinde *à n. 34. uſque ad* 38. examinat, utrum ſufficiat

unica

Digitized by Google

unica monitio, utrum sit personaliter facienda à Judice, & utrum sufficiat generalis, an requiratur specialis, quoties agitur de privando hæredem emolumento hæreditatis; & resolvit *n.* 35. quod requiritur saltem bina monitio. Si verò solùm agatur de privando hæredem potestate executionis, absque eo, quod privetur suo emolumento, sufficit una monitio. *N. autem* 36. resolvit, quod præceptum, seu decretum monitionis est ferendum à Judice ipso; insinuatio verò, seu notificatio talis decreti potest fieri vel ab ipso Judice, vel per Nuntium, aut Epistolam. Denique *n.* 37. resolvit, quod ad effectum privandi hæredem tum potestate exequendi, tum emolumento suo, requiritur specialis monitio. Si verò agatur solùm de convincenda negligentia exequutorum in generali, sufficit monitio generalis.

73 Dico tertiò: Quanvis tempus à Jure, vel ab homine præfinitum non currat ignoranti, vel legitimè impedito; tamen in Legatis piis, quia tempus datur in favorem conscientiæ Defuncti, & Pauperum, quibus aliquid est distribuendum ex testamento, & non in odium ipsius executoris, currit ignoranti, & impedito, nisi ageretur ad effectum privandi hæredem emolumento hæreditatis, quia tunc non currit impedito legitimè, aut ignoranti. Ita Cardinalis, Barbatius, & Bartholus apud Covarruviam *de Testamentis cap.* 3. *n.* 4.

74 Dico quartò: Constito de negligentia executoris, non solum potest, sed debet ex præcepto Episcopus exequi Testatoris voluntatem. Probatur ex textu *in Cap. Nos quidem. de Testamentis.* ibi: *per te ædificetur*, quæ verba significant præceptum. Ita Barbosa *lib.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 27. *n.* 40.

75 Dico quintò: Etiamsi Testator constituat secundos executores, & prohibeat, ne Episcopus se intromittat, adhuc potest Episcopus executores compellere, & volun-

voluntatem Teſtatoris exequi, ſi fuerint negligentes. Probatur ex textu *in Cap. Tua nobis. de Teſtamentis*, ibi: *Licèt etiam à Teſtatoribus id contingeret interdici.* Et ita tenent quamplures citati ab eodem Barboſa *n.* 41. & ratio eſt clara, quia ineptæ voluntates Teſtatoris debent rejici; hæc autem voluntas, ne Epiſcopus inquirat de non adimpleta ejus voluntate, eſt inepta, cum det occaſionem negligentiæ executoribus conſtitutis. Atq; hinc neque tenet remiſſio rationis reddendæ, quam faciat Teſtator, ſi nimirum prohibeat, ne executores reddere cogantur rationem de adminiſtratione bonorum pro anima relictorum.

76 Dico ſextò: Si executori committatur electio pupillorum, vel pauperum, quibus diſtribuendum ſit Legatum, & elapſo anno, ille non elegerit, non ſolùm ad Epiſcopum devolvitur executio, ſed etiam electio. Ita ex variis Doctoribus idem Barboſa *lib. 3. Jur. Eccl. cap. 27. n. 45.* & tribus rationibus id confirmat.

QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM, ET QUANDO COMMUTARI poſſit voluntas Defuncti circa Legata pia?

77 POteſt primò voluntas Defuncti mutari, quoties Legatum non poteſt impleri de Jure, nec defacto; v. g. relictum fuit, ut ædificetur Monaſterium, quod de Jure ædificari non poteſt ſine licentia Superioris, & talis licentia haberi non poteſt: vel ſi neceſſaria ad ædificationem non habeantur, quia Legatum relictum non eſt ſufficiens, adeoque defacto ædificari non poteſt. Lambertinus. *de Jure patron. lib. 1. par. 1. quæſt. 4. art. 12.* Rocchus de Curte, *de Jure patronatus. verbo*

Con-

Digitized by Google

Construxit quæst. 11. & alii plures cum Barbosa *de Potest. Episc. par.* 3. *alleg.* 83. *n.* 7. & *lib.* 3. *Jur. Eccles. cap.* 27. *n.* 46. *&* 47.

78 Potest secundò mutari voluntas Testatoris, quoties usus Legati relicti impleri non potest, v. g. si voluit Testator, ut in tali loco ædificetur Monasterium, vel in tali Ecclesia, aut Altari celebretur Missa, & in tali loco ædificari non potest Monasterium, nec Missa ibi celebrari, tunc potest concedi, ut in alia Ecclesia, vel Altari celebretur Missa, & Monasterium in alio loco construatur. Vel denique si usus pecuniæ relictæ non est necessarius Ecclesiæ, tunc poterit in alium usum converti magis necessarium ejusdem Ecclesiæ. Ita cum variis Doctoribus idem Barbosa *n.* 48. *usque ad* 55.

79 In faciendis autem talibus mutationibus requiritur justa causa, & Episcopus debet summariè, & extrajudicialiter cognoscere causam, & eam representare Sedi Apostolicæ, antequam executioni mandetur mutatio. Tridentinum *sess.* 22. *de Reform. cap.* 6.

80 Tria tamen servanda sunt in his mutationibus faciendis primum, ut in alium pium usum convertatur Legatum, non enim potest in usum profanum. Secundò in usum proximiorem illi, quem Testator expressit, & utiliorem animæ ejusdem. Tertium, ut hæredes gravati, & Legatarii consentiant.

81 Plura sub hac quæstione de mutatione voluntatis defuncti circa legata pia, solent moveri dubia, quæ resolvere si vellem omnia, jam extra meas Institutiones fierem. Quare videri possunt apud Fagundez *lib.* 6. *de Justitia. cap.* 5. *per totum.* & apud Sanchez *lib.* 4. *Consiliorum moralium. cap.* 2. *per totum.* Non gravabor tamen aliqua passim occurrentia explicare.

82 Et primò quidem dico, quod si defunctus reliquit summam, ut distribueretur singulis annis pauperibus, vel

Digitized by Google

pro maritandis puellis, poterit utique executor eam totam ſummam ſtatim diſtribuere pauperibus, & maritare tot puellas ſimul, quot maritari poſſunt ſingulis annis. Ratio eſt, qui ſic magis favetur animæ defuncti, & ejus voluntas melius impletur; ſi enim ipſe ſciviſſet, quod hæres totam illam pecuniam ſtatim voluiſſet diſtribuere, certè præcepiſſet, ut ita fieret. Sanchez cum aliis *dicto lib. 4. Conſilior. cap. 2. dub. 12. n. 4.*

83 Dico ſecundò: Si Teſtator dixit: lego centum pro maritandis puellis, non poteſt dari Legatum Maritatis, quia Maritatæ non ſunt maritandæ. Si verò dixit: lego centum pro dotandis puellis, poterit Legatum dari Maritatæ ſine dote, aut cum parva dote, quia jam verificatur, quod dotetur puella, & jam habetur cauſa pia, & vera neceſſitas conjugii ſuſtinendi, in cujus finem præcipuum relicta fuerunt illa centum. Ita Fagundez *dicto lib. 6. de Juſtitia. cap. 5. n. 43.* & Covarruvias *in quæſtionibus forenſibus: quæſt. 125.*

84 Dico tertiò: Legatum relictum pro liberandis incarceratis, poteſt dari alicui certè incarcerando, ex eo, quod non habeat unde ſolvat; quia paria ſunt liberare incarceratum, & incarcerandum; & certò incarcerandus habetur pro incarcerato. Sanchez *dicto lib. 4. Conſil. cap. 2. dub. 9. n. 2.*

85 Dico quartò: Legatum relictum alicui puellæ, ut matrimonium contrahat, poteſt ei dari ſi ingrediatur Religionem, quia ea præſumitur voluntas legantis in favorem matrimonii ſpiritualis, quale eſt profeſſio Religioſa. Fagundez *l. c. n. 23.* Si autem Legatum ſit relictum pro intranda Religione, non poteſt dari pro matrimonio contrahendo. Idem Fagundez cum aliis *n. 22.*

86 Dico quintò: Legatum relictum mulieri ſi non nubat, quoties ipſa eſt Virgo, vel talis, ut nunquam nupſerit, poterit percipi ab ipſa, ſi nubat, quia illa conditio

nun-

Digitized by Google

nunquam nubendi habetur pro non adjecta ex Jure antiquo Romanorum. At verò si ipsa fuerit vidua, non potest consequi Legatum, si transit ad secundas nuptias, quia quo ad viduas, (quod ipsum dicitur de Viduo) non manet Jus antiquum illud, sed Jure novo Authenticorum, ut patet ex *l. Cui relictum. C. de Indicta viduitate.* & *lege Julia Miscella tollenda.* talis conditio apposita de non transeundo ad secundas nuptias, tenet. Atque ita cum pluribus Fagundez citatus *à n.* 15. *usque ad* 22. Atque hæc innuisse sufficiat, reliqua, ut dixi, apud præcitatos Doctores videri possunt.

87 Denique est notandum, quod Legata relicta pro Missis non possunt moderari, aut reduci ad minorem numerum, etiamsi adesset justa causa, nisi de licentia Sedis Apostolicæ ex Decreto Sacræ Congregationis Concilii authoritate Urbani VIII. emanato *anno* 1625. *de Celebratione Missarum.* de quo Decreto fecimus mensionem *Cap.* 8. §. 3. *n.* 41.

QUÆSTIO TERTIA.

QUÆNAM SINT PRIVILEGIA LEGATORUM AD PIAS CAUSAS?

88 PRimum est, quod si constet de voluntate Testatoris, & potestate legandi, etiamsi testamentum nõ sit, adhuc Legatum ad pias causas tenet. *Cap. Indicante. de Testamentis.* & *Cap. Cum dilectus. de Successionibus ab intestato.*

89 Secundum privilegium est, ut si Testator non instituat hæredem certum, sed personas incertas, v. g. miserabiles personas in genere, adhuc valet dispositio. *L. Id quod ex lege Nulli. lib.* 1. *tit.* 6. *Codice. de Episcopis, & Clericis.* Notant autem Doctores, quod pauperes Consan-

Digitized by Google

guinei sint præferendi in Legato generaliter relicto.

90 Tertium est, quod Institutio hæredis commissa alterius voluntati, si sit ad pias causas, valet. *Cap. Cum tibi. de Testament.* Atque hinc est quartum privilegium, quod Captatoria Institutio, quæ prohibetur ex lege mox citanda, in Legatis ad pias causas non invalidat testamentum. Abbas Panormitanus *Consilio 32. n. 3.* ubi dicit hanc esse communem opinionem. Est autem Captatoria Institutio illa, cujus conditio confertur ad secretum alienæ voluntatis, v. g. Instituo te, si Titius voluerit: vel ille sit hæres, quem Titius voluerit: vel sit hæres Titius, si ipse me instituit hæredem sui. *L. Captatorias. lib. 6. tit. 21. Codicis. de Testamento militis.* Ratio prædictorum est, quia ut ait præcitatus Panormitanus *n. 1.* in relictis ad pias causas, cessat omnis Solemnitas Juris civilis, & spectatur mera voluntas secundùm Jus gentium; & *n. 2.* ait, quod omnes regulæ Juris civilis in ultima voluntate traditæ, ferè cessant in Legatis ad pias causas, ut plenè legitur, & notatur *in Cap. Cum tibi.* & *Cap. Relatum. de Testamentis.* per Bartholum, & Baldum *in L. 1. Codice. de Sacrosanctis Ecclesiis.*

91 Quintum Privilegium est, quod filius familias, qui alias testari non potest, ad pias causas testari potest. Ita Bartholus *in l. prima per textum.* ibi: *C. de Sacrosanctis Ecclesiis*, quem sequuntur plures citati à Barbosa *dicto Cap. 27. lib. 3. Juris Eccl. n. 74.*

92 Sextum est, ut qui alioqui hæres instituì non potest, tamen legari potest ad pias causas. Ita Religiosus, qui non potest esse hæres, potest Legatarius esse, & Religiosi illi, ut Fratres Minores, Cappuccini, & Reformati, & Domus Professæ Societatis Jesu, qui nec in communi aliquid habere possunt, adeoque de Jure hæredes esse non possunt, possunt tamen Legata ad pias causas accipere, nimirum quæ unica solutione, seu præstatione

Digitized by Google

ne adimplentur, tam in pecunia numerata, quàm in frumento, vino, oleo &c. dummodo non sint immoderatæ quantitatis, ut videatur relinqui hæreditas sub nomine palliato Legati, prout exprimitur *in Clement. Exivi.* §. *Proinde. versu. Nec liceat eis. de Verborum Significat.* Debent enim Legata esse talia, ut non videantur, quòd Religiosi prædicti divinæ providentiæ innitantur, & precario, & ostiatim victum sibi quærant. Præterea non debent legari annui redditus perpetui, aut res immobiles, ad excolendum, vel locandum. Possunt tamen Ecclesiæ, aut Sacristiæ prædictorum Religiosorum legari annui redditus perpetui, non ad victum ipsius Sacristæ, sed ad divinum cultum determinati, v. g. ad vinum, & frumentum pro materia venerabilis Eucharistiæ, ad oleum pro lampadibus, ad ceram pro Altaribus, & festis, ad Calices, & alia ornamenta Ecclesiæ. Talia enim Legata non concernunt necessaria corporibus Religiosorum, nimirum victum, & vestitum eorum, sed divinum cultum: adeoque non sunt talia Legata perpetua prohibita, quia non sunt relicta ipsis Religiosis, sed Templis eorum; & aliud est Templum, seu Ecclesia, aliud est Monasterium, seu Conventus; unde ex eo quod Conventus aliquid habere non possit in perpetuum, non sequitur quod Ecclesia non possit. Ita Sanchez *to. 2. in præcepta Decalogi. lib. 7. cap. 26. n. 42.* & Authores ab ipso relati. Reliquæ quæstiones quorumnam Legatorum sint capaces Fratres Minores Reformati, & Cappucini, videri possunt apud eumdem Sanchez *toto Cap. 26. cit.*

93 Septimum Privilegium Legatorum ad pias causas est, quod si hæres differat adire hæreditatem, aut repudiet, possunt peti Legata pia. Panormitanus *in Cap. Relatum. il primo. de Testamentis. n. 6.* Notatur tamen, quod si Testator determinavit taxativè talem pecuniam, vel rem, ex qua debet solvi Legatum, & talis pecunia

vel

vel res non reperiatur, tunc Legatum non debet solvi. At si primò legavit, & deinde separatim dixit, solvatur Legatum prædictum ex tali re, vel pecunia, quanvis non reperiatur talis res, vel pecunia, tamen debet solvi ex reliqua hæreditate Legatum, quia non taxativè, sed demonstrativè in tali casu adjicitur res, vel pecunia. Ita quam plures relati à Barbosa *dicto Cap. 27. n. 82. & 83.*

94. Octavum Privilegium est, quod de Legatis ad pias causas non detrahitur Falcidia, nec Trabellianica. Est autem Falcidia sic dicta, vel à Falcidio Tribuno, qui legem hanc adinvenit, vel à falce; est enim hæc lex, ut de Legatis per testamentum extraneo relictis defalcetur quarta pars pro hærede; ita ut non possit Testator totum suum Patrimonium legare, sed debet saltem quarta pars totius Patrimonii ad hæredem institutum, si unus est, vel apud hæredes, si plures sunt instituti, integra remanere. Trabellianica verò à Trabelliano Senatus consulto sic dicta, est quarta pars totius hæreditatis, quam sibi retinere liberam debet hæres ab onere fideicommissi idest, quoties ita hæres instituitur, ut debeat alteri hæreditatem restituere, & non possit de illa disponere, ac propterea dicitur fideicommisso gravatus, idest fideî ejus commissa hæreditas. Igitur hæres institutus non potest detrahere pro se de Legatis ad pias causas quartam partem, sed illam ex aliis, quæ non sunt Legata ad pias causas detrahere potest pro se, & hoc importat, quod de Legatis ad pias causas non detrahitur Falcidia juxta textum *in Authentica. Similiter. lib. 6. tit. 49. Codice. Ad Legem Falcidiam.*

95. Item non potest hæres institutus taliter, ut hæreditatem ad pias causas restituat, detrahere pro se quartam partem, quæ dicitur Trabellianica; atque ita docent quamplures, & dicit Abbas Panormitanus esse communem opinionem Doctorum utriusque Juris *in Cap.*

Rainaldus n. 18. de Testamen. Contrà quam opinionem non facit hoc, quod dicit Joannes Andreas, nimirum, quod ideo de Legatis ad pias causas non detrahitur Falcidia, quia hæres non est frustra hæres, cum possit de singulis aliis rebus Falcidiam detrahere, cum ea detrahatur de singulis rebus, quoties hæreditas est exhausta. At verò Trabellianica detrahitur ex toto corpore hæreditatis; adeoque si tota hæreditas est restituenda ad opera pia, frustra hæres erit hæres. Non valet, quia hæres non est frustra hæres, sed meliori modo fit dives, nimirum, quia habet meritum apud Deum exercendo pium actum, tam circa Defunctum, quàm circa Ecclesiam, vel Pauperes, quibus facienda est restitutio hæreditatis. Ita idem Panormitanus *ibidem.*

96 Nonum Privilegium est, quod etiamsi Legatum fiat Ecclesiæ non existenti, sed faciendæ, aut de re, cujus conditionis, aut possessionis est incertus eventus, adhuc est validum, ita ut si Ecclesia fiat, aut eveniat id, quod erat incertum, Legatum ad pias causas tenet, & non est caducum. Ita cum pluribus aliis Barbosa *lib. 3. Jur. Eccles. cap. 27. n. 88.*

97 Decimum privilegium est, quod si Legatum factum Ecclesiæ taliter, ut incertum maneat quænam ea sit in individuo, adhuc tenet, v. g. reliquit Testator rem suam Ecclesiæ animarum Purgatorii, & sunt hic Panormi duæ Ecclesiæ, nimirùm sub titulo Sancti Matthæi, & alia sub titulo Sanctæ Ursulæ, adeoque incerta est Ecclesia, cui Legatum solvi debeat, & in tali casu debet Legatum solvi illi Ecclesiæ pro quâ conjecturæ habentur, ex quibus possit elucere mens Testatoris; si verò non habeantur tales cõjecturæ, debet solvi Ecclesiæ pauperiori; quia censetur defunctus voluisse majus opus Charitatis exercere; Conjecturæ autem, ex quibus posset mens colligi, essent electio sepulturæ in una, & non in alia, frequentia

ipsius

Ipsius Testatoris potius in una, quàm in alia &c. quibus habitis debet solvi illi Ecclesiæ, ubi sepultus est, aut quam frequentaverat. Quod si fuerint duæ Ecclesiæ ejusdem nominis, & una ex istis fuerit Parochialis, debet solvi huic Parochiali. Si denique dubium manet, ita ut nullo argumento, vel electæ sepulturæ, aut alio possit mens Testatoris colligi; poterit Episcopus eligere quam maluerit, & illi totum Legatum applicare. Ita ex pluribus textibus, & authoribus Barbosa citatus *à n. 90. usque ad 95.*

98. Denique testamentum ad pias causas factum nutu, vel signis, vel subscriptum à duobus Testibus, tenet; nec Legarum factum in favorem animæ patitur interpretationem, sed absolutè est præstandum. Item si sit scriptura subscripta à Testatore defuncto manu propria etiam sine Testibus, adhuc si est in favorem piæ causæ, tenet etiam in foro exteriori, & quilibet de populo potest agere, ut Legata pia habeant executionem. Hæc & alia privilegia ex variis Doctoribus, & Juribus explicat Barbosa citatus *Cap. 27. lib. 3. Jur. Eccles. à n. 67. usque in finem*, & Azorius *par. 2. lib. 9. cap. 10. per totum.*

§. SEPTIMUS.

DE PECULIO CLERICORUM.

99. PEculium dicitur quasi parva pecunia, aut Patrimonium pusillum; Clerici enim divitias habere non debent juxta *Can. Clericus. 12. q. 1.* & alios Canones veteres. At nunc per Canones recentiores facta est Clericis ampla facultas possidendi res; adeoque triplex est eorum peculium, sumpto nomine peculii, latè pro Patrimonio alicujus, qui à potestate patria, vel dominica est liber; datur enim peculium strictè sumptum Filiorum familias, & Servorum. Aliud igitur Clericorum pe-

Digitized by Google

peculiũ est ex bonis Patrimonialibus, vel quasi Patrimonialibus, aliud ex bonis Ecclesiæ, aliud ex acquisitis intuitu Ecclesiæ. Sunt bona propria Clericorum, seu Patrimonialia, ea, quæ ipsis obveniunt vel Successione hæreditatum, vel Legato, vel Fidei commisso, vel Donatione, aut alio quovis titulo, & nullo modo intuitu Ecclesiæ, aut Beneficii. Sunt quasi Patrimonialia, ea quæ ipsi acquirunt celebrando, canendo, docendo, & quovis alio nomine distincto à Beneficio Ecclesiastico; sunt autem bona Ecclesiæ, quæ destinata sunt Ministris ejusdem Ecclesiæ, sive mobilia, ut Calices, Candelabra &c. sive immobilia, ut agri, domus &c. & alia quæcumque quovis titulo ad Ecclesiam perveniunt, inter quæ bona numerantur fructus pendentes. Denique bona intuitu Ecclesiæ acquisita sunt ea, quæ Clerici jam perceperunt ex fructibus Beneficii Ecclesiastici, vel occasione Ecclesiæ.

100 Jam quod Clerici possint disponere sive inter vivos, sive ultima voluntate de bonis Patrimonialibus, aut quasi Patrimonialibus, est certum apud omnes, quia talium bonorum sunt plenè Domini non minùs ac laici. *Cap. Quia Nos. de Testament.* De bonis autem Ecclesiæ nullo modo disponere possunt, quia dominium illorum est penes Ecclesiam, & Clerici sunt puri Administratores. *Cap. Fraternitatem. de Donationibus.* ibi: *Cum Episcopus, & quilibet Prælatus Ecclesiasticarum rerum sit Procurator, non Dominus.* de bonis autem intuitu Ecclesiæ acquisitis, utrum sint perfectè Domini, nec ne, est in controversia; hodie tamen communior sententia est, quod sint Domini, adeoque possint de illis disponere, etiam ultima voluntate, dummodo de superfluis in usus pios disponant; sicut inter vivos non possunt sine peccato contra Religionem, non verò contra justitiam, ut vult opposita opinio, expendere in usus profanos ea, quæ sibi superfluunt ex congrua sustentatione. Videatur Pi-

ring *lib. 3. tit. 25. §. 1. & 2.* in quibus plenè hanc quæstionem exagitat.

101 Duo sunt notanda *ex Cap. 1. & 5. de Peculio Clericorum.* primum est quod dicitur *in Cap. Investigandum. 1.* nimirum quod Clericus promotus ad Beneficium Ecclesiasticum, si tempore, quo fuit promotus vel nullum, vel parvum patrimonium habebat, & deinde prædia, vel domos emisse inveniatur, talia bona non possunt, nisi ad Ecclesiam ipsam pertinere, quia præsumitur ex bonis Ecclesiæ factam fuisse emptionem.

102 Verùm hìc est adhuc notandum, quod non omnia generaliter, quæ Beneficiatus possidet, debeant præsumi de bonis Ecclesiæ acquisita; nam si ipse habebat Patrimonium quando fuit promotus, potius censeri debet, quod bona emerit ex Patrimonio suo; item ea, quæ proprio nomine emit, & possedit pacificè, debent in dubio præsumi esse ipsius possessoris, adeoque ad hæredem, non ad Ecclesiam pertinere. Si verò constat, quod ipse Beneficiatus Patrimonium habebat, sed adhuc dubium manet, num ex eo, an ex bonis Ecclesiæ acquisiverit alia bona, quæ in morte habet, cum non compareat proprio nomine emisse, ac pacificè possediisse, tunc quæ relinquit, videntur dividenda inter ipsam Ecclesiam, & hæredem secundùm quantitatem Patrimonii, & reddituum Ecclesiæ. Quod ipsum est faciendum, quoties ipse non habebat Patrimonium, sed fuit valde industriosus in acquirendis lucris, tunc enim præsumi potest, saltem partem ex suis industriis acquisisse. Si autem nec Patrimonium habebat, nec industriosus fuit, tunc præsumptio stat pro sola Ecclesia. Ita Pirhing *dicto lib. 3. tit. 25. §. 3. n. 17.* quæ omnia confirmat *n. 18.*

103 Secundum, quod habetur *ex Cap. Si quis. 5. de Peculio Clericorum.* est, quod agros, vel vineas, quas Beneficiatus ex redditibus Ecclesiæ melioraverit, debet re-

lin-

linquere post mortem Ecclesiæ, quanvis tempore vitæ suæ possit frui illis melioratiomibus,& possidere eas, etiâsi Beneficium dimittat. Ratio est quia æquum est, ut Beneficiatus fruatur, dum vivit, terrâ ab ipso excultâ, & ad fertilitatem redactâ. Unum hic notatur, quod si tales meliorationes factæ fuerint ex bonis Ecclesiæ, non possunt expensę repeti ab hæredibus Beneficiati,si verò constat, quod factæ sint expensis propriis, idest ex Patrimonialibus bonis, tunc repeti possunt ab hæredibus.

104 Sunt igitur acquisita Ecclesiæ, & ipsi relinquenda omnia, quæ Beneficiatus ex bonis, & redditibus Ecclesiæ acquisivit,& non ex Patrimonialibus,aut industriâ, & labore suo, aut ex persona sua, nimirum donatione amicorum sibi facta, vel successione ab intestato, vel ex testamento; hæc enim sunt sua. Probabile etiam est,quod ea, quæ ex fructibus sui Beneficii, non nomine Ecclesiæ, sed suo proprio emerit, sibi acquirat, & non Ecclesiæ; adeoque sicut est Dominus illorum fructuum, ita & rerum talibus fructibus emptarum. Quanvis attento Jure communi de his rebus testari non possit; potest tamen in vita eas donare, sicut potest ipsos fructus. Cæterùm hodie ex consuetudine omnes Beneficiati inferiores Episcopis, etiam de superfluis testantur validè in multis locis; adeoque ex hoc ipso infertur, quod sint illorum Domini, ut notat Cardinalis de Lugo *disp. 4. de Just. & Jur. sect. 1. n. 6.* & Vallensis *lib. 3. tit. 26. §. 5. n. 9.* dicit esse consuetudinem generalem, ut testentur de illis. Videatur Azorius *par. 2. lib. 7. cap. 10. quæst. 1.*

§. OCTAVUS.

DE BONIS IMMOBILIBUS ECCLESIARUM.

105 Bona immobilia Ecclesiæ sunt agri, vel prædia, domus,& oppida, eorumque possessiones,

nes, quibus Ecclesiæ, aut Beneficia sunt ditata, quæ bona ad divinum Cultum laudabiliter decet, ut Ecclesia possideat, ut bene probat contra hæreticos Barbosa cum aliis *lib. 3. Jur. Eccles. cap. 28. à n. 12.* & Pignatelli *to. 6. Consult. 95. à n. 2. usque ad 6.* Item talia bona prohibitum est usurpare, ac subtrahere, & alienare; unde quæ in Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis continentur explicare oportet,

106 Dico primò: præcipitur *ex Can. Manifesta.* & *Can. Sint Manifestæ. 12. q. 1.* ut Episcopi res proprias ab iis, quæ sunt Ecclesiæ, seperent; & quod dicitur de Episcopis, intelligitur de quocunque Rectore Ecclesiæ, possidentis bona, & hoc, ut ajunt textus citati, ne ex inopinato transitu Episcopi, res Ecclesiæ minuantur, aut pereant, & ne res propriæ Episcopi importunitatem patiantur pro rebus Ecclesiæ. Hinc debet Episcopus, & quicunque alius Superior facere inventarium omnium bonorum, & jurium suæ Ecclesiæ, & construere Archivium in quo tales scripturæ serventur. Vallensis *lib. 3. tit. 13. §. 1. n. 2.* cum Piasecio referente Constitutionem Sixti V. quæ incipit *Provida. anno 1581. die 8. Junii.*

107 Dico secundò: Excommunicantur quicunque bona immobilia Ecclesiarum surripuerint, aut invaserint. *Can. Quicunque militum. cum sequentibus. 12. q. 2.* & *Can. De rebus. eadem Causa, & quæst.* & Tridentinum *sess. 22. de Reform. cap. 11.* statuit, quod quicunque sint, vel Laici Reges, Principes &c. vel Ecclesiastici occupatores bonorum Ecclesiæ, tamdiu subjaceant excommunicationi, usque dum restituerint bona illa Ecclesiæ usurpata, & deinde à solo Romano Pontifice absolutionem obtinere possint. Quod si usurpator fuerit Patronus, præter prædictam pœnam, Jure patronatus privatur, & Clericus consentiens usurpationi, fit inhabilis ad alia Beneficia, & privatur his, quæ habet. Item suspenditur, usque dum restituat,

Digitized by Google

stituat, & post integram satisfactionem datam arbitrio Episcopi sui suspensus manet.

108 Dico tertiò: Nemini licet res Ecclesiæ alienare. *Cap. Nulli liceat. de Rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.* ubi verbum, nulli, est universale negativum, adeoque prohibitio de non alienandis rebus Ecclesiæ cadit supra Clericos majores, medios, & infimos, ut bene probat Fagnanus *in dictum Cap. Nulli. à n. 2. usq; ad 7.* & Pignatelli *tom. 6. Consult. 95. n. 6.* Et etiam cadit supra Laicos, ut constat *ex Cap. Qui res Ecclesiæ. de Rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.*

109 Dico quartò: Nomine alienationis prohibitæ ex dicto *Cap. Nulli liceat.* veniunt Conditio, Donatio, Venditio, Permutatio, Emphytheusis perpetuus contractus. *In extravagante* autem *Ambitiosæ.* Pauli II, quæ ideo dicitur Paulina. *de Rebus Ecclesiæ non alienandis*, veniunt nomine alienationis prohibitæ non solùm Venditio &c. rerum immobilium, sed etiam mobilium pretiosarum, quæ servando servari possunt; & item concessio, hypotheca, locatio ultra triennium, infeudatio, & emphytheusis, præterquam in casibus à Jure permissis, ac de bonis ab antiquo solitis infeudari, & emphyteuticari.

110 Quid autem sit Conditio, controvertunt Authores, & sunt qui volunt apud Fagnanum *in dictum Cap. Nulli liceat. n. 37.* Conditionem importare concessionem sub Conditione; alii verò dicunt contractum Conditionis esse, quoties prædium constituitur tributarium, adeoque est conditionale, quia cadit in commissum sub conditione quod non solvatur tributum. Alii verò pro *Conditio*; legunt *Conductio*, & hoc verificatur, si conductio dicitur perpetua, ut est si sit ad triginta annos. Verùm hodie *ex Extravag. Ambitiosæ* prohibetur locatio ultra Triennium modo explicando; Hypotheca autem specialis est, quæ intelligitur prohibita, non autem generalis,

ut

ut notant Doctores, quos refert, & sequitur Pignatelli *to. 6. Consult. 95. n. 17.* & Fagnanus *in dictum Cap. Nulli. n. 30. de Rebus Eccl. non alienan.* nam hodie in omni contractu solet fieri hypotheca generalis bonorum, seu obligatio generalis; adeoque nemo vellet contractum celebrare cum Ecclesia, si ea non posset fieri. Locatio ultra triennium est prohibita, quoties res locata solet quolibet anno fructificare; si verò solum fructificaret quolibet triennio, posset locari ad novennium, ut tenent Doctores plures, quos refert, & sequitur idem Fagnanus *n.* 42. *&* 43.

111 Dico quintò: Sunt aliqui casus, in quibus licita est alienatio rerum Ecclesiæ, præter quos, sive sit alienatio rerum mobilium pretiosarum, quæ servando servari possunt, ut sunt vasa aurea, argentea &c. sive immobilium fieri non potest sine justa causa, & servata solemnitate, seu forma præscripta à Jure tam antiquo, quàm novo Pauli II. Datur etiam Decretũ Sacrę Congregationis jussu Urbani VIII. per quod revocantur privilegia Regularium de alienandis bonis, & aliud Decretum per quod prohibetur ipsis accipere mutuas pecunias cum solutione lutri cessantis, & damni emergentis. De his igitur, quæ inquiri solent, resolvamus.

QUÆSTIO PRIMA.

QUIBUS IN CASIBUS PERMISSA SIT ALIENATIO rerum Ecclesiæ sine ulla solemnitate.

112 Dico primò: Alienari possunt sine solemnitate res mobiles, quæ servando servari non possunt, ideſt quæ si servarentur, aut perirent, aut deteriorarentur, ut sunt vinum, frumentum, fructus arborum, & omnia alia, quæ non durant triennio, vel usu consumun-

muntur, & non fructificant; item Jumenta, Pecora singularia, singularia, inquam, nam totus integer grex computatur inter res immobiles fructiferas, ut infra dicemus numerantes res, quæ alienari non possunt sine solemnitate. Item pecunia, nisi sit destinata vel voto, vel juramento, vel præcepto Superioris, vel voluntate Testatoris ad emendas res immobiles; nam si taliter sit destinata, alienari non potest sine justa causa, & solemnitate. Vallensis *lib. 3. tit. 13. §. n. 1.* Lessius *lib. 2. cap. 24. dubit. 11. n. 62.* Fagnanus *in Cap. Nulli. n. 22. de Rebus Ecclesiæ non alienandis.*

113 Dico secundò: Res Ecclesiæ solitæ antea infeudari, vel in Emphytheusim dari, expirante feudo, vel Emphytheusi, iterum infeudari, vel emphyteuticari possunt sine solemnitate, dummodo id fiat cum evidenti utilitate Ecclesiæ, & ante quam fructus illius rei incorporentur ipsi Ecclesiæ. Ita *in Extravag. Ambitiosæ. de Rebus Eccles. non alienand.* ibi: *Præter quàm in casibus à Jure permissis, ac de rebus, & bonis in Emphytheusim ab antiquo concedi solitis &c.* ubi notat Fagnanus citatus *n. 21.* quod quanvis exprimatur Emphytheusis, non ideo excluditur Feudum, quia contractus feudalis, & emphyteuticus sunt ejusdem naturæ, ac proinde quidquid dicitur de uno, intelligitur de alio; & non per viam extensionis, sed comprehensionis, cum in utroque eadem sit ratio. Ut autem res dicatur infeudari, vel in Emphytheusim dari solita sufficiunt duo contractus concessionis factæ, vel unus solemnis cum decursu quadraginta annorum. Videatur Fagnanus *in Cap. Ex parte. n. 7. de Feudis.*

114 Dico tertiò: Terrulæ, Vineolæ, & aliæ res sive mobiles, quæ servari possunt ultra triennium, sive immobiles concurrentibus his tribus, nimirum quod sint exigui valoris, & parum utiles Ecclesiæ, & adsit necessi-

tas

tas alienandi, possunt sine solemnitate alienari cum solo consensu Episcopi, si Ecclesia non est exempta, si verò sit exempta, cum consensu Superioris. *Can. Terrulas.* 12. *q.* 2. cui Cahoni non fuit derogatum per Tridentinum, nec per *Extravag. Ambitiosæ.* Pauli II. ut declaravit Sacra Congregatio Concilii apud Fagnanum *in dictum Cap. Nulli. n.* 25. *de Rebus Eccl. non alienan.* Quænam autem sint Terrulæ, & cætera exigui valoris, Judicis, seu boni viri arbitrio relinquitur, qui consideratis qualitate temporis, facultatibus Ecclesiæ alienantis, & loci consuetudine id definiet, nam Sacra Congregatio Concilii apud Fagnanum citatum *n.* 26. noluit definire.

115 Dico quartò: Non requiritur solemnitas in alienatione, quæ fit ex præscripto Juris, adeoque est alienatio necessaria. Talis est alienatio rerum immobilium, aut mobilium pretiosarum relictarum Ecclesiæ, vel domibus Religiosis incapacibus dominii, prout sunt domus Professæ Societatis Jesu, & Conventus Fratrum Minorum de Observantia, & Cappuccinorum; nam talis alienatio cum sit necessaria, non est comprehensa sub lege prohibente illam, & præterea cum lex loquatur de bonis Ecclesiæ, adeoque incorporatis illi, non potest loqui de his bonis, quæ non possunt incorporari, stante incapacitate prædictarum Ecclesiarum.

116 Noto hic primò, quod rerum immobilium legatum factum talibus Ecclesiis incapacibus dominii sub modo licito, est validum, & factum simpliciter est etiam validum, & intelligitur factum sub modo licito, nimirum, ut vendatur, & pretium convertatur in utilitatem Ecclesiæ, & Conventus. Ita declaratum refert Fagnanus citatus *n.* 28.

117 Noto secundò, quod etiamsi Testator reliquerit prædictis incapacibus dominii, cum conditione, ne ea relicta ipsi venderent, adhuc vendere possunt, & sine so-

solemnitate, nec debent legata ad hæredes reverti, sed vendi, & in utilitatem Ecclesiæ legatariæ converti. Ita cum pluribus Filliuccius. *trac. 44. cap. 5. n. 32. in Appendice, seu to. 3.*

118 Hoc ipsum extenderem ad Moniales, quibus fuisset relicta copiosa Bibliotheca librorum latinorum; nam utilius est Monasterio, si ea vendatur, & pretium in rem fructuosam permanentem convertatur, quàm retinere illam Bibliothecam; sicut enim bona relicta Monasteriis incapacibus ea retinendi, quia ipsis inutilia, possunt sine solemnitate alienari, & pretium expendi pro fabrica, & aliis necessitatibus Monasterii, ita talis Bibliotheca inutilis Monialibus. Quod confirmatur ex eo, quod refert Portellius *par. 1. casu 17. n. 5.* nimirum, quod declaravit Collector Apostolicus in Lusitania, quod posset vendi Bibliotheca quædam relicta Monialibus quibusdam, non obstante prohibitione alienandi ipsis facta.

QUÆSTIO SECUNDA.

QUÆNAM SINT CAUSÆ JUSTÆ ALIENANdi res immobiles, & mobiles pretiosas: & quænam sit Forma, seu solemnitas hodie servanda?

119 Dico primò: Quadruplex est justa causa alienandi. Prima est necessitas, cui aliter occurri non possit, nisi alienationem alicujus rei faciendo; v. g. si Ecclesia sit gravata ære alieno, nec habeat alium modum solvendi. Secunda est utilitas Ecclesiæ alienantis manifesta. Tertia est pietas, v. g. ad redimendos captivos, ad succurrendum gravi necessitati proximorum, ut esset tempore famis, & pestis. Quarta est incommoditas, ut si res Ecclesiæ sit sumptuosa, & parum utilis;

Digitized by Google

hæc autem revocatur ad secundam. Hæ igitur sunt justæ causæ ex variis Juribus assignatæ, de quibus agunt communiter Doctores.

120 Dico secundò: Forma, seu solemnitas ex Jure antiquo consistit in hoc, quod Episcopus cum Capitulo, vel Prælatus cum Clero faciat tractatum de re alienanda, & discutiatur, an expediat alienationem fieri. Sufficit autem unus tractatus; ubi autem negotia non tractantur capitulariter, ut in nostra Societate Jesu, tractatus fieri potest à Superiore cum suis Consultoribus, ut notat cum Molina, Leffius *lib. 2. de Just. cap. 24. dubit. 11. n. 63. versu. Primò, ut fiat in fine.* Secundò requiritur ut Capitulum, vel Clerus expressè consentiat; sufficit tamen, ut major pars consentiat. Tertiò ut Capitulum subscribat; verùm ex consuetudine hodie sufficit subscriptio Notarii. Quartò ut Superior ponat suam authoritatem; est autem Superior Episcopus, vel Abbas, vel in Religionibus Generalis, aut Provincialis. Atque hæc de Jure antiquo.

121 Dico tertiò: De Jure novo per *Extravagantem Pauli II. Ambitiosæ* requiritur præter suprædicta, consultatio cum Summo Pontifice, ita ut nulla possit fieri alienatio bonorum Ecclesiæ, aut loci pii, aut Monasterii, inconsulto Romano Pontifice, & si facta fuerit, sit invalida. Imponuntur etiam aliæ pœnæ Episcopis, & Abbatibus, ac Prælatis inferioribus, & Rectoribus Ecclesiarum, si sine consultatione Summi Pontificis alienant res Ecclesiæ. Hæc autem Constitutio est absolutè loquendo usu recepta, quia est inserta in corpore Juris, & quotidie in judiciali foro citatur, & Romana Curia pro ejus observatione stat, ut praxis ostendit. Sunt tamen aliqui, qui putant hanc Extravagantem Pauli II. non esse usu receptam ubique quo ad pœnas; certum tamen est, quod omnes Episcopi, & Abbates, qui vigore literarum Apo-

stoli-

solicarum, suum munus suscipiunt, præstant juramentum non alienandi sine præexplicatis solemnitatibus res Ecclesiæ, quam suscipiunt administrandam, & se subjiciunt ad incurrendas pœnas contentas in dicta Extravagante *Ambitiosæ*. casu quo etiam cum consensu Capituli, inconsulto Romano Pontifice ad alienationem devenerint. Videatur formula prædicti Juramenti in Pontificali *fol.* 81. *&* 120. vel apud Lessium citatum *n.* 64. & Filliuccium *trac.* 44. *cap.* 1. *n.* 14. *&* 15. *Append. seu to.* 3.

122 Dico quarto: Prædicta omnia servari debent, etiam à Regularibus habentibus privilegium alienandi res Monasterii, aut Domus, aut Conventus cum solo consensu duarum ex tribus partibus Religiosorum Conventus, seu Monasterii accedente consensu Generalis, quod privilegium habuerunt Carmelitæ à Gregorio XIII. *anno* 1576. in Bulla, quæ incipit *Ex incumbentis*. & nostra Societas Jesu habuit amplum privilegium alienandi res Collegiorum, & Domorum, ut videre est *in Compendio Privilegiorum Societatis Jesu. verbo: Alienatio.* hodie tamen sine consulto Summo Pontifice, & nō servata Constitutione Paulina, tali privilegio uti non est judicium, quia extat Decretum Sacræ Congregationis jussu Urbani VIII. editum *anno* 1624. per quod revocantur privilegia Regularibus omnibus concessa quo ad alienationes faciendas, & jubetur, ut servetur Paulina Constitutio, imò per aliud Decretum editum jussu ejusdem Urbani VIII. *die* 21. *Maii* 1626. prohibitum est Regularibus posse accipere pecunias ad cambium, aut mutuas cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis. & ideo *in Volumine primo Institutionum Societatis Jesu, ex Decreto Congregationis decimæ quartæ generalis in meliori ordine digesto, & aucto in verbo: Alienatio. in fine* addita sunt hæc verba: *Sed hodie uti non possumus talibus privilegiis, nisi habita ratione ad Decreta Apostolica Urbani VIII. edita die*

Digitized by Google

7. Septembris 1624. & 21. Maii 1626. quæ habentur apud Barbosam in Collectaneis. Collect. 19.

123 Apud igitur prædictum Barbosam in tomo, qui inscribitur *Summa Apostolicarum Decisionum. Collect. 19. cit.* videri possunt Decreta prædicta. Similiter pœnæ, quas incurrunt controvenientes, videri possunt apud Carolum Antonium Thesaurum *de Pœnis Ecclesiasticis. part. 2. verbo: Alienatio. Cap. 1. & deinceps. & cap. 6.* ubi refert Pœnas, quas Regulares alienantes incurrunt; nimirum privationem officiorum, & vocis activæ, & passivæ, & inhabilitatem ad ea in posterum obtinenda, à quibus pœnis solus Papa liberare potest.

124 Cætera denique ad Alienationem rerum Ecclesiasticarum pertinentia videri possunt apud Filliuccium *dicto trac. 44. per totum.* Pirhing *lib. 3. tit. 13. per totum*, & Barbosam *lib. 3. Jur. Eccles. cap. 30. per totum.* Videatur etiam Azorius *par. 2. lib. 9. cap. 1. & 2.* Fagnanus *in Cap. Nulli liceat. de Rebus Eccles. non alienandis*; ac Pignatelli *tom. 6. Consult. 95. per totam*, ubi *n. 44.* concludit hodie ex decisione Rotæ copulativè requiri ad alienationem rerum Ecclesiæ, & justa causa, & solemnitas, nec una sine alia sufficere, & à dicto *n. 44. usque in finem Consultationis.* affert varias decisiones dignas, ut legantur. Nobis autem pro Institutionibus nostris sufficiant, quæ dicta sunt.

Finis Libri Secundi.

IN-

INDEX

CAPITUM, PARAGRAPHORUM, ET QUÆSTIONUM LIBRI SECUNDI.

LIBER 2. *de Rebus Ecclesiasticis.* pagina 1.
CAPUT 1. *de Sacramentis.* 2.
§. 1. *Quid, & quotuplex sit Sacramentum.* 2.
§. 2. *de Baptismo.* 5.
§. 3. *de Confirmatione.* 9.
§. 4. *de Eucharistia.* 10.
§. 5. *de Pœnitentia.* 16.
§. 6. *de Extrema Unctione.* 19
CAPUT 2. *de Sacramento Ordinis.* 20.
§. 1. *Quotuplex sit Ordo.* 21.
§. 2. *Quæ requirantur ad Ordinem validum?* 23.
§. 3. *Quosnam possit Episcopus ordinare?* 24.
§. 4. *de Qualitatibus Ordinandorum.* 30.
§. 5. *Quinam prohibeantur ordinari, seu quinam sint Irregulares?* 36.
§. 6. *Notabilia de Irregularitate.* 57.
§. 7. *de Temporibus Ordinationum.* 59.
§. 8. *de Obligationibus ordinatorum.* 63.
CAPUT 3. *de Sacramẽto Matrimonii.* 65.
§. 1. *de Sponsalibus.* 66.
Quæstio 1. Quid sint Sponsalia? 66.
Quæstio 2. Ad quid, & quando obligent Sponsaliæ, & sub quibus conditionibus fieri possint, vel non? 69.
Quæstio 3. Quibus ex causis dissolvi possint Sponsalia? 76.
§. 2. *de Matrimonio secundum se.* 83.
Quæstio 1. Quid, & quotuplex sit Matrimoniũ? 85.
Quæstio 2. Qualis debeat esse consensus Matrimonialis? 85.
Quæstio 3. An, & quo Jure prohibita sit Polygamia? 93.
§. 3. *de Impedimentis Matrimonii.* 96.
Quæstio 1. Quodnam sit impedimentum erroris, & conditionis? 98.

Quæ-

Digitized by Google

Quæstio 2. Quodnam sit impedimentum Voti, & Ordinis? 103.
Quæstio 3. Quodnam sit impedimentum Cognationis spiritualis? 104.
Quæstio 4. Quodnam sit impedimentum Cognationis Legalis? 108.
Quæstio 5. Quodnam sit impedimentum Cognationis carnalis? 113.
Quæstio 6. Quodnam sit impedimentum Affinitatis? 120.
Quæstio 7. Quodnam sit impedimentum publicæ honestatis? 123.
Quæstio 8. Quodnam sit impedimentũ Criminis? 125.
Quæstio 9. Quodnam sit impedimentum ex cultus disparitate? 127.
Quæstio 10. Quodnam sit impedimentum Vis, & Raptus? 128.
Quæstio 11. Quodnam sit impedimentum Ligaminis? 130.
Quæstio 12. Quodnam sit impedimentum impotentiæ coëundi? 130.
Quæstio 13. Quænam sint impedimenta Interdicti Ecclesiæ, & temporis feriati, seu clausi? 136.
Quæstio 14. Quænam sint impedimenta Cathechismi, Sponsaliorũ, & Voti? 137.
Quæstio 15. Quænam sint impedimenta ex crimine impedientia Matrimonium? 138.
§. 4. de Dispensationibus Matrimonii. 143.
Quæstio 1. An, & quis dispensare possit in impedimentis Matrimonii? 144.
Quæstio 2. Quænam sint justæ causæ dispensandi in impedimentis dirimentibus? 147.
Quæstio 3. Quando nam ob reticentiam veri, vel expressionem falsi obtenta dispensatio sit surreptitia, & invalida? 148.
Quæstio 4. Quænam sint formulæ literarum dispensationum, & quomodo se gerere debeat Delegatus? 150.
Quæstio 5. Quænam sint Dispẽsationes in forma Pauperum? 153.
§. 5 de Divortiis. 154.
Quæstio 1. An, & quibus ex causis possit fieri Divortium

Digitized by Google

tium quo ad Vinculum? 156.
Quæstio 2. An, & qua de de causa possit Matrimonium ratum, non consummatum dissolvi quo ad Vinculum? 159.
Quæstio 3. An, & quibus ex causis possit fieri Divortium quo ad Torum, & Cohabitationem? 166.
Quæstio 4. quid fieri debeat circa Dotem, & Filios facto Divortio? 170.
§. 6. de Secūdis Nuptiis. 175.
CAPUT 4. de Rebus Sacris 177.
§. 1. de Vasis, Vestibus, & aliis rebus sacris. 178.
§. 2. Quid sit sacrare, quid consecrare, quid benedicere, & quænam consecrari dicantur? 180.
CAPUT 5. de Ecclesiis. 183.
§. 1. Quid, & quotuplex sit Ecclesia? 183.
§. 2. de Ædificandis Ecclesiis. 185.
§. 3. de Reparandis Ecclesiis. 187.
§. 4. de Consecratione, & Reconciliatione Ecclesiæ. 188.
§. 5. de Immunitate Ecclesiarum. 194.
§. 6. de Immunitate Asyli. 196.
§. 7. Qui gaudeant Immunitate Asyli? 199.
CAPUT 6. de Rebus Sanctis. 211.
§. unicus de Reliquiis, Sanctis, & Festis. 211.
CAPUT 7. de Rebus Religiosis. 215.
§. 1. de Oratoriis, & Cappellis. 216.
Quæstio unica. Utrum in Oratorio privato possit virtute Bullæ Cruciatæ celebrari Missa postquam mortuus est, aut in aliam domum abiit ille, cui fuerat concessum? 221.
§. 2. de Hospitalibus. 226.
§. 3. de Confraternitatibus. 230.
§. 4. de Sepulturis, & Funeribus. 231.
§. 5. de Canonica Portione Parochiali. 237.
§. 6. de Sepulchro Majorum. 240.
§. 7. Quibus denegetur Ecclesiastica Sepultura? 242.
CAPUT 8. de Rebus Ecclesiasticis temporalibus, seu Corporalibus. 246.

§. 1.

Digitized by Google

§. 1. *Quid sit Beneficium Ecclesiasticum?* 246.
§. 2. *Quotuplex sit Beneficium Ecclesiasticum?* 249.
§. 3. *de Cappellania, & Cappellano.* 253.
§. 4. *de Vicaria, & Vicario.* 260.
§. 5. *de Præceptoriis, seu Commendis Ordinum militarium.* 264.
§. 6. *de Præstimoniis.* 268.
§. 7. *de Commendis Beneficiorum.* 269.
§. 8. *de Coadjutoria, & Coadjutore.* 270.
§. 9. *de Pensione, & Pensionario.* 274.
CAPUT 9. *de Modis acquirendi Beneficia.* 285.
§. 1. *de Electione, Postulatione, & Nominatione.* 286.
§. 2. *de Servandis in Electione.* 287.
§. 3. *de Confirmatione Electi.* 294.
§. 4. *de Collatione Beneficiorum.* 297.
§. 5. *de Reservatione Beneficiorum.* 306.
§. 6. *de Præsentatione, & Jure Patronatûs.* 318.
§. 7. *de Resignatione Beneficiorum, ubi etiam de Permutatione.* 326.
§. 8. *de Optione Beneficiorum.* 331.
§. 9. *de Unione Beneficiorum* 332.
CAPUT 10. *de Reliquis ad Beneficia spectãtibus.* 337.
§. 1. *de Vacatione Beneficiorum.* 337.
§. 2. *de Pluralitate, & incompatibilitate Beneficiorum.* 340.
§. 3. *de Qualitatibus Beneficiatorum.* 344.
§. 4. *de Obligationibus Beneficiatorum.* 348.
CAPUT 11. *de Reliquis Rebus temporalibus.* 351.
§. 1. *de Canonica Portione Episcopati.* 351.
Quæstio 1. *Utrum debeatur quarta Episcopo ex Legatis relictis Hospitalibus, & Cõfraternitat bus.* 255.
Quæstio 2. *Utrum Episcopus, cui relictum est à Testatore Legatum possit etiam Canonicam Portionẽ exigere, & præsertim si modicum ipsi Legatum fuerit in fraudem.* 356.
§. 2. *de Charitativo Subsidio.* 357.

Qua-

Digitized by Google

Quæstio sexta. Utrum possit cõtra Charitativum Subsidium legitimè præscribi. 360.

§. 3. de Censibus, Cathedratico, & Procurationibus. 362.

§. 4. de Oblationibus, & Primitiis. 364.

§. 5. de Decimis. 369.

Quæstio 1. Quo Jure debeantur Decimæ? 370.

Quæstio 2. Quibus debeantur Decimæ? 372.

Quæstio 3. A quibus debeantur Decimæ solvi? 374.

Quæstio 4. Quando, & ubi debeantur Decimæ, & an debeantur de Novalibus? 375.

Quæstio 5. Quot modis possit quis eximi à solvendis Decimis? 376.

Quæstio ultima. Utrum Privilegium nõ solvendi Decimas tantùm intelligi debeat de Prædiis ante Privilegium possessis, & an Coloni Prædiorum exemptorum eximantur à Decimis solvendis? 379.

§. 6. de Legatis ad pias Causas. 381.

Quæstio 1. Ad quem spectat executio Legati pii, & quo tempore facienda sit? 383.

Quæstio 2. Utrum, & quando commutari possit Voluntas defuncti circa Legata pia. 386.

Quæstio 3. Quænam sint Privilegia Legatorũ ad pias Causas. 389.

§. 7. de Peculio Clericorum. 394.

§. 8. de Bonis immobilibus Ecclesiarum. 397.

Quæstio 1. Quibus in casibus permissa sit alienatio rerum Ecclesiæ sine ulla solemnitate? 400.

Quæstio 2. quænam sint Causæ justæ alienandi res immobiles, & mobiles pretiosas, & quænam sit forma, seu solemnitas hodie servanda? 403.

INDEX RERUM.

PRIOR NUMERUS CAPUT DENOTAT, SECUNDUS est marginalis, qui progreditur per totum Caput.

Ubi unus tantùm numerus ponitur, est marginalis sub præcitato Capite.

A

Accusatus de Crimine, non potest ordinari, pendente accusatione. *Cap.* 2. *n.* 63. si peractâ pœnitentiâ bene vivat, potest. 64.

Accusare qui possint in causa matrimonii. *Cap.* 3. *num.* 222. & 223.

Adoptio dirimens matrimonium. *vide* Cognatio.

Adulterium, quod dirimit matrimonium, quale sit. *Cap.* 3. *n.* 145. *& sequentibus.* est causa. Divortii quo ad torum, & cohabitationem. 255. *& sequent.*

Ædificare Ecclesiam. *vide* Ecclesiam.

Ætas requisita ad Ordines. *cap.* 2. *n.* 33. qui ante ætatem ordinatur in sacris, est suspensus. 34. ætas requisita ad matrimonium. *Cap.* 3. *n.* 159.

Affines qui sint. *Cap.* 3. *n.* 131.

Affinitas quæ sit, & quotuplex. *Cap.* 3. *n.* 130. & 134. Dirimit matrimonium ex Jure Canonico usque ad quartum gradum inclusivè ex copula licita, ex illicita, usque ad secundum. 132. & 133. sola Affinitas primi generis dirimit. 135.

Alere filios, facto Divortio, qui conjux debeat. *Cap.* 3. *n.* 280. 281. *& sequent.* Alie-

Digitized by Google

Alienare. *vide* Bona Ecclesiæ.
Alimenta danda uxori à marito, facto Divortio ob adulterium ejusdem uxoris. *Cap.* 3. *n.* 278. non dantur à Societate Jesu Sacerdotibus ab ipsa dimissis. *Cap.* 2. *n.* 38.
Altare fixum, & mobile, quomodo consecrantur, & execrantur, & reconciliantur polluta. *Cap.* 5. *n.* 31. *& sequent.*
Arreptitii non possunt ordinari. *Cap.* 2. *n.* 92. quando possint in Ordine suscepto ministrare. *ibidem.*
Arrhæ in Sponsalibus. *Cap.* 3. *n.* 20. *& sequent.*

B

Baptismus qui sit. *Cap.* 1. *n.* 13. triplex est. 20. remittit originale, & personale peccatum in Adultis saltem attritis. 13. In necessitate ab omnibus ministratur. 14. non potest quis se baptizare. 16. Amentes, & dormientes quando valide, & cum fructu baptizantur. 17. & 18. Infantes utiliter baptizantur. 18. non verò in utero matris. 21. dubius de Baptismo sub conditione rebaptizatur. 19. qui scienter rebaptizatur, punitur, & qui ignoranter, non potest sine necessitate ordinari. 22. in Ecclesia Parochiali, non verò Domi, nisi à Filiis Regum, & Principum suscipitur Baptismus. 24.
Beneficium Ecclesiasticum quid sit, & quæ importet. *Cap.* 8. *n.* 2. *& sequent.* quotuplex sit. 9. 10. *& sequent.* Regulare quando Sæculari conferri possit, & sub quibus conditionibus, & quando Seculare Regulari. 19. *& sequent.* quot modis acquiratur. *Cap.* 9. *n.* 1. & 2. Idem collatum simul à Papa, & ab Episcopo, vel Legato à latere, aut ab Episcopo, & ejus Vicario, cujus erit. 34. 36. *& sequent.* Reservatum differt ab affecto.

cto. 43. *vide* Reservatio. Electio. Plurálitas. Collatio. Patronus. Unió. Vacatio. Optio. Resignatió.
Beneficiati qui esse non possunt. *Cap.* 10. *n.* 19. 20. *& sequent.* quando cum Homine dispensat Episcopus. 23. Tenentur ad Horas. *vide.* Horæ Canonicæ.
Bigamia quæ sit, & quotuplex, & quomodo impediat susceptionem Ordinis. *Cap.* 2. *n.* 66. *& sequent.*
Bigamus non est qui plures Concubinas, aut Concubinam, & unicam uxorem virginem habuit. *Cap.* 2. *n.* 75. nec qui uxorem virginem duxit alteri desponsatam, aut nuptam non consummato matrimonio. 77.
Bona Ecclesiæ immobilia. *Cap.* 11. *n.* 105. ea alienare prohibitum est. *ibidem.* & 108. Inventarium eorum debent habere Beneficiati. 106. Excommunicati sunt & aliis pœnis subjacent, qui ea usurpant. 107. quis veniat nomine Alienationis prohibitæ. 109. *& sequent.* Præter casus, in quibus licita est Alienatio, & forma, & solemnitas servanda etiam in mutuis pecuniis accipiendis, cum solutione lucri cessantis. 111. quæ alienari possint sine solemnitate. 112. 113. *& sequent.* Causæ justæ alienandi res immobiles, & mobiles pretiosas, quæ sint. 119. Forma, seu solemnitas, quæ hodie servari debet, qualis sit. 120. & 121. sub qua pœna. 121. Religiosi prohibentur alienare, & mutuas accipere pecunias cum solutione lucri cessantis, aut damni emergentis. 122. & 123.
Bona Clericorum. *vide.* Peculium.
Bulla Cruciatæ concedit, ut in Oratorio privato possint plures Missæ eodem die celebrari, & ut possint in diebus exceptis; non verò ut possit Missa celebrari in eo Oratorio, quod persona privilegiata reliquit transiens in aliam domum, aut ad aliam vitam. *Cap.* 7. *n.* 4. & *n.* 14. *& sequent.*

Digitized by Google

C

CAlix pro Missa non potest esse ligneus, nec vitreus, nec ex aurichalco. *Cap.* 1. *n.* 33. *Ver. præterea.* Consecrari debet cum patena ab Episcopo, vel Abbate privilegiato. *Cap.* 4. *n.* 2. an iterum consecrandus, si denuo inauretur. 3.

Candelæ duæ cereæ in Missa ardere debent. *Cap.* 1. *num.* 33. *Ver. præterea.* In necessitate possunt adhiberi duo lumina ex oleo, vel adipe. 40. Candelæ ante Reliquias expositas. *vide.* Reliquiæ.

Canonica Portio Episcopalis. *vide.* Quarta Episcopalis.

Canonica Portio Parochialis. *vide.* Quarta Parochialis.

Cappella quotuplex. *Cap.* 7. *n.* 9. & 10. Monachorum Cappellæ quando Episcopo subjectæ. 11. & 12. Rurales eorum non sunt subjectæ Episcopo. 13.

Cappellania quotuplex. *Cap.* 8. *n.* 23. quæ non sit Beneficium. 24. & *sequent.* quæ verò sit, ita ut ad ejus titulum possit quis ordinari in Sacris. 28. & *sequent.* quæ possit non Sacerdoti conferri. 31. 32. & *sequent.*

Cappellanus obligatus quotidie celebrare, quando possit Missam omittere, & non supplere per alium. *Cap.* 8. *n.* 35. quot Missas ob infirmitatem non teneatur supplere. 36. & 37. Obligatus in tali Ecclesia, vel Altari, non potest alibi celebrare sine causa videnda ab Episcopo. 38. si alibi celebret, non tenetur restituere. *ibidem.* Satisfacit celebrans juxta Ritum Sanctæ Ecclesiæ, etiam si sit obligatus ad Missam votivam, aut de Requie. 39. Ad solam præsentiam obligatus, potest ab alio stipendium accipere pro Missa. 40. si redditus annui sint diminuti, ad Sedem Apostolicam recurrendum pro diminutione. 41. si est institutus Cappellanus, aut Beneficiatus, & non obligatus per se ip-

Digitized by Google

ipsum celebrare, potest solitam eleemosynam alteri dare pro Missa, etiamsi minorem eâ, quam ipse percipit ex fructibus Cappellaniæ, aut Beneficiis. *ibidem ver.* Est autem.
Castrati qui possint, vel non possint ordinari. *Cap.* 2. *n.* 90.
Census debitus Episcopo. *Cap.* 11. *n.* 22. & 23. non potest novus imponi. 24.
Characterem imprimunt Baptismus, Confirmatio, & Ordo, & iterari non possunt. *Cap.* 1. *n.* 8.
Charitativum Subsidium. *vide* Subsidium.
Coadjutoria temporalis, & perpetua. *Cap.* 8. *n.* 71. neutra est Beneficium 72.
Coadjutor ob quas causas datur. *Cap.* 8. *n.* 73. à quo dari possit. 74. ea potest, quæ sibi conceduntur. 75. & 77. emolumenta sibi acquirit. 75. quandiu duret. 76.
Cognatio triplex. *Cap.* 3. *n.* 99. Spiritualis. 100. & *sequent.* In Baptismo privato non contrahitur à susceptoribus. 104. Superveniens matrimonio non dirimit illud, nec impedit usum matrimonii. 105. Legalis quæ, & quotuplex. 106. & 108. quomodo dirimat matrimonium. 109. & *sequent.* Carnalis, quæ, & quotuplex. 116. & *sequent.* Jure naturæ dirimit matrimonium inter Patrem, & Filiam, Matrem, & Filium. 119. non in infinitum inter Ascendentes, & Descendentes, sed usque ad quartum gradum inclusivè. 120.
Collatio Beneficiorum quæ sit, & in quo differat à Præsentatione, & Postulatione. *Cap.* 9. *n.* 30. Spectat ad Papam Jure præventionis. 33. & 34. Jure concursus. 35. Jure devolutionis. 39. Ad Legatum à latere. 40. & 41. Ad Episcopum. 42. 44. & *sequent.* Ad Abbates. 47. Ad Capitulum Sede vacante. 48. Ad Vicarium generalem. 50. Ad Sequestrum. 51. Ad Possessorem bonæ Fidei Juris conferendi. 52. ex ejusdem Beneficii collatione duobus facta, quæ teneat. 34. 35. & *sequen.*
Com-

Digitized by Google

Commendæ Beneficiorum temporales, & perpetuæ. *Cap.* 8. *n.* 66. *& sequent.* Perpetuæ sunt Beneficia. 69. Ordinum Militarium. *vide.* Præceptoriæ.
Confirmationis Sacramentum. *Cap.* 1. *n.* 25. Jejunium, & ætas in eo suscipiendo, non sunt in usu. 26.
Confirmatio electi ad Dignitates spectat ad Papam. *Cap.* 9. *n.* 23. electus ante confirmationem si administret, cassatur electio. 24. non tamen in omnibus electis. 25.
Confirmatus electus non accipit possessionem sine literis Apostolicis. 29. modus petendi Confirmationem, & tempus. 26. *& sequent.*
Confraternitas authoritate Episcopi erigenda. *Cap.* 7. *n.* 31. antecedit Regulares in processionibus, & in litè præcedentiæ inter eas, judicat Episcopus. 32. est Ecclesiastica, quanvis Confratres sint Laici, ejusque Bona sunt Ecclesiastica. 33.
Confratres non possunt a Cappellano Sacramenta, quæ spectant ad Parochum, sine ipsius licentia suscipere. *Cap.* 7. *n.* 31.
Conjugatus sine consensu uxoris ordinari non potest in Sacris. *Cap.* 2. *n.* 78. nec in minoribus. 79. propter adulterium notorium uxoris, potest ordinari. 78. *in medio.* Græci uxorati ordinantur in Sacris, non verò transeunt ad secundas nuptias. 81. Latini cum dispensatione Papæ an possint retenta uxore in Sacris ordinari, *vide* Dispensare. Si Latinus uxoratus sine dispensatione ordinetur, an possit reddere, aut petere debitum. 83. & 84.
Consanguinei qui. *Cap.* 3. *n.* 129. qui scienter contrahunt in gradu vetito excommunicantur 136. & carent spe dispensationis. *ibidem.*
Consecratio quæ sit. *Cap.* 4. *n.* 8. quibus conveniat. 9. *& sequent.* differt à Benedictione. 14. in quibus consecrandis adhibetur unctio. 11. & 12. Ecclesiæ, & Altaris.

Digitized by Google

ris consecratio à quo, & quomodo facienda. *Cap.* 5. *n.* 16. *& sequent.* quomodo dignoscatur Ecclesiæ consecratio. 22.
Consensus matrimonialis qui. *Cap.* 3. *n.* 49. & 54. exprimitur verbis, signis, literis, & per Procuratorem. 50. *& sequent. vide* Procurator. sub quali conditione teneat 55. an requiratur novus, purificata conditione, aut accepta dispensatione. 56. & 57. fictus ad quid obligat. 61. *& sequent.* extortus metu. 66. 67. *& sequ.*
Consensus Parentum ad matrimonii valorem non requiritur. *Cap.* 3. *n.* 59. & 60. & possunt Filiæ dotem petere in Sicilia, nec possunt Filii contrahentes sine Parentum consensu, exhæredari. *ibidem.*
Corpore vitiati qui non possunt ordinari. *Cap.* 2. *n.* 89. de Deformitate judicat Episcopus. 91.
Criminis impedimentum dirimens matrimonium quod sit. *Cap.* 3. *n.* 142. *& sequent.*
Cultus disparitas dirimens matrimonium quæ sit. *Cap.* 3. *n.* 150. Inter Hæreticum, & Catholicam stat matrimonium. 151.
Curiales qui ordinari non possunt. *Cap.* 2. *n.* 87.

D

DEcimæ quæ sint, & quotuplices. *Cap.* 11. *n.* 38. & 39. quo Jure debitæ. 40. & 41. *& sequent.* cuinam Ecclesiæ debeantur. 46. & 47. Episcopo non debetur hodie quarta à Parochis Decimarum Parochialium, sed in certis casibus tota Decima. 48. Summo Pontifici deberentur Decimæ ab omnibus Fidelibus, sed ipse est contentus de Annata, ideſt de fructibus unius anni à Beneficiatis majoribus. 49. Possunt Decimæ non solvi ex Privilegio Papæ. 57. ex Consuetudine. 58. ex Præscriptione. 59. ex Compositione, & Transactione. 60.

ex

Digitized by Google

ex Remissione. 61. Jesuitæ, & alii ex Privilegio non solvunt Decimas prædiales ex prædiis etiam illis, quæ ante quam essent sua, erant solita solvere, & etiam ex illis, quæ habent locata. Nec Conductores suorum prædiorum solvere debent. 62. *& sequent.*

Declarationes Sacræ Congregationis circa Patrimonium Ordinandorum. *Cap.* 2. *n.* 43.

Delegatus quomodo se gerat in exequenda dispensatione pro matrimonio. *Cap.* 3. *n.* 212. *& sequent.* & quomodo Confessarius per viam Pœnitentiariæ. 217. *& sequ.*

Dispensare potest Summus Pontifex ex gravissima causa, ut in Sacris ordinetur Latinus uxoratus, aut jam in Sacris constitutus contrahat matrimonium. *Cap.* 2. *n.* 82. In Irregularitate quis dispenset. 103. In impedimentis matrimonii impedientibus dispensat Episcopus. *Cap.* 3. *n.* 181. quæ impedimenta hodie non indigent dispensatione. 182. Solus Papa in impedimentis dirimentibus ex Jure humano cum causa dispensat. 196. & 197. In dirimentibus ex Jure divino, non dispensat, sed declarat in necessitate legem divinam. 195. In necessitate dispensat in occultis Episcopus. 199. & Commissarius Cruciatæ. 200. & 201. an etiam ante initum matrimonium. *ibidem.* & 202.

Dispensatio propriè quid sit. *Cap.* 3. *n.* 192. Causæ justæ ad eam obtinendam pro matrimonio. 203. & 204. Quando nam sit valida, vel invalida ex reticentia veri, vel manifestatione falsi. 205. *& sequent.* Ad quem dirigatur exequenda. 211. In forma pauperum. 216. per Pœnitentiariam. 217. *& sequent.*

Divortium quid sit. *Cap.* 3. *n.* 221. ut fiat requiritur sententia Judicis Ecclesiastici. 222. quoad vinculum post consummatum matrimonium non potest fieri. 227. & 228. ante consummatum. *vide* Papa. Quoad torum, & cohabitatioem quibus ex causis fiat. 249. *& sequent.*

Digitized by Google

Donatio propter nuptias. *Cap. 3. n.* 269. & 275.
Dos, quæ sit, & quotuplex. *Cap. 3. n.* 267. & 268. quando restituenda facto divortio. 270. *& sequent.* quando mulier eam amittit, vel non, propter adulterium. 272. 273. 276. *& sequent.* ob dotem non solutam quid possit Vir. 279.

E

Ecclesia quid, & quotuplex sit. *Cap. 5. n.* 1. *& sequen.* à quo ædificanda. 7. & sine præjudicio alterius. 8. potest Episcopus cum causa novam Parochialem erigere. 9. non potest in alieno solo sine consensu Domini ædificari. 10. quando nova ædificatur, quid fieri debeat. 13. & 14. Ecclesia reparanda. *vide.* Reparare. Consecranda. *vide.* Consecratio. Reconcilianda. *vide.* Polluitur. Ecclesiæ Immunitas. *vide.* Immunitas.
Electio specialiter, & generaliter sumpta. *Cap. 9. n.* 3. & 4. fieri non potest, nisi mortuo, & sepulto Prælato, vocatis omnibus Capitularibus. 6. ut sit legitima quid requiratur. 8. 9. & 10. Electionis forma triplex. 11. qualis per Scrutinium. *ibidem.* & 12. qualis per Compromissum. 13. qualis per Inspirationem divinam. 14. Servatus forma in Electione Prælatorum, non verò in electione Canonicorum. 15. quid in electione Summi Pontificis. 16. quid in electione Superiorum Regularium. 17. clandestina reprobatur. 18.
Electores absentes impediti eligunt Procuratorem de Capitulo. *Cap. 9. n.* 7. non possunt esse Laici. 19. nec qui non sunt in Sacris, nec excommunicati, nec potest quis se ipsum eligere, nisi in Compromisso *ibidem.* quando priventur Jure eligendi. 20. & 21.
Electus ad Prælaturam. *vide* Confirmatio electi.
Episcopus ordinare solùm Subditos potest. *Cap. 8. n.* 12. *& se-*

& sequent. vide Ordinum susceptio, & collatio. Ordinans aliquem sine titulo, tenetur eum sustentare. 41. & 42. solos Beneficiatos tenetur ordinare. 27. Ordinans scienter Servum, tenetur Domino duos Servos dare. 86. Ecclesiam novam Parochialem cum causa ædificare potest. *vide* Ecclesia. Dotare potest Ecclesiam, aut Monasterium pro sui Sepultura. *Cap.* 5. *n.* 12. Exigit canonicam Portionem. *vide* Quarta Episcopalis. Charitativum Subsidium. *vide* Subsidium. Decimas. *vide* Decimæ. Exequi cogit Legata pia. *vide* Legatum. Pensionem imponit. *vide* Pensio.

Error circa personam dirimit matrimonium. *Cap.* 3. *n.* 86. *& sequent.* circa qualitates non dirimit. 94. circa conditionem servilem quomodo, & quando dirimat. 88. *& sequent.*

Eucharistiæ Sacramentum. *Cap.* 1. *n.* 29. est in præcepto ejus sumptio. 30. Eucharistiam associans gaudet immunitate. *Cap.* 5. *n.* 51. eam servare in Ecclesiis suis possunt Regulares, eamque ministrare in mortis articulo Familiaribus, non verò aliis. *vide* Viaticum. *vide* Regulares. Eucharistiam sumens debet esse jejunus, non tamen qui sumit pro Viatico. *Cap.* 1. *n.* 32.

Excommunicatus non potest ordinari. *Cap.* 2. *n.* 57. nec Beneficium consequi. *Cap.* 10. *n.* 20. *&* 21.

Excommunicatus moriens. *vide* Sepultura.

Excommunicatio Contrahentium cum impedimento. *vide* Impedimenta matrimonii.

Extractio Rei ex Ecclesia. *vide* Immunitas Asyli.

Extrema Unctio. *Cap.* 1. *n.* 45. à quo ministranda. 46. an eam ministrent Regulares. *vide* Regulares.

F

FAbricare Ecclesiam. *vide* Ecclesia.

Digitized by Google

Festi dies, qui sint in Ecclesia. *Cap.* 6. *n.* 5. quæ opera in illis fieri prohibentur. 6. *& sequent.*
Fœmina non potest ministrare Sacerdoti celebranti. *Cap.* 1. *n.* 38. possunt tamen Moniales è Choro respondere. *ibidem.*
Filii Presbiterorum illegitimi nunquam possunt obtinere Beneficium Patris in eadem Ecclesia; legitimi tamen mediatè possunt. *cap.* 10. *n.* 25.
Funera. *vide* Sepultura. Parochus.

G

GRadus Consanguinitatis quomodo computãdi. *Cap.* 3. *n.* 124. *& sequent.* Affinitatis. 130. *& sequent.*

H

HÆretici non possunt ordinari. *vide* Irregulares.
Hermaphroditus quando possit ordinari. *Cap.* 2. *n.* 32. matrimonium inire quando possit. *Cap.* 3. *n.* 84.
Homicidium triplex. *Cap.* 2. *n.* 47. voluntarium parit irregularitatem, etiam occultum, & solus Papa dispensat. 46. Necessarium, si ob defensionem, non parit irregularitatem. 50. si authoritate Superioris, parit irregularitatem ex defectu lenitatis. *ibidem.* Casuale duplex. 49. si sine culpa, non parit irregularitatem. 50. si tamen notorium, aut deductum ad forum contentiosum, requiritur dispensatio, aut declaratio ab Episcopo, ut committens ordinetur, aut exerceat ordinem susceptum. 51. 52. & 53. & ut obtineat Beneficium. *Cap.* 10. *n.* 23. In casuali cum culpa occulto dispensat Episcopus. *Cap.* 2. *n.* 54. & 55. Homicidium dirimens matrimonium. *vide* Criminis impedimentum.
Honestas publica dirimens matrimonium. *vide* Publica.

Ho-

Digitized by Google

Horæ Canonicæ recitandæ ab Ordinatis in Sacris. *vide* Obligationes Clericorum. A Beneficiatis sub pœna restituendi fructus. *Cap.* 10. *n.* 27. Qualis sit hæc obligatio, & quando teneantur Beneficiati non recitantes Horas Canonicas, restituere fructus omnes, vel partem. 28. 29. & 30.
Hospitale quid, & quotuplex. *Cap.* 7. *n.* 23. 24. & 27. Religiosum subditur Episcopo. 25. Religiosorum militarium, & aliorum Fratrum non subditur. 26. nec quod non est Religiosum. 29. nisi mortuo Fundatore quo ad visitationem, & correctionem. 30.

I

Jesuitæ non comprehenduntur in Decreto non suscipiendi Sacros Ordines in tribus festis continuis. *Cap.* 2. *n.* 109.
Illegitimi non possunt ordinari. *Cap.* 2. *n.* 93. qui sint. *ibidem* & 94. & *sequent.* Quo ad Beneficia minora dispensat Episcopus cum eis, quæ ad majora Papa. *Cap.* 10. *n.* 25. *in medio. vide* Filii Presbiterorum.
Imagines Sanctorum. *vide* Sanctorum Imagines.
Immunitas Ecclesiæ quæ sit *Cap.* 5. *n.* 37. & *sequent.*
Immunitas Asyli. *Cap.* 5. *n.* 43. quæ loca gaudeant. 44. 48. & 49. Immunitas passim quomodo servanda. 45. 46. & 47. Qui gaudeant Asyli immunitate. 52. 69. & 71. etiam Religiosi, & Clerici. 75. 76. 77. etiam Reus mortuus, sive vivus gaudebat, sive non. 78. 79. & 80. qui alii gaudeant, vel non. 81. & *sequent.* qui non gaudent. 53. 54. 66. & 68. *vide* Occidens. Hæretici ob crimen hæresis non gaudent, ob alia crimina non excepta gaudent. 67. extractio Rei ex Ecclesia in casibus exceptis quomodo facienda. 72. & 73.
Impedimenta matrimonii qualia, & quo jure inducta.

Digitized by Google

Cap. 3. *n.* 81. *& sequent.* Dirimentia, *vide* Error. Conjunctio. Votum, & cætera. Contrahentes scienter cum impedimento dirimente excommunicantur, & carent spe dispensationis. 136. Impediunt, & non annullant Interdictum Ecclesiæ. 169. Tempus feriatum. 170. Cathechismus. 171. Votum simplex castitatis, Religionis, suscipiendi Ordines Sacros, & non ineundi matrimonium. 172. Sponsalia cum alio facta. 173. Impediunt matrimonium cum quacunque Incestus. 174. *& sequent. vide* Incestus. Raptus mulieris, alteri desponsatæ. 183. Uxoricidium. 185. Susceptio prolis in Baptismo. 187. Pœnitentia solemnis. 188. Conjugium cum Moniali. 189.

Impotentia coëundi dirimens matrimonium, qualis ex parte Viri, qualis ex parte Fœminæ. *Cap.* 3. *n.* 151. & 158. quid requiratur, ut declaretur nullum matrimonium ex Impotentia. 160. *& sequent.* facta dissolutione si inveniatur potens, qui fuit declaratus impotens, debet ad priorem uxorem redire. 164. si velint permanere ut Frater, & Soror cognitâ impotentiâ, possunt. 167. Impotentia respectiva perpetua, dirimit respectu unius, & non respectu alterius. 168.

Impuberes in Sacris ordinati, an teneantur ad castitatem. *Cap.* 2. *n.* 117. & 118. eorum matrimonium, & sponsalia, *vide* Sponsalia. Matrimonium.

Incestus cum Consanguinea Uxoris impedit petitionem debiti, & matrimonium in futurum. *Cap.* 3. *n.* 174. *& sequent.*

Incompatibilitas Beneficiorum *Cap.* 10. *n.* 7. quæ sint incompatibilia Beneficia, quæ vero non. 8. 9. *& sequent.* quis dispenset. 13. quæ sit causa dispensandi. 14.

Infamia Juris, & facti quæ sit, & quando impedit susceptionem Ordinis. *Cap.* 2. *n.* 58. *& sequent. & n.* 74.

Irregulares qui sint. *Cap.* 12. *n.* 1. *& sequent.* Milites, qui nemi-

neminem petierunt, aut mutilarunt in bello, iuxta non sunt irregulares. 96. *vide* Ancipitis. Castrati. Corpore vitiati. Conjugati. Curiales. Hæretici. Illegitimi. Excommunicati. Homicidium.
Irregularitas quotuplex sit. *Cap.* 2. *n.* 98. *et sequent.* quis in ea dispenset. 103. *vide* Homicidium.
Jus Patronatus unde acquiratur. *Cap.* 9. *n.* 83. Laicali Juri non derogatur. 87. quibus modis Jus ipsum transferatur in alios. 97. *et sequent.* quibus causis amittatur. 120. *et sequent.* & *Cap.* 11. *n.* 107. *vide* Patronus.

L

Legatum ad pias causas quod sit. *Cap.* 11. *n.* 67. & 68. tum Judex secularis, quàm Episcopus cognoscere possint de Legatis piis. 69. quo tempore cogi possint hæredes. 70. 71. & 72. tempus exequendi legata curarit ignoranti. 73. Episcopus etiam exclusus à Testatore, se intromittere potest in executione. 75. & 76. voluntas defuncti legantis circa legata pia mutatur, si impleri de Jure, vel de facto non possit. 77. & 78. quæ servanda sunt in faciendâ mutatione. 79. & 80. In quibus casibus absque mutatione voluntatis legantis, possit per quid æquivalens impleri legatum. 82. 83. & *sequent.* tenet legatum sine testamento. 88. ad personas incertas. 89. cum capitatoria Institutione. 90. Ecclesiæ Cappuccinorum, & Domorum Professarum Societatis Jesu sunt capaces legati etiam perpetui. 92. quando tenetur hæres solvere legatum, etiamsi non reperiatur res legata. 93. non detrahitur è legatis piis Falcidia, nec Trebellianica. 94. & 95. quid faciendum, quando incerta manet in individuo Ecclesia, cui relictum est legatum. 97. tenet testamentum ad pias causas factum nutu, & signis, vel subscriptum manu

nu Defuncti sine Testibus. 98. tenet legatum de bonis immobilibus relictum Religiosis incapacibus Dominii, venditur tamen ab ipsis. *Cap.* 11. *n.* 116. & 117.
Literæ testimoniales ad Ordines ex Bulla Innocentii XII. *Cap.* 2. *n.* 18.

M

MAlum ab intrinseco nunquam licitum. *Cap.* 3. *n.* 76.
Matrimonium Impuberum valet pro Sponsalibus. *Cap.* 3. *n.* 5. quid sit matrimonium. 45. quotuplex. 46. & 47. ejus materia, forma, & ministri. 48. ejus impedimenta. *vide* Impedimenta. Ubi non est Parochus, nec Sacerdos in regionibus Infidelium, potest fieri coram testibus. 82. *ver.* Quibus, est insolubile. 227. 228. 231. & *sequent.* solvitur tamen Infidelis matrimonium, si conversus ad fidem non poterit sine peccato, cum uxore nolente se convertere, cohabitare cum ea. 230. Matrimonium ratum non consummatum solvitur per Professionem Religiosam. 233. & *sequent.* non dissolvitur per votum in Ordine Sacro, nec per vota simplicia post biennium emissa in Societate Jesu. 237. & 238. potest solvi ex dispensatione Papæ. 239. & 240. *vide* Papa. *vide* Sponsalia. Impedimenta. Divortium. Nuptiæ. Dos. Donatio.
Metus gravis annullans matrimonium, levis non annullans, justè, aut injustè incussus qui sit. *Cap.* 3. *n.* 66. & *sequent.* Reverentialis non annullat. 72.
Milites qui possint ordinari. *vide* Irregulares.
Minister Sacramenti etiam Hæreticus, si habet debitam intentionem, & non mutat materiam, & formam, facit Sacramentum. *Cap.* 1. *n.* 12. & 14.
Missa una potest dici à Sacerdote quolibet die, excepto Natali Domini, & casu necessitatis. *Cap.* 1. *n.* 31. non po-

Digitized by Google

poteſt dici niſi in loco Sacro approbato ab Epiſcopo, vel cum Privilegio Altaris portatilis. 36. *vide* Oratorium. Quo tempore dici poſſit. 37. Cum Miniſtro. 38. *vide* Fœmina. Cum luminibus. *vide* Candelæ. Cum veſtibus Sacris. *vide* Veſtimenta. Calix. quot Miſſas omittet Cappellanus. *vide* Cappellanus.

Moniales e choro reſpondent Sacerdoti celebranti. *vide* Fœmina.

N

NOminatio quid, & quotuplex. *Cap.* 9. *n.* 3. & 5.

Novale quid ſit, & quomodo ex eo debeantur Decimæ, & cui. *Cap.* 11. *n.* 56.

Nuptiæ ſecundæ requirunt certitudinem de morte conjugis. *Cap.* 3. *n.* 78. non ſunt intra annum luctus prohibitæ. 285. non benedicuntur. 286. non incurruntur pœnæ à Jure Civili impoſitæ. 287. & *ſequent.* Diſpoſitiones Juris in favorem filiorum ſervandæ in ſecundis nuptiis. 293. & *ſequent.*

O

OBlationes quæ ſint. *Cap.* 11. *n.* 28. 29. & 30. Cedunt Parocho, vel Prælato, ſeu Rectori Eccleſiæ. 31. & 32. non tamen illæ, quæ fiunt cum expreſſo fine ab Offerentibus. 33. quomodo eas expendat Parochus, vel Rector. 34.

Obligati ad ratiocinia non ordinantur niſi in aliquo caſu. *Cap.* 2. *n.* 88.

Obligationes Clericorum in Sacris. *Cap.* 2. *n.* 112. etiam non Beneficiati tenentur ad Horas. 113. & *ſequen.* ordinati ante annos diſcretionis an teneantur ad caſtitatem. *vide* Impuberes.

Digitized by Google

Occidens existens in Ecclesia existentem extra, aut extra existens existentem intra, non gaudet immunitate. *Cap.* 5. *n.* 57. & *sequent.* In Porticu, vel Atrio vel prope Ecclesiam occidens, gaudet. 62. & *sequent.*
Optio Beneficiorum quæ, & quomodo facienda. *Cap.* 9. *n.* 117. & *sequent.* non habet locum in Beneficiis reservatis, aut resignatis. 121.
Oratorium privatum quod sit. *Cap.* 7. *n.* 1. in eo ut celebretur, requiritur licentia Summi Pontificis. 2. sub quibus conditionibus concedatur. 3. & 4. virtute Bullæ Cruciatæ quid obtineatur. *vide* Bulla. Publicum Oratorium quid sit. 5. quid requiratur, ut publicum censeatur. 6. & 7. in quo differat ab Ecclesia. 8.
Ordinis Sacramentum. *Cap.* 2. *n.* 1. quotuplex. 2. non est Ordo distinctus à Sacerdotio Episcopatus. 3. & *sequent.* Ordines majores, & minores. 6. & 7. Ordo Sacer dirimit matrimonium. *Cap.* 3. *n.* 97. & qui cum eo contrahit, est excommunicatus. 98.
Ordinum susceptio, & collatio ut sit valida, sex requirit. *Cap.* 2. *n.* 8. & *sequent.* suis temporibus fieri debet. *vide* Tempora. Ordinari non possunt ab Episcopo, nisi Subditi. *Cap.* 2. *n.* 12. qui sint Subditi post Bullam Innocentii XII. 13. & *sequent.* nec possunt ordinari non Subditi sine dimissoriis proprii Episcopi. 21. nec Ultrambitani sine licentia Vicarii Papæ. 22. nec Regulares sine licentia suorum Superiorum. 24. nec Diaconi ordinati a Papa, sine ejus licentia possunt Sacerdotium suscipere. 23. neque qui habent Beneficium non sufficiens. 27. nec nisi ex Episcopi arbitrio, attenta utilitate Ecclesiæ, qui habent Patrimonium. *ibidem.* & 39. & 40. neque Illiterati. 35. neque alii, qui sunt Irregulares. *vide* Irregulares, nec Religiosi non Professi. *vide* Regulares. Societatis Jesu Clerici adhuc non Professi ordinantur. *vide* Societatis.

Or-

Digitized by Google

Ordinati invalidè reordinantur. *Cap.* 2. *n.* 30. si quod omissum fuit non erat de essentia, suppletur. *ibidem* & 31. si sine Patrimonio. *vide* Patrimonium. Si per saltum, quas pœnas incurrant, & quis dispenset. 111.

P

PApa an dispensare possit in Jure divino. *Cap.* 3. 240. 241. 242. quomodo dispenset in matrimonio rato non consummato. 243. & *sequent. vide.* dispensare.

Parochus debet esse præsens in sepeliendis Parochianis. *Cap.* 7. *n.* 41. & 42. ejus licentia requiritur, ut sepeliatur non familiaris moriens intra Claustra Regularium. *ibidem.* non potest intra Ecclesias Regularium Officium super Cadaver peragere. 44. & ideo non debet intrare. *ibidem.* ut efferatur ad suam Ecclesiam Religiosus defunctus in Domo seculari, non requiritur ejus præsentia. 45.

Patrimonium pro Ordine sacro non fictum. *Cap.* 2. *n.* 40. pœnæ cum ficto Ordinati. 41. *& sequent.* Declarationes circa Patrimonium. *vide* Declarationes.

Patronus Beneficii unde fit. *Cap.* 9. *n.* 83. plures possunt esse ejusdem Beneficii Patroni. 84. Patronus laicus intra quatuor menses, Ecclesiasticus intra sex præsentat. 86. post unius præsentationem potest Laicus alium præsentare, non verò Ecclesiasticus. 89. & 90. post vacationem fieri potest præsentatio. 91. Patrono laico in egestatem vergenti succurrit Ecclesia. 92. Patroni consensus quomodo requiratur in dispositionibus faciendis ab Episcopo circa Ecclesiam. 94. *& sequent. vide* Jus Patronatus.

Peccatum originale, & personale, quod est veniale, vel mortale. *Cap.* 1. *n.* 43. *ver.* Porro.

Peculium Clericorum quid, & quotuplex. *Cap.* 11. *n.* 99.

Digitized by Google

de bonis non solùm Patrimonialibus, sed de acquisitis ex Beneficiis sunt Domini. 100. quæ bona Clerici defuncti ad hæredes, quæ verò ad Ecclesiam pertineant. 101. 102. & 103. de quibus possit Clericus testari. 104.
Pensio unde dicta, & quæ sit. *Cap.* 8. *n.* 78. & 79. laicalis, & clericalis. 80. laicalis non est Beneficium. 81. Clericalis aliqua est, aliqua non est Beneficium. 82. & 83. & 84. ut imponatur, requiritur causa. 86. quæ sit justa causa. 87. & 88. quando possit ab Episcopo imponi. 89. Clericalis soli Clerico confertur. 90. In qua ætate. 91. in quibus Beneficiis. 92. quanta. 93. consensus Beneficiati requiritur, nisi Papa aliter velit. 94. consensus Patroni laici requiritur. 95. ut obtineatur nova Pensio, requiritur in supplica mentio prioris. 96. quot modis extinguatur. 101.
Pensionarius solvit pro rata onera annexa Beneficio. *Cap.* 8. *n.* 97. post mortem Beneficiati exigit Pensionem à Successore. 98. & 99. etiamsi fructus sint diminuti. 100.
Permutatio Beneficiorum quæ, coram quo, & à quibus fieri possit. *Cap.* 9. *n.* 114. *& sequent.*
Pluralitas Beneficiorum. *vide* Incompatibilitas.
Pœnitentia triplex. *Cap.* 1. *n.* 41. solemnis reiterari non potest. 9. Pœnitentiæ Sacramentum iteratur. *ibidem*. quod sit, & quæ ejus partes. 42. & 43.
Polygamia Jure naturæ prohibita. *Cap.* 3. *n.* 74. *& sequent.* in ea non potest Papa dispensare. 77. Deo concedente duas simul uxores, non habetur Polygamia, quæ est intrinsecè mala, sicut nec homicidium malum, jubente ipso occisionem. 76.
Polluitur Ecclesia per sanguinis effusionem injuriosam, & seminis humani publicam. *Cap.* 5. *n.* 23. & per occisionem hominis sine effusione sanguinis. 24. non verò per accidentalem. *ibidem*. nec per modicam effusionem
Digitized by Google

nem sanguinis injuriosam. 26. Polluitur etiam per Sepulturam eorum, qui prohibentur sepeliri. *Cap.* 7. *n.* 70. Pollutâ Ecclesiâ polluuntur Altaria fixa, non verò mobilia. *Cap.* 5. *n.* 31. & *sequentibus.* si in ea bona fide celebretur, non indiget reconciliatione. 27. *vide* Reconciliare.

Præceptoriæ, seu Commendæ Ordinum Militarium, quæ sint. *Cap.* 8. *n.* 53. probabilius est, quod non sint Beneficia, quæ dantur equitibus Laicis. 56. *& sequent.*

Præstimonia quæ sint Beneficia. *Cap.* 8. *n.* 64.

Primitiæ, quæ sint, & quomodo debeantur. *Cap.* 11. *n.* 36. & 37.

Procuratio debita pro Visitatione. *Cap.* 11. *n.* 25. potest per Consuetudinem tolli. 26. moderata exigenda. 27.

Procurator ad matrimonium debet habere speciale mandatum, nec potest substituere sine speciali commissione, non debet ipse esse in gratia quando coram Parocho, & testibus dat consensum nomine mandantis. *Cap.* 3. *n.* 51. 52. & 53.

Publica honestas dirimens matrimonium. *Cap.* 3. *n.* 137. hodie inter quos dirimat. 139. *& sequent.*

Pyxis benedicitur, non tamen necessariò. *Cap.* 4. *n.* 2. ver: Pyxis.

Q

QUarta Episcopalis quæ sit. *Cap.* 11 *n.* 1. eam detrahit Episcopus etiamsi Testator noluerit. 2. ex bonis sibi relictis ejus intuitu non detrahitur. *ibidem.* Potest consuetudine, præscriptione, aut privilegio tolli Episcopo. 3. non debetur ex bonis relictis pauperibus, vel personis. 4. & 7. nec de relictis pro fabricâ, aut luminaribus &c. 5. nec quando Legatum relinquitur Ecclesiæ extra Diœcesim. 9. an debeatur ex relictis

ctis Hospitali, & Cōfraternitati. 10. an simul Legatum, & portionem Episcopus accipiat. 11. & 12. si Legatum fuit modicum ipsi relictum in fraudem, quid faciet. 13. Quarta Parochialis quæ sit. *Cap.* 7. *n.* 48. & 49. Solvenda ab Ecclesia, in qua sepelitur Parochianus. 50. non solvitur ab Ecclesia Regulari post Tridentinum fundata, aut quæ non erat solita per 40. annos ante Tridentinū solvere. 51. & 52. ex quibus rebus solvenda. 53. & 54.

R

RAptus puellæ dirimens matrimonium qualis, & quando. *Cap.* 3 *n.* 152. & *sequent.* rapiens puellam cum animo, ut cū alio contrahat, si ipse cū ea cōtrahit, validè cōtrahit, quanvis incurrat excommunicationē. 159.
Raptus mulieris alteri desponsatæ impedit matrimonium cum alia quacunque. *Cap.* 3. *n.* 183. & 184.
Reconciliare Ecclesiam consecratam pollutam solus potest Episcopus. *Cap.* 5. *n.* 23. Benedictam quilibet Sacerdos. *ibidem.* Si non adest Episcopus, possunt Præpositi, & Rectores Societatis Jesu propriam Ecclesiam consecratam reconciliare. 29.
Reges qui unguntur. *vide* Unctio.
Regulares servant Eucharistiam, & ministrant in propriis Ecclesiis, & in Grangiis. *Cap.* 1. *n.* 30. *versu.* Est etiam. Non ministrant in morte nisi Familiaribus, & suis. *vide* Viaticum. Non ordinantur sine consensu Superioris. *Cap.* 2. *n.* 24. Nec ab alio Episcopo, nisi eo, in cujus sunt Diœcesi, nisi ipse absit, aut nolit. *ibidem.* Jesuitæ possunt à quocunque ordinari. *ibidem.* Nec nisi Professi ordinantur in Sacris. 37. exceptis Jesuitis. *vide* Societatis. Si contrahunt Professi matrimonium, excommunicati sunt. *Cap.* 3. *n.* 98.
Religiosæ Domus quæ sint. *Cap.* 7. *in principio.*

Re-

Reliquiæ Sanctorum in Altari fixo, vel mobili ponendæ. *Cap. 6. n.* 1. quæ sint Reliquiæ. 2. ut exponantur veneerationi publicæ, requiritur approbatio. 3. & duo lumina super altare. 4.

Reparare Ecclesiam qui teneantur. *Cap.* 5. *n.* 15.

Reservatio Beneficiorum quæ & quotuplex. *Cap.* 9. *n.* 53. Beneficia vacantia in Curia Romana qualia sint reservata. 54. 55. *& sequent.* sive in Curia, sive in locis vicinis, sive apud Sedem Apostolicam vacent. 59. 60. & 61. Parochialia non collata ante obitum Papæ, non sunt post obitum reservata. 62. Incompatibilia cum eo, quod obtinetur à Papa, sunt reservata. 63. Item reservata sunt Beneficia Cardinalium, & Curialium. Episcopatus omnes, & Dignitates in Cathedralibus. 65. & 66. *& sequent.* quæ vacant in mensibus Papalibus. 71. *& sequent.* Cessat mortuo Papa mensium reservatio, donec à novo publicetur. 76. quæ excipiantur à Regula mensium. 77. & 78. quid importat gratia Alternativæ. 80. *& sequent.*

Resignatio Beneficii quæ, & quotuplex. *Cap.* 9. *n.* 105. & 106. Superior potest eam non acceptare. 107. Semel admissa tenet. 109. & 111. Regula de Infirmis renunciantibus. 113. Resignantio causâ permutationis. *vide* Permutatio.

S

Sacerdos semel in die celebrat. *Cap.* 1. *n.* 31. exceptis aliquibus casibus. *ibidem*. Debet esse jejunus. 32. quando possit non jejunus. *ibidem*. Panem sine vino non consecrat. 33. Aqua in vino ponenda. *ibidem.*

Sacramentum, quid, & quotuplex. *Cap.* 1. *n.* 1. Tribus perficitur. 10. In materia, & forma Sacramenti non potest Ecclesia aliquid mutare. 11.

Digitized by Google

Sanctorum Reliquiæ. *vide* Reliquiæ.
Sanctorum imagines insolitę non possunt exponi, nec cum laureolis pingi, nisi Beatificatorum, & Canonizatorum. *Cap. 6. n. 3. & 4.*
Sepeliri debet in Parochia qui sepulturam non eligit. *Cap. 7. n. 36. 38. & 39.* etiam Religiosi, qui in suis Ecclesiis non possunt sepeliri, quia mortui in loco remoto. 37.
Sepulcrum ubi olim fiebat. *Cap. 7. n. 34. & 35.* Majorum quod sit, & quomodo in eo sepeliendi filii, uxor, & cæteri. 55. *& sequent.* Jus sepulchri majorum quibus ex causis amittitur. 59.
Sepultura liberè eligitur à quocunque non Religioso. *Cap. 7. n. 38. & 39.* Neq; potest quis cogi à Clericis, aut Religiosis, ut in suis Ecclesiis sepeliatur, sub pœna restituendi corpus, & bona. 40. Præsentia Parochi in sepultura Parochiani. *vide* Parochus. Ecclesiastica sepultura negatur Paganis, Hæreticis, & Excommunicatis. 60. qui moritur excommunicatus, si dedit signa pœnitentiæ ante mortem, absolvitur mortuus, & sepelitur. 61. si fuit in articulo mortis à quocunque Sacerdote absolutus, sepelitur. 62. & 63. Qui liberè se occiderunt, non sepeliuntur. 65. Nec qui in duello, vel Torneamentis moriuntur. 66. nec peccatores impœnitentes. 67. Damnati in ultimo supplicio sepeliuntur, nisi Judicis sententia obstet. 68. Tempore Interdicti quomodo sepeliantur mortui. 69. Sepulturam Ecclesiasticam dantes prohibitis eam habere, excommunicantur, & debent restituere quæ perceperunt. 70.
Servus non potest nisi fiat liber, ordinari. *Cap. 2. n. 86.* Ordinatus sciente Domino, fit liber, nesciente, aut contradicente, quid fieri debeat, *ibidem*. Non est servus qui nascitur ex matre libera. *Cap. 3. n. 93.* Conditio servitutis quando dirimit, vel non, matrimonium. *vide* Error. Si-

Digitized by Google

Sigillum Sacramentale. *Cap.* 1. *n.* 44.
Societatis Jesu Clerici post vota biennii nondum Professi ordinantur in Sacris. *Cap.* 2. *n.* 38. non tamen tenetur Societas providere de alimentis quos ordinatos dimittit. *ibidem.* Ordinantur tribus diebus festivis etiam continuis. *vide* Ordinum susceptio.
Spadones non possunt inire matrimonium. *Cap.* 3. *n.* 116.
Sponsalia unde dicta. *Cap.* 3. *n.* 1. quid requirant ad validitatem. 2. *& sequent.* ea non possunt Amentes, & Ebrii. 8. possunt verò contrahere surdi, vel muti per signa; surdi autem simul, & muti, & cæci, probabile est quod possint. *ibidem.* Obligant contracta sub gravi. 9. quo tempore. 10. sine causa non possunt rescindi. 11. & 12. sunt valida etiam gravi metu extorta. 14. non admittunt pœnam solvendam à resiliente. 15. ab aliis. 16. *& sequent.* non excludunt Arrhas. 20. *& sequent.* Clandestina valent. 23. & ubi non est acceptatum Tridentinum transeunt in matrimonium secutâ copulâ. 24. & 25. Solvuntur ex mutuo consensu. 26. non verò ea, quæ contraxere Impuberes, nisi post decimum quartum annum viri, & duodecimum fœminæ. 27. solvuntur etiam per fornicationem sive spiritualem, sive corporalem alterius. 28. *& sequent.* per lapsum temporis præfixi. 32. & non præfixi, sed longi. 33. per ingressum in Religionem. 34. per votum Religionis. 35. quid de hoc voto post Sponsalia facto intercedente copula? 36. per susceptionem Ordinis Sacri, non verò minoris. 37. per matrimonium cum alia. 38. per notabilem mutationem supervenientem. 39. & 40. non tamen si copula intercessit post novam circumstantiam. 42. Publica non dissolvuntur sine sententia Judicis. 41. Impedimentum dirimens matrimonium supervenions Sponsalibus, ea solvit. 43.
Subsidium Charitativum Episcopo tribuendum. *Cap.* 11.

Digitized by Google

n. 14. cum causa est petendum. 15. & eâ habitâ dare nolentes compelli possunt. 16. solvendum à solis Beneficiatis. 17. non à Regularibus, & exemptis non inhabitantibus populum subjectum. 19. non potest Episcopus reddere in totum, & pro semper Beneficiatum exemptum. *ibidem.* potest contra Charitativum Subsidium legitimè præscribi. 21.

T

TEmpora Ordinationis statuta. *Cap.* 2. *n.* 104. *& sequent.* non possunt simul duo Ordines sacri suscipi. 107. nec cum minoribus Subdiaconatus. 108. extra tempora concessa Ordinatio non fit tribus Festis continuis, excepta Ordinatione Jesuitarum. 109. Causæ, ob quas datur dispensatio, ut extra tempora quis ordinetur. 110.

Testes in causa Divortii qui esse possint. *Cap.* 3. *n.* 224. & 225.

V

VAcatio Beneficii Jure tantùm, facto tantùm, Jure simul, & facto, *Cap.* 10. *n.* 1. *& sequent.* Delicta quibus est à Jure annexa. 5. differentia inter vacationem ipso Jure, & ob Judicis sententiam in ordine ad restituendos fructus Beneficii. 6.

Vestimenta, & alia inservientia ad Missam benedicenda ab Episcopo, vel Privilegiato. *Cap.* 4. *n.* 4. & 5. possunt vestes sacræ fieri ex profanis, aut muliebribus. 6. si formam amittunt, iterum benedicendæ. 7.

Viaticum ministrare non possunt Regulares, nisi suis, & Familiaribus, nec extremam Unctionem. *Cap.* 1. *n.* 30. *ver. notandum.* possunt tamen si urgeat necessitas, &

Pa-

Digitized by Google

Parochus absit. *ibidem.* Suis, & Familiaribus extra Claustra Infirmis processionaliter deferre Viaticum non possunt. *ibidem, ver: Item.*
Vicarius perpetuus in Beneficio est Beneficiatus. *Cap. 8. n. 43.* quomodo eligendus. 44. quem spectat curare Animarum. 45. durat post mortem Principalis. 46. non potest alium substituere. 47. sibi acquirit, quæ percipit ex Juribus Parochialibus. 48. Vicarius temporalis in Beneficio à quo constituendus. 50. quibus ex causis. 51. non est Beneficiatus. 52. nec potest ad titulum Vicariæ ordinari, & potest removeri. *ibidem.*
Unctio sacra in quibus adhibetur. *Cap. 4. n. 11. & sequent.* quo Oleo fiat. 16.
Unio Beneficiorum quæ, & quotuplex. *Cap. 9. n. 122.* quibus modis fieri possit. 123. & 125. unitum Beneficium extinguitur. 124. Potestas uniendi penes quem sit. 126. & *sequent.* ad Unionem faciendam requiritur causa. 136.
Votum solemne Castitatis in Ordine sacro, & vota Jesuitarum post biennium non solvunt matrimonium ratum non consummatum. *Cap. 3. n. 237. & 238.* Votum temporale castitatis non impedit Sponsalia implenda deinceps. 8. Votum simplex impedit, non dirimit matrimonium. 96. Vota autem Jesuitarum licet simplicia dirimunt matrimonium. 95. Votum emissum in Professione religiosa, & in susceptione Ordinis sacri dirimit matrimonium. *ibidem.*
Uxor Græci Sacerdotis consentiens ejus Ordinationi, non potest mortuo ipso, alteri nubere. *Cap. 2. n. 85.*
Uxoricidium impedit matrimonium cum alia. *Cap. 3. n. 185.*

LAUS DEO.

Digitized by Google


ERRATA	CORRIGE.
Pag. 54. lin. 11. *Cap. unito de Obligatis ad ratiocin. cap. unico.*	*Cap. unico de Obligatis ad ratiocinia n. 10.*
Pag. 64. lin. 13. Obliganti	Obligante.
Pag. 72. lin. 18. pæne	pœnæ.
Pag. 88. lin. 19. fastinent	fustineat.
Pag. 128. lin. 26. *Dif.* 7.	Disp. 72.
Pag. 132. lin. 27. Dif. 17.	Disp. 107.
Pag. 133. lin. 30. octos	octo.
Pag. 139. lin. 1. *lib.* 3.	*lib.* 7.
Pag. 141. lin. 8. *n.* 71.	*n.* 75.
Pag. 213. lin. 7. Januari	Januarii.
Pag. 214. lin. 3. Agatę	Agathæ.
Pag. 218. lin. 3. Pirging	Pirhing.
Pag. 230. lin. 7. Confratum	Confratrum.
Pag. 245. lin. 25. sepilire	sepelire.
Pag. 260. lin. 16. prępositio	propositio.
Pag. 274. lit. De Pensione	De Pensione.
Pag. 278. lin. 25. per mutationis	permutationis.
Pag. 293. lin. 19. Scrutinum	Scrutinium.
Pag. 325. lin. 3. lesæ	læsæ.
Pag. 388. lin. 4. qui	quæ.
Pag. 389. lin. 15. sacre	sacræ.
Pag. 394. lin. 24. Patmonium	Patrimonium.
Pag. 372. lin. 15. sollici	solliciti.
Pag. 407. lin. 7. Sponsaliæ	Sponsalia.
Pag. 407. lin. 12. 85.	83.
Pag. 410. lin. 1. Episcopati	Episcopali.
Pag. 410. lin. 25. 255.	355.

Reliquos errores, præsertim in Orthographia corriges Amice Lector.

Bayerische Staatsbibliothek München
Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google




Digitized by Google